

24.

24.



S.T. Sondermayr sc. a.v.

INSTITUTIONES HISTORICÆ
PRO ACADEMICO STUDIO ROMANO - CATHOLICO,

Ubi
ABSTERSA ACATHOLICORUM FULIGINE,
MONSTRATUR
METHODICA HISTORIÆ
DISCENDÆ RATIO,
SIC IN SEX PARTES DIVISA,
UT FUSIORE CALAMO
Academicæ cumprimìs induſtriæ,
Tum
ANNOTATO QUOQUE RERUM
SELECTU,
Artificiali Memoriæ
JUVENTUTIS GYMNASTICÆ,
Pro Inſtructorum Arbitrio,
ACCOMMODENTUR.

AUTHORE
P. IGNATIO SCHWARZ, S. J.
Almæ, ac Electoralis Univerſitatis Ingolſtadienſis Profeſſore
in Hiſtoricis ac Politicis
Ordinario.

Cum Privilegio Sac. Cæſareæ Majeſtatis, & Facultate Superiorum.

INGOLSTADII,
Sumptibus JOANNIS ANDREÆ de la HAYE,
Bibliopolæ Academici. Anno 1728.

FACULTAS
Rev. P. Provincialis,
Cum Privilegio Cæsareo.

Cùm *D. Joannes Andreas de la Haye, Bibliopola Ingolstadiensis desideret vulgare Librum, cui Titulus*, Institutiones Historicæ pro Academico Studio Romano Catholico, à P. Ignatio Schvvarz Societatis nostræ Sacerdote, nec non in Historicis, ac Politicis Professore ordinario *conscriptum, & à deputatis Patribus probatum: Ego Franciscus Xaverius Hallauer, Societatis JEsu per Germaniam Superiorem Præpositus Provincialis, potestate, ab Adm. R. P. Mich. Ang. Tamburino, Soc. nostræ Præposito, mihi concessâ, eidem, ad hanc editionem tantùm, Facultatem impertio, simúlque communico Privilegium Cæsareum, quo aliis Bibliopolis, & Typographis interdicitur, ne dictum Librum citra consensum Superiorum, vel recudere, vel intra fines Imperii, & hæreditarias sacræ Cæs. Majestatis Provincias inferre præsumant. In cujus confirmationem has Literas chirographô meô, & consuetô Officii Sigillô munitas dedi. Ingolstadii 30. Martii A. 1728.*



Franciscus Xaverius Hallauer.



PRÆFATIO
AD NOBILES, ET ACADEMICOS HISTORICI STUDII ROMANO-CATHOLICI AUDITORES.

Institutiones in quavis scientia utiles.

SUnt suæ Institutiones cuivis pene Scientiæ, quibus, totidem veluti gradibus, planiore methodo, ac meliori ordine ad optatam metam deducuntur Tyrones. Novimus Institutiones Poëticas, Oratorias, Philosophicas, quas communiore vocabulo Summulas appellamus. Novimus Institutiones Medicas, atque Juridicas, quas Candidato præterire nefas, nisi relicta clave, sine lege & ordine, vagabundi in morem, dediscere plura velit, quàm discere.

Desiderantur Historicæ, sed Juventuti Catholicæ accomodatæ.

Ejusmodi ordinem cùm in Historia quoque sive docenda, sive discenda, initio quærerem, inveni Duces, non tot quin plures, qui filum spondebant in frontispicio; qui ritè porrigerent, optata pro nostris studiis methodo, haud sanè dixerim, an invenerim ullum. Neque istud derogare quidpiam potest Authoribus, quorum vel sola Nomina vene-

veneror: ſcribunt multi, & multa, ſive pro eruditione ſua, ſive pro genio, quæ quò ad omnia nec cuivis, nec ad quemvis ſerviunt ſcopum. Enimverò inveni non paucos, idiomate vario, qui diſcendæ Hiſtoriæ præſcriberent methodum: imò inveni plures, qui præcepta præſcriberent, quàm obſervarent. Hos ſi Academicis exedris applices, dubito, an ſuccinctis ephemeridibus, & agglomerata præceptorum copiâ, Auditores potiùs inſtruas, quàm confundas.

Hiſtoriæ fundamentum, Ordo, Memoriæ juvandæ gratiâ.

In eo tamen convenit inter omnes, ſervandum in diſcenda Hiſtoria ordinem, quo ſine, hoc in negotio, cujus adminiſtra ſola pene Memoria, actum agas, neceſſum eſt. Illud inſuper unanimi calculò affirmant, ad perdiſcendam *ritè* Hiſtoriam, præ requiſita quædam principia, quibus, univerſali veluti ideâ, imbuatur memoria, ut ejus ope faciliùs retineat ſpecies, quæ ſucceſſivè de infinitis eventibus ingeruntur.

Hanc prælimìnarem notitiam Authores ſtatuunt:

Ad hunc ſervit Præliminaris quædam notitia Geographiæ.

I. In quibuſdam *Geographiæ*, & *Chronologiæ* Principiis. *Geographiæ* notitiam poſtulant; non illam, quæ problematis mathematicis Intellectum acuit, ſed quæ figit Memoriam, *locali ordine:* deſcribendo non tantùm Orbis partes, & Regna, ſed etiam Incolarum mores, Regnorum origines, & Regum ſucceſſiones, compendiosâ quadam methodo adumbrando. *Chronologiæ* principia petunt, non quidē abſtruſa illa, quæ calculorum varietate multiplici, tomos integros *Petavii* replent, & ex eclypſibus obſcura temporum minuta illuſtrant; ſed illa, quæ terminorum quadam notitiâ, primiſque principiis ſæculorum ordinem ſic memoriæ imprimunt, ut Chronologicâ

Chronologiæ.

logicâ eventuum serie, confusionem omnem eliminent, simúlque systema historicum efforment. Addo, *Genealogiæ* quamdam notitiam, omissis ramorum parergis, Juventutis genio accommodatam, non fore modicum & Historiæ universalis subsidium, & figendæ memoriæ instrumentum: nam quæ in Historiis sæpe implexa, planiora mox fiunt genealogico schemate: imò, quæ fusiora apparent memoriæ, in ejusmodi arbore, veluti quadam synopsi, ipsis cernenda oculis exhibentur. *Genealogiæ.*

Statuunt iidem Dogmatici hanc prærequisitam notitiam

II. In *Historia universali*, quæ prædictis principiis innixa, præbeat rerum, ab Orbe condito gestarum notitiam si non exactam, saltem non nimiùm succinctam, ut Juventuti anticipatam quamdam orexin, non fastidium moveat. Et hac ratione Memoria formabit sibi Ideam de historico Mundi Theatro, qua, jacta veluti semente, cum tempore fusior exsurget messis, uberiórque legetur fructus. *Historiæ Universalis.*

Neque desunt Authores, qui hujusmodi elementa Historiæ, felici calamo, dedêre in publicum; Illi præsertim, quos Gallia nutrit recentiores Historicæ eruditionis Cultores. Sed quia vel idiomate Juventuti nostræ ignoti, vel fusiore alveo metam, nobis statutam, excurrunt, Rhodanum aliquis, non tamen omnis transgreditur fructus. Imò nec inutiliter *Germania* nostra, in hoc opere, Juventuti tam necessario, jam sæpius desudavit. Præ manibus sunt Historica compendia, non tot quin plura, & linguâ quidẽ vernacula, quæ cùm à Methodo Juventuti satis accomodâ, tum ab eruditione ac ordine ferunt meritò laudem: sed (quod dolendum, & Religioni nostræ pe- *Hæc elementa Historiæ à multis elaborata.* *Sed non pro Juventute Catholica.*

ne probroſum!) Acatholicus plerumque eſt calamus, qui quod una manu, ut ajunt, ædificat erudiendo, alterâ deſtruit pervertendo.

Quæ iis eruditè pervertitur.

Quis enim ignorat, hoc Heterodoxis innatum ſtigma; ſcilicet ſub eruditionis velamine errores ſpargere, ut eò ſecuriùs noceant, quò amœniore in cyatho toxicum propinant? Utinam non toties, triſtis hoc teſtaretur nobis experientia! teruntur paſſim Juventutis Catholicæ manibus Acatholici Compilatores, quibus quàm gratulor facilitatem in methodo, tam exprobro malignitatem in ſtylo, qua venenum nulli non paginæ illinunt: cùmque Veritatis lucem intueri renuant talpæ, ementito Æſopi. Fuco Juventuti illudere conantur: ejusmodi carioſis principiis, anilibus fabellis, quos ad colum ablegant ipſa Adverſariorum pars ſanior, ineſcati Juventæ animi, quid mirum, quòd per ſe faciles in vitium flecti, labis, rubiginiſque quidpiam contrahant?

Experientiâ teſte.

Audivi non ita pridem è Juventute Catholica Oratorem, qui in pleno Doctorum conſeſſu non dubitavit *Eliſabetham* Reginam *Angliæ*, liliis Virginum coronare, & tantùm non donare apotheoſi Heroinam ſanctiſſimam. *Stuartam* contrà, velut non ſemel adulteram, infami inſuper notare homicidii ſtigmate. Hæc & alia plurima cùm audirem, indignatus primò illiberali oris lanugini, tandem verò ingemui, & agnovi mox fructus ex arbore *Hybneriana*, in cujus foliis, jam nuper legeram, olidas haſce merces, non ſine ſtomacho.

Hinc elementa ſolidiora Juventuti Catholicæ neceſſaria.

Hæc, & alia mentem mihi injecerant, ut cogitarem de modo, quo abſtersâ Acatholicorum fuligine, ſolidioribus Hiſtoriæ fundamentis

mentis Juventus noſtra inſtrueretur. In eo præcipuè hærebat nodus, ut in extricanda materiæ tam vaſtæ ſegete, methodus ſervaretur, qua Ætas iſta, ſine confuſione manipulos legeret, neque laboris tædio, rerúmve multitudine obruta, in compendio minimè compendioſam inferret meſſem. Hinc omnem rerum copiam, quam *Geographia, Chronologia*, & *univerſalis Hiſtoria* ſubminiſtrat, in ſex Elementa ſic dividere viſum eſt, ut præprimis *Academio ſtudio*, tum etiam, pro Inſtructorum placito, *Juventuti Gymnaſticæ*, ſuo modo accommodari haud difficulter poſſent. Porro ordinem hunc ſtatuere viſum eſt.

Difficultas in Methodo.

E *Geographiæ*, & *Chronologiæ* principiis, quia totius Hiſtoriæ fundamentis

Idea Elementorum.

Elementum quoddam univerſale conflabitur, quod nec dicemus primum, nec ultimum, ſed Inſtructorum arbitrio relinquemus. Pirmum non inutiliter dicet Academica Juventus, quæ ſat matura, ut præſcriptæ ab Hiſtoricis methodo acquieſcat. Ultimam manum eidem dare poteſt Ætas Gymnaſtica, & habebit, quod cum fructu in Rhetorica repetat, epitomen ſcilicet eorum eventuum, quos elementis quinque univerſalis Hiſtoriæ, ſenſim didicit per Scholas inferiores.

Elementum Univerſale Geographiæ, & Chronologiæ, primum vel ultimum, pro capacitate Diſcentium.

Elementum igitur primum Prolegomena quædam præmittet, quæ Hiſtoriæ ſive docendæ ſive diſcendæ facem præferent. Sequetur *Pars prima univerſalis Hiſtoriæ*, nempe *Hiſtoria Sacra:* pro cujus faciliore notitia ſubjungetur inſtructio triplex: 1. de Topographia terræ ſanctæ. 2. de Genealogia Sacra. 3. de eventibus Hiſtoriæ Sacræ, per epochas Chronologicâ ſerie diſtributis.

Elementum 1. ſeu Pars 1. Hiſtoriæ Univerſalis: Hiſtoria Sacra.

Pars II. Hiſtoriæ univerſalis, ſive *Elementum ſecundum* dabit *Monarchias antiquas*, præ-

Elementum 2. ſeu Pars II. Hiſtoriæ Univerſalis.

Monarchiæ antiquæ quatuor. præprimis quatuor illas, *Assyricam, Persicam Græcam* atque *Romanam* usque ad *Constantinum.* His iterum lucem addet succincta quædam notitia, de *Geographia* antiqua, de *Genealogia* Regum, & Cæsarum, de *Chronologica* eventuum serie, suas in epochas distributâ.

Elementum 3. seu Pars III. Monarchiæ novæ Universales. *Pars III. Historiæ universalis*, sive *Elementum III.* proponet *Monarchias novas*, nēpe *universales illas* Imperatorum Orientis, ac Occidentis, eásque ad nostra usque tempora continuabit. Ad has faciliùs retinendas, disponet denuò Juventutem Instructio triplex 1. de Geographia media. 2. de Genealogica Imperatorum istorum stirpe. 3. de Genealogica eventuum serie, suas in Epochas divisâ.

Elementum 4. seu Pars IV. Monarchiæ novæ particulares. *Pars IV. Universalis Historiæ*, sive *Elementum IV.* describet succincto calamo *Monarchias quasdam novas Europæ* particulares, qualis *Hispania, Anglia, Italia &c.* His immiscebit quandam notitiam de Nationum nominibus, origine, successione, fatorum ordine, nec non de Regiminis forma, moribus, Religione, quæ omnia in compendio delibata, disponent memoriam ad recipiendas solidiùs species, cum tempore ingerendas à particularibus iisque fusioribus Nationum Historiis. Pro more sequetur Instructio 1. de arte Heraldica. 2. de Genealogico horum Principum schemate. 3. de Chronologica eventuum serie, suas denuò in classes, & Epochas distributa.

Elementum 5. seu Pars V. Notitia historiæ Ecclesiasticæ. *Pars denique V.* Historiæ universalis, seu *Elementum* 5. dabit quandam notitiam Historiæ Ecclesiasticæ, qua Ecclesiæ Romanæ incrementa, persecutiones, & præcipue Concilia, Hæresum origines, errores, ac sacrorum ordinum Natales &c. systemate methodico proponentur. Juvabit memoriam Instructio-

ſtructio duplex: 1. de Geographiæ Eccleſiaſticæ opportuna quadam notitia. 2. de Chronologica horum eventuum ſerie, universales in epochas, diſtributâ.

In his omnibus cura erit præcipua, ut ne infinitæ rerum copiæ, ſed Academico ſtudio calamum accomodemus. Hinc nemo quærat enucleatam, *ad minutias uſque*, rerum notitiam: dicentur multa, quæ neceſſaria videbuntur ad finem, ſed tamen multa de induſtria omittentur. Quòd ſi nihilominùs videatur non nullis, onus iſtud humeris Academicis majus, cogitent, à quovis decurtari faciliùs poſſe, quàm augeri: ſed & timeant, ne Acatholica Juventus forſan plura ad vanitatem, quàm noſtra ad veritatem. *In his curandus I. ſelectus rerum.*

Curandum inſuper, ut ne ſcribendi methodus ſit Juventutis ſphærâ ſublimior. Per quæſtiones, laudato in aliis more, Ætatem hanc informare eſt animus: nam erit eò magis attenta, quò minùs ſibi relicta per iteratas quæſtiones ad officium revocabitur. Quò ad rerum diviſiones ſequemur *Hybnerum*, hominem, quem, hac ex parte, nemo ſanus criminabitur, eruditus nemo non imitabitur. *2. Scribendi methodus.*

In illo diu fluctuaveram dubius, an latinè, an Germanicè potiùs loqui facerem hæc elementa? ad linguam vernaculam impellebant Adverſariorum exempla, multorum authoritas, & forſan univerſalior fructus. Idioma latinum ſuadebant, quibus calamum præcipuè conſecramus, Academici Auditores; imò & linguæ hujus, inter cæteras Reginæ, apud Heterodoxos, ſi non inſcitia, ſaltem neglectus, ejusdem in Lyceis noſtris promovendum ſummopere ſtudium. Stylum quod attinet, profitebitur Latium, ultra quod ne- *3. Stylus.*

 mo

mo ſperet fluenta Curtii, Liviíve amabiles ſuſurros. Nempe ſat puncti, aculeos Atticos nauſeamus, formidamus Satyricos.

4. Scopus.

In id inſuper incumbendum, ut malam Acatholicorum induſtriam, meliore virtutis ſtudio, æmulemur. Nam vix elabitur illis occaſio, qua non probent ſe Acatholicos, magnúmque Deo obſequium præſtitiſſe ſe autument, ſi fictitio Veritatis fuco Juventuti illudant. Nobis meliori jure incumbet, dedocere Ætatem Innocuam, &, abſtractâ larvâ, perhibere teſtimonium Veritati. Hinc per univerſalis Hiſtoriæ decurſum, ſubjungemus obſervationes, accommodas Hiſtoriæ fini primario, è quibus id ſaltem colliget Juventus, Religionem veram, in Orbe unicam, per tot rerum viciſſitudines, à Providentia Numinis unicè ſpectatam, pérque tot Fata conſervatam, ſucceſſione perpetuâ, ab rerum origine, ad noſtra usque tempora perduráſſe, quem ſcopum Hiſtoriæ univerſali præfixum, hácque inſtructum methodo *Delphinum*, à *Meldenſi* Epiſcopo legimus, & etiam atque etiam approbamus.

Joan. Benig. Boſſuet.

Optandus Parentum fervor, in promovendo Hiſtoriæ ſtudio, apud teneram Ætatem.

Id denique felicitatis Religioni noſtræ optarem, ut eodem fervore Filii lucis, quo tenebrarum Filii, ad eruditionem Hiſtoricam animarentur. Utinam Parentes, Acatholicorum exemplo edocti, Juventutem ſuam à teneris, ad Rudimenta hiſtorica, noſtris Gymnaſiis nuper præſcripta, adigerent! Utinam, non niſi hoc univerſali notitiâ exculti Juvenum animi, ſeveriorem *Palladem* ſalutarent! Auſim ſpondere, tunc primùm in *Academiis* formandos Hiſtoricos, quos planè exigit eruditum noſtri temporis ſæculum; tales ſcilicet, qui Eruditionem non mendicarent, cum perverſio-

verſionis periculo, è puteis Proteſtantium; ſed puriore forſan è fonte hauſtam, dicacitati maleſuadæ opponerent: imò tales, qui Eruditione ſive ſacra, ſive profana, non parallelum ſolummodò ducerent Acatholicæ Juventuti, ſed eandem paraſangis forſitan plurimis ſuperarent.

Quod nulli dispendio Academiis.

Neque ulli, reor, in mentem veniet, hujusmodi univerſalem notitiam, ſic à teneris prælibatam, præjudicii quidpiam allaturam Academicis exedris, quæ ex profeſſo Hiſtoriam profitentur. Quin tantùm abeſt, ut deroget, ut ſine illa, præviè implantatâ, hæ actum neceſſariò agant, finémque potiſſimum fruſtrentur. Fac enim, Profeſſor publicus, per lectiones conſuetas Auditoribus tradat, & ùt oportet, inculcando inculcet hæc elementa; plures labentur anni, omnes dilabentur Diſcipuli, priusquàm Hiſtoriam vel à toto limine ſalutârint. Contrà ſi Inſtitutionibus hisce jam præparata in Academias advolet Juventus, ſingulis annis fuſiore paraphraſi, particulares audiet Nationum Hiſtorias, quæ cùm ad fundamenta univerſalia identidem reducantur, non poterit non formari Idea, quæ Hiſtoricum deceat, numeris omnibus abſolutum,

Sed ingenti emolumento.


Hinc bene præſcripta in Gymnaſiis hæc elementa.

Hinc, quis quis eſt ſanæ mentis, non poterit non vehementer probare Intentionem illam, quam Superioribus noſtræ Provinciæ, planè cœlitùs ingeſtam crediderim. Ordinârunt Illi, ut ejusmodì Rudimenta Hiſtoriæ, unà cum manſuetioribus Muſis, Juventuti Gymnaſticæ ſuaviter, & efficaciter implantarentur, qua re quid ad Reipublicæ Romano-Catholicæ utilitatem optatius; quid ad retundendam Acatholicorum dicacitatem oppor-

opportúnius; quid pro Juventutis eruditione commodius; quid denique erudito hoc Sæculo ad Scholarum noſtrarum ſive emolumentum, ſive augmentum accommodatius, magisque neceſſarium excogitari poſſit, non video: videbunt forſan Adverſarii noſtri cum tempore, & illis ringentibus, non ſine grandi ſolatio, Juventus noſtra experietur.

Difficultati primæ non cedendum: quæ minuetur cum tempore.

In eo jam vertitur rei cardo, ut difficultati primæ non cedat Juventus noſtra, ſed contrà eat audacior: minuetur illa ipſo uſu, & tempore: imò, nî fallar, adjumentis pluribus, quæ inveniet ætas, ſenſim ſine ſenſu penitùs tolletur. Utinam hic noſter labor, quem, Acadëicis Studiis primariò conſecramus, ad hunc quoque finem conferre commodi quidpiam poſſet, næ ego felici calamo ſat compenſata crederem, unde unde habita, laborum tædia. Quid quid ſit, cùm lucubrationem majoris momenti, pro muneris ratione, & vires noſtræ recuſent, & etiam deneget librorum ſupellex curta, huic qualicunque labori manum admovimus, quæ ſi diſpliceat Publico, non diſplicebit ſaltem conatus, minùs intentio, qua Catholicæ Germaniæ Juventuti prodeſſe & ſummopere cupimus, & unicè ſtudemus. Si nihil novi in hisce opuſculis invenerit Lector, cogitet, id novi ſaltem, quòd omiſerim veteres Acatholicorum errores. Quæ in Elementis ſingulis advertenda, ſpecialis dabit Præfatio; quæ corrigenda, ſupplebit Lectoris benevolentia, cui nos totos relinquimus, & conſecramus.





PROLEGOMENA,

seu

INDUCTIO

Ad Institutiones Historicas

De Historiæ necessitate, natura, proprietatibus, ejúsque discendæ ordine, methodo, regulis, & adjumentis.

CAPUT

Unicum Præliminare.

INSTRUCTIO I

De Necessitate, utilitate, dignitate, ac jucunditate Historiæ.

M*Elander*. An necessaria hæc Prolegomena? *Prolegomena necessaria cur? Quia clavis ad Historiam.*

Leucotheus. Tam necessaria, ac ad Logicam *Summulæ*; ad Artes, & Scientias alias præliminaris terminorum analysis, quæ veluti Clavis prærequisita porrigitur, ne peregrino idiomate confusi, mox in limine hæ-

reamus. Et hoc ex omnium Hiſtoricorum unanimi judicio ac conſenſu.

Non ſunt nimiùm prolixa.

Mel. An neceſſaria adeò fuſa?

Leuc. Si prolegomena hæc integris libris,* quos hac de re non minùs utiliter, quàm doctè exarârunt Dogmatici, comparata ſpectes, ſuccincta dices, nec niſi compendioſo nimiùm ſelecta calamo. Et ſi Academicis ſolummodò exedris deſtinata conſideres, id quod noſtra intentio, neutiquam fuſiora juſtô, ſed decempedæ ſublimiori utcunque commenſurata procul dubio deprehendes.

Hiſtoriæ neceſſitas quanta?

Mel. An magna *Hiſtorici* ſtudii neceſſitas?

Hoc tempore maxima.

Leuc. Maxima hac præcipuè tempeſtate, ne Acatholica Juventus plùs ſapiat ad vanitatem, quàm noſtra ad veritatam.

Neceſſaria omnibus etiam mediocriter eruditis.

Mel. An omnibus neceſſaria Hiſtoriæ quædam notitia, & cur?

Leuc. Omnibus, etiam mediocriter ſolummodò eruditis. ** Ratio eſt primò: quia *nil magis probroſum* ingenuo Homini, immò non Homini, ſi neſciat humanum Genus, Mun-

* Franciſci Balduini inſtitutiones Hiſtor. Antonii Viperani, Bodini, Davidis Chytræi, Sebaſtiani Foxii, Joannis Bunonis, Langletii di Frenoy, qui dum loquitur de Inſtitutionibus hiſtoricis P. *Rappini* S. I. intuitu tot Dogmaticorum hæc addit: Queſto Catalogo d' un ſi gran numero d' Authori, che hanno dato regole per bene ſcrivere la ſtoria, dée far penſare à queſti verſi del Poëta Franceſe: laCour en Conſeillers foiſonne, mais vient on à l' execution, on ne rencontre plus perſonne. In fatti, è minore il numero degli eccellenti Storici, che degli Scrittori, i quali hanno voluto formarne un buono. *Methodo per i ſtudiare la Storia.*

** An Hiſtoria omnibus ſaltem minùs ſtrictè moraliter ſit neceſſaria? *Vide Coll. Hiſt.*

Mundique vicissitudines ignoret peregrinus in Patria. 2. Quia *nil magis inconveniens*, quàm si vitæ civili, & humanæ natus Societati, hæreat ad Nationum origines, Gentium mores, ac consuetudines; si in Monarchiis initia, & penè nomina ignoret.

Mel. Da rei hujus exempla.

Leuc. *Tullii*, Oratorum Principis, celebre est oraculum: *Nescire, quid antequàm natus sis, acciderit, est semper puerum esse.* Hinc Sacerdos ille *Ægyptius Solonem* & Grajugenas reliquos, in Historiis antiquis rudes, *Pueros* meritò appellavit. *Exempla. Tullius. Apud Platonem in Timæo.*

II. *Joannes Palæologus*, Orientis Imperator, nominis sui propè oblitus, cùm in Concilio *Ferrariensi* allegari audiret Historiam *Hermæi Sozomeni* Ecclesiasticam, in stuporem raptus exclamâsse fertur: (*a*) *Quidnam hoc tandem monstri esset Historia Ecclesiastica?* * *Palæologus.*

Mel. Quomodo Historia est necessaria illis, qui pleniorem eruditionem profitentur, quales sunt Nobiles, & Reipublicæ Administri? *Præcipuè Nobilibus, & Reipub. Administris.*

Leuc. Historiam Nobilitati præ reliquis necessariam nemo sanus negaverit. ** His enim, quos *Ratio.*

(*a*) *Fr. Balduinus De instit. Historiæ f. m. 197.*

* Addit *Balduinus*: scilicet Παγκαλόλογος erat novus hic Arb;ter, qui tam rerum erat imperitus, támque νεοτεριϛὴς, ut Antiquitatis & Historiæ Ecclesiasticæ ne mentionem quidem fieri in Concilio pateretur. An ubi sedent tales Judices, cæcum & præceps non erit tribunal? *fol. cit.*

** An strictè moraliter his necessaria? *Vide Coll. Histor.*

quos vel ſupra vulgarem auram ſuſtulit Natalium ſplendor, vel ſtatûs conditio regendis aliis admovit, convenit nôſſe Politicum in Orbe ſtatum, de cujus ſiſtemate tot lectiones Hiſtoria ſuppetit, quot eventus. Hiſtoria quippe eſt velut Orbis Amphitheatrum, in quo ex ipſis eventibus facilè videmus, quid in hominem poſſit nunc immoderatus animi impetus; nunc emolumenti proprietas; nunc conjunctio rerum fortuita. Videmus, quò mali bonive conſilii ratio nos impellat: unde regendis aliis occupati hìc habent ſcholam politicam, in qua præteritorum intuitu de futuris prudenter diſponent.

Exempla.

Mel. Rem oſtende ſis in exemplo.

Alphonſus Rex.

Leuc. Teſte *Lipſio*, (*a*) *Alphonſus*, ille eximius Regum, olim interrogatus, quinam Conſiliarii optimi eſſent? *Mortui*, inquiebat, libros ſcilicet & monumenta politica intelligens, *qui nihil blandientes, nihil celantes, puram putámque propinant Veritatem.*

Cicero.

II. *Cicero* pro *Archia*, *plena eſt*, inquit, (*b*) *exemplorum vetuſtas, quæ jacerent in tenebris omnia, niſi litterarum lumen accederet. Quàm multas nobis imagines non ſolùm ad intuendum, verùm etiam ad imitandum, fortiſſimorum Virorum expreſſas, Scriptores reliquerunt? quas ego mihi ſemper in adminiſtranda Republica proponens, animum & mentem meam ipſa cogitatione Hominum excellentium conformabam.*

Belli Ducibus.

Mel. An Hiſtoria neceſſaria Belli-Ducibus?

Leuc.

(*a*) *In præfat. polit.* (*b*) *Referente Balduino in inſtit. Hiſt. f.* 101.

Leuc. Vel maximè, si *Stagyritæ* fides est. (*a*) Is enim in deliberationibus bellicis imprimis advocandam esse monet Historiam, ut ex ea intelligas, *quid in re simili acciderit? cur ita? quia*, ùt ait, *similium similes sunt eventus.* * *Ratio.*

Mel. Affer in medium exempla.

Leuc. M. *Brutus* medio in strepitu belli, in ipsis *Pompei* castris, & propè in procinctu & acie, paulò antequàm commissa est pugna *Pharsalica*, conficiebat epitomen Historiæ *Polybianæ*, quam legendo propè triverat, ùt ait *Balduinus*. (*b*) *Exempla M. Brutus.*

II. De *Cæsaris* libris notum est, quòd in *Alexandrina* seditione, præceps actus in mare, ducentos passus natitare coactus, ne madefierent, elata manu tenuerit: adeò nihil habebat monumentis illis antiquius! *Cæsar.*

III. *Alexander* M. *Plutarcho* Authore, cùm in *Asia* libris careret, mandavit *Harpalo*, sibi ex *Græcia* Historicos mitteret. Sola Cyropædia *Scipionem* Africanum fecerat *Magnum* *Balduino* teste. *Alexander M.*

IV. *Ambrosius Spinola* (*c*) inter Heroas nostri temporis magnum Nomen, noctis partem potissimam, in evolvendis Historicis, ad lampadem combussit: in consiliis bellicis nil unquam suaserat, nisi historicâ Ducum experientiâ id confirmâsset, dicere solitus: *gladium dependere à Belli-Ducis pectore, pectus ab Intellectu, Intellectum à monumentis Historicis.* *Ambrosius Spinola.*

Mel. An non Historia Principibus & Monar- *Historia necessaria maximè Principibus.*

(*a*) *l. 1. Rhet.* (*b*) *fol. m. 244.* (*c*) *Foresti ab initio Tom. 1.*

* An ad prudentiam militarem Historia sit strictè moraliter necessaria? *Vide Coll. Hist.*

narchis primariò eſt neceſſaria? *

Ratio. *Leuc.* Qui dubitat, vel in meridie cæcutit. Nam Hiſtoriæ exhibent facta, quæ Principibus quotidie facienda. Experientia Regibus eſt neceſſaria, ut diſcant rotare ſceptra *prudenter*; Hiſtoria, ut diſcant feliciter. Illa facit, ut ſapiant, *ſaltem cum diſpendio proprio*; hæc facit, ut ſapiant *diſpendio potiùs alieno*. Si enim in Hiſtoriæ ſpeculo, prævifis procul periculis, ad eventus negotia trutinent, judicabunt ſæpè facienda ex factis eò prudentiùs, quò citra periculum omne longè feliciùs.

Exempla. *Mel.* Rem in exemplis declara.

Theodoſius M. *Leuc.* Declarat id *Balduinus*, (*a*) cùm aït: *Hiſtoricos libros, rectè appellari libros Principum lubenter agnoſco: ſcribant alii, quod volent, de Principum educatione, inſtitutione, & ut verbo Ciceronis utar, Catecheſi: teneo illud Theodoſii* M. qui *Honorio* Filio regendi artem in epitome traditurus, eidem librum porrexit, Heroum continentem exempla, cum dicto: *Lege, & ſequere.*

Baſilius. II. *Baſilius Cæſar*, inter Politicæ ſecretioris arcana, hoc dedit *Leoni* Filio: *Hiſtoricos legeret, confœderata Juris publici Lumina, inventurum ſe ſine labore, quod ſine labore non collegiſſent.*

Auguſtus. III. *Auguſtus* (*b*) in evolvendis utriusque linguæ Authoribus nihil æquè ſectabatur, quàm præcepta & exempla, publicè vel privatim ſalubria, quæ ad verbum excerpta, vel ad Provinciarum, Exercituúmque Rectores, vel ad Urbis Magiſtratus plerúmque mittebat, prout quisque monitione indigebat.

IV. De

* *Vide Coll. Hiſtor.*

(*a*) *l. c. fol. 268.* (*b*) *Teſte Suetonio in Augu. c. 89.*

IV. De *Mathia* Corvino, *Hungariæ* Rege testis est *Balduinus*, (*a*) quòd *in Budensi Bibliotheca non minùs, quàm in castris lubenter versatus sit.*

Mathias Corvinus.

Mel. An Historia etiam ad ſcientias alias necessaria?

An Historia ad alias ſcientias necessaria?

Leuc. Necessaria est ad plerasque, si non ad omnes, saltem in gradu perfecto possidendas. Illud est extra dubitationis aleam omnem, quòd ad quasdam ſcientias minore; majore ad alias; ad nonnullas verò nexu indispensabili sit necessaria, qua de re alibi. * De *sola Jurisprudentia* audiatur Magnum illud Nomen inter Jurisconsultos *Franciscus Balduinus*, qui in aureo libello de Historiæ & Jurisprudentiæ conjunctione sic ait: (*b*) *Ego quidem nondum satis statuere potui, plúsne lucis Historia ex Iurisprudentiæ libris; an Iurisprudentia ex historicis monumentis accipiat: sed liquidò affirmare possum, sic utramque esse comparatam, ut altera alterius poscat opem, & conjuret amicè.*

Maximè: Præsertim ad Jurisprudentiam.

Mel. In medium profer exempla.

Exempla. Cicero.

Leuc. Teste *Tullio* (*c*) Historia Annalium à Pontificibus conscripta, in tabulis *Romano* Populo olim publicè proponebatur; aliis 12. tabulis pro rostro affixis proponebatur Jus civile & publicum. *Et quorsum?* Quærit *Balduinus*: (*d*) *nempe ut iisdem oculis Cives Romani & Iurisprudentiæ & Historiæ suæ summa saltem capita, assiduè haurirent, unóque in conspectu, velut aliud agendo, eadem legerent.* Tandem concludit: *adeò Reipublicæ interesse judicabant Sapientes Romani*

* Quomodo Historia ad alias ſcientias sit necessaria? *Vide Q. Q. Coll.*

(*a*) *lib. c. fol. 280.* (*b*) *l. 2. fol. m. 189.* (*c*) *l. 2. de orator.* (*d*) *libro cit. f. 245.*

ni hanc conjunctionem; & mirabitur aliquis, quod optamus, ut saltem in Scholis civilibus rursus conjungantur?

Alexander Severus.

II. *Alexander Severus*, teste *Lampridio*, nullam legem tulit, quin viginti Jurisperitos, & triginta Historicos priùs consuleret.

Historiæ dignitas Quanta? Summa.

Mel. Quanta Historiæ dignitas?

Leuc. Ex erudito *Lipsio (a)* quæras, & dicet: *Historiæ magna dignitas: memorias legere prisci ævi, bella inter summos Reges, Populorum ortus & occasus, maximam dignitatem cum voluptate habet. Ciceronem*, Eruditorum Phænicem, interroga, & reponet: *(b) Cognoscere res gestas memoriæ veteris, ordinem tenere antiquitatis, exemplorúmque omnium habere notitiam, decorum, laudabile, ac propè Divinum est.*

Exempla. Cæsar.

Mel. Exemplis dignitatem declara.

Leuc. Julius Cæsar ipse Historicum egit, suáque bella conscripsit.

Sulla.

II. *Sulla* viginti duobus libris gesta sua complexus est, nec nisi duobus ante mortem diebus absolvit *Plutarcho* teste.

Augustus.

III. *Augustus* de sua vita multos libros conscripsit: *Sciebat nempe maximus Imperator, (c)* (ùt ait *Balduinus*) *quid sui muneris esset, & quibus litteris suam Reipublicæ regendæ facultatem acceptam ferret, eas ipse litteras sua manu quoque, privatóque studio magis magísque colere, atque propagare deberet. Unde Historiis non minorem quàm armis, aut legibus operam dedit, ut nos tali exemplo ampliùs excitaret.*

Adrianus.

IV. *Adrianus* quoque Historias scripsit *Spartiano* teste. *Juba* Rex *Mauritaniæ*, si *Plu-*

Juba.

(a) Ep. 1. Decad. 1. in ep. posthuma. (b) l. 2. de orat. (c) l. c. fol. 252.

Plutarcho fides, fuit omnium, qui unquam fuerunt Regii ſanguinis, Hiſtoricorum præſtantiſſimus. Unde quod *Cicero* de agricultura, *Balduinus* majori jure de Hiſtoria aſſerit, (*a*) *nihil* nempe *ſibi Regalius videri, quàm Hiſtoricum ſtudium.*

Mel. Quæ Hiſtoriæ utilitas? * *Hiſtoriæ utilitas Quanta? Maxima. Ratio.*

Leuc. Audi *Foxium Morzillum:* (*b*) *Quod peregrinatio, ætas diuturna, cognitio rerum multarum, experimentum, conſilia, uſus, acumen, peritiaque in homine minimè negligente, qui judicii vi omnia intelligat, notet, retineat, efficere poterit, id ſanè meliùs, ac veriùs efficiet Hiſtoria, quæ & illa omnia complectitur, & tanquam totius humanæ vitæ tabula, & ſpeculum eſt ad Prudentiam humanam propoſita.*

II *Audi* Davidem *Chytræum:* (*c*) *Non ad Reipublicæ tantùm, ſed etiam ad vitæ privatæ conſilia, & mores rectè regendos, utiliſſima eſt Hiſtoriarum lectio, quæ omnium virtutum exempla illuſtria, & vitiorum omnium exitus infelices, & ſcelerum pœnas horrendas commemorant.*

Mel. Quibus hæc verba exemplis confirmas? *Exempla. Imperator Tacitus.*

Leuc. Imperator *Tacitus*, ut artem bene regendi totiúſque Reipublicæ ſalutem, ab Hiſtorico ſtudio dependentem, oſtenderet, decreto publico edixit, ſui *Cornelii Taciti* Annales quotannis decies deſcriberentur, & in omnibus Bibliothecis, ac Curiarum Archiviis proſtarent, ùt ait *Flavius Vobiſcus.*

II. *Alphonſus Hiſpaniæ* Rex, *Fernandi* Filius *Alphonſus Hiſp. Rex.*

(*a*) *f. 254.* (*b*) *libro de Inſtit. Hiſt. f.m. 98.*
(*c*) *De lect. Hiſt. rectè inſtituenda.*
* *Vide Q. Q. Colleg.*

lius (a)] se se Historiarum, Legúmque litteris acceptam ferre suam bene regnandi facultatem, publicámque Reipublicæ tranquillitatem palam professus est: unde librum insignibus Regiis, suóque sceptro ac labaro appingi jussit.

Historiæ Jucunditas Quanta? Singularis. Ratio.

Mel. Quanta Historici studii jucunditas? delectatio quanta?

Leuc. Sanè maxima: *Quid enim bonæ menti jucundius, quàm totius humani Generis ortum, propagationem, & Imperiorum omnium seriem, omnésque insignes Mundi mutationes, in Historiis expositas, simul mente intueri, & in conspectu ac ante oculos assiduè habere?* Ita *Chytræus*.

Exempla. Plutarchus.

Mel. Testibus hanc veritatem confirma.

Leuc. I. *Plutarchus* scribit, sese cùm vitas Illustrium Virorum exararet, vel legeret, sibi visum, cum iis familiariter vivere & versari, domíquæ suæ tales audire Hospites: tum exclamat. *O DEUS, an ulla vel esse potest voluptas, aut delectatio major!*

Cicero. Fr. Balduinus.

II. *Cicero*, ob Reipublicæ fata, mœrore confectus, *Bruto* confessus est: *Quòd Attici Historia ei delectationem, & salutem attulerit.* Addit *Balduinus*: *(c) Quid alii sentiant nescio: quod sum expertus affirmo: cùm jam inde à pueritia me multi, acerbíque casus jactaverint, unum inter tot fluctus portum, in quo acquiescerem, fuisse Historiam.*

Alphonsus Hispaniæ Rex.

III. *(d) Alphonsus* Junior, *Hispaniæ* Rex, cùm aliquando decumberet, & legendo *Curtio* ita se oblectâsset, ut animi corporisque languentis vires denuò restaurâsset, exclamâsse fertur:

(a) *Balduinus in l. de Instit. Hist. f. 272.* (b) *Chytræus in opus. de lect. Hist. rectè instit.* (c) *l. c. f. 288.* (d) *Idem f. 278.*

tur: *Non esse in Hippocrate vel Galeno saniorem medicinam, suavioremque curationem!*

INSTRUCTIO II.

De origine, natura, fine, divisione, & subordinatione Historiæ.

MElander. Quæ origo Historiæ?

Leucotheus. Originem traxit ab immortalitatis amore, Mortalibus innato, quo ab oblivione ut vindicarent & sua & Majorum facinora, ea primò per traditiones & statuas; deinde per hierogliphica, & vetera monumenta; successu temporis per rudiores Poëtarum, Scriptorúmque calamos; denique per politiora Historio-graphorum studia, Posteritatis memoriæ commendârunt. *Origo Historiæ Qualis? Immortalitatis amor.*

Mel. Quid est Historia? Quod ejus officium?

Leuc. *Tullio* dicitur, *Memoria rerum*: Ejus *officium* ex ipso nominis etymo desumes; nam ἱστορέω significat *specto*, seu *inquiro*, ut colligas, Historiæ esse, *sic inquirere in res præteritas, ut Posterorum memoriæ sistat præsentes.* *Officium.*

Mel. Hæcne exacta Historiæ definitio?

Leuc. Minimè: ad amussim scholasticam dices: esse *Notitiam methodicam rerum, in Orbe gestarum.* Quòd si essentiam Historiæ, ex fine intrinseco humanæ Prudentiæ subordinatæ spectes, aptè definies esse: *Notitiam methodicam rerum magis memorabilium, prout in Orbe gestæ sunt, ordinatam ad ingeneranda vitæ politioris dictamina.* * *Definitio.*

Mel.

* An hæc definitio exacta? an aliæ passim obviæ, nisi quò ad sensum coincidant, reiiciendæ? *Vide Q. Q. Coll.*

Objecta.

Mel. Et quænam putas objecta, atque fines Historiæ?

Leuc. Historia versatur *circa res magis illustres*, quæ in Orbe gestæ: versatur autem *methodicè*, sic ut gestorum *veritas*, *methodicè cognita*, *ordinetur* ad Prudentiam humanam, seu vitam *politicè* instituendam. *

Finis.

Non sola jucunditas, non eruditio, vel sola memoria rerum.

II. Hinc Historiæ finis non est *sola Jucunditas*, ùt putant *Vani*, qui legunt, ut segnes citiùs fallant horas. Non *Eruditio sola*, ùt sibi persuadent *Curiosi*, qui student, *ut sciant*, & erudito Sæculo se conforment. Non *sola rerum præteriarum Memoria*, ùt visum est Antiquis, qui *sterili* rerum *notitiâ* contenti, finem statuerunt in medio, dum Historiam non ordinârunt ad humanam Prudentiam, nec ad vitam *politicè*, hoc est, feliciter instituendam.

Sed vera Prudentia.

III. *Finis* igitur Historiæ intrinsecus, & *principalis* est *Veritas*; alter *politica Prudentiæ humanæ dictamina. Extrinsecus* & ultimò intentus est vita, ex Historiis juxta Prudentiæ regulas ordinata, & ex hac vitæ methodo, cùm propria tum publica Reipublicæ utilitas, atque felicitas. Sic quod solemne est *Sanctis*, solemne sit omnibus *Christianis*; Historias legere, & in Historiis observare *Divinæ Providentiæ ludum amabilem*, sibíque colligere dictamina, quibus vitam componant, agenda ex actis disponant, ut aliorum exemplo docti vel fugiant vitia, vel imitentur virtutes.

Error Juventutis in Historico studio Quis?

Mel. Quod in Historiæ studio plerumque vitium incurrit Juventus?

Leuc.

* Quodnam objectum Historiæ materiale? an voces? quodnam formale? attributionis? attributum? *Vide Coll. Hist.*

Leuc. Hoc, quòd acquieſcat notitiæ, quæ in loquendo reddat *diſertam*; nec ſuperaddat obſervationes, quæ in agendo reddant *prudentem*. *Neglectus finis.*

II. In exemplo pateat rei hujus diſcrimen. Sint duo, qui eandem evolvant Hiſtoriam. Prior notet Gentis originem, Nationis mores, Regni viciſſitudines, Regum fata, & quidquid memorabile continent hiſtorici eventus: hæc illi ſufficiat *ſcire*. Alter & ipſe ſagaci oculo hæc obſervet, ſed in obſervata identidem *animum reflectat*: dictamina ad trutinam revocet, in aliorum moribus ſuos obſervet, eventuum cauſas examinet, negotiorum ſucceſſus inter ſe comparet, exactis agenda ordinet, habitáque ratione ad circumſtantias ſimiles, vel proſperos ſucceſſus ſperet, vel caſus infortunatos evitet. Verbo: lecta ſibi omnia applicet, & alieno exemplo ſapiat, ſéque ipſum in aliis cognoſcat. Edic, amabo, uter leget prudentiùs, uter utiliùs? *Rei hujus exemplum.*

Mel. Quæ obſervati hujus finis utilitas? *Obſervati finis utilitas Quæ?*

Leuc. Fructus ingens genuinæ Prudentiæ. Hæc enim acquiritur ſive experientiâ, ſive Hiſtoricæ lectionis notitiâ: hinc Hiſtoria Ciceroni dicta eſt *Vitæ Magiſtra*; Xenophonti *Schola omnium optima*; Dionyſio Halicarnaſſeo, *Adminiculum Prudentiæ præſtantiſſimum*: Bunoni *Cumulus Sapientiæ*: Polybio *veriſſima inſtitutio ad actiones politicas*; Lipſio *Conſiliaria Reipublicæ*; Stagyritæ *ſtudium ad tractanda Reipublicæ negotia utiliſſimum*, eò quòd agenda non raró conveniant cum actis, è quorum felici, vel infelici eventu facilè colliges, quid facto opus: nam ſi *Senecæ* fides: *Fructus Prudentiæ.*

con-

consilia optima pro futuris, ex præteritis desumuntur. *

Rei hujus exempla.

Lucullus.

II. Exemplis rem confirmat *Joannes Antonius Viperanus* in hæc verba: (a) *Lucullum* illum, qui *Mithridatem* vicit in *Ponto*, memoriæ proditum est, *Româ* profectum, rei militaris ignarum, & penè rudem, cùm totum iter legendis Historiis consumpsisset, in *Asiam* venisse factum Imperatorem: adeò, ut *Mithridates* hunc majorem, quàm eorum quemquam, quos vidisset, aut legisset, Ducem à se cognitum esse confiteretur.

Philopæmen.

II. *Philopæmen* quoque, maximus Dux *Græcorum*, lectione rerum ab *Alexandro* gestarum, tantam æmulationem, & gloriam affecutus est, ut cùm eo totius *Græciæ* decus una corruisse visum sit.

Scipio Africanus.

III. Magnum præterea effecit *Scipionem Africanum* Cyropediæ lectio, studiúmque Historiarum.

Alexander Severus.

IV. Quin *Alexander Severus* (ùt scribit *Lampridius*) in dubiis rebus Historiarum peritos maximè consulebat: *quòd nimirum de futuris rebus meliùs sentirent, qui res gestas memoriâ tenerent.* Ita ille.

Historiæ qualitas Quæ? Virtus, Ars, Scientia practica.

Mel. Quid sentiendum de qualitate Historiæ?

Leuc. Quòd *Virtus* sit Intellectui propria; quòd *Scientia propriè dicta*; quòd Ars, & quidem *activa*; quòd denique sit *Scientia*, juxta linguam scholasticam, *simpliciter practica*; quæ omnia non leviter tantùm asserimus, sed etiam alibi fusiùs demonstramus. **

Mel.

* Unde Poëticè, non historicè *Naso* cecinit: *Careat successibus opto, quisquis ab eventu facta probanda putat.*

** *Vide Q. Q. Colleg.*

(a) *l. de scrib. Hist. c. 3. f. 19.*

Mel. Qua ratione omnium aptiſſimè Hiſtoria univerſalis dividitur?

Diviſio Hiſtoriæ quotuplex?

Leuc. Tripliciter: *

Triplex?

I. *Ratione materiæ* in *Sacram*, atque *Profanam. Sacra* ſubdividitur in *Hiſtoriam Teſtamenti veteris*, quæ dicitur *Divina*; & in *Hiſtoriam Teſtamenti novi, quæ dicitur Eccleſiaſtica.* ** Ad utramque reducuntur omnes Gentilium ſuperſtitiones, ritus, Religionum omnium, Hæreſum, Schismatúmque origines, & progreſſus. Reducuntur Hiſtoriæ ſingulares de Vitis Sanctorum, Pontificum &c.

Prima ratione materiæ. In Sacram.

II. *Hiſtoria Profana* ſubdividitur in *antiquam* & *novam.* Illa continet *Hiſtoriam particularem* quatuor Monarchiarum, aliorúmque Regnorum antiquorum. Hæc *Hiſtoriam particularem* Romani Imperii, â *Carolo M.* reſtaurati, Regnorum *Europæ*, *Aſiæ*, *Africæ*, *Americæ.* Ad quas Hiſtorias reducuntur *Vitæ ſingulares* Cæſarum, Regum, Ducum, Heroum, aliorúmque virorum Doctrinâ, vel Arte memorabilium.

Et Profanam.

Mel. Qualis ſecunda diviſio?

Leuc.

* An hæc diviſio triplex ſit ad regularum normam exacta? An reliquis diviſionibus, paſſim obviis, melior? *Vide Coll. Hiſtor.*

** *Hybnerus, in Hiſtor. univerſali ab init.* Pro Exemplo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ affert comœdiam *Carolo M.* ùt ait, â Proteſtantibus quondam exhibitam; ubi lignorum ſtruem congerere *Huſſius*; ignem ſubdere *Lutherus*; *Carolus* Cæſar enſem; & *Leo* Pontifex effuſo oleo flam̃am reſtincturi, eandem augere viſi ſunt in theatro. Sed affert perperàm: nil enim commune fabulis cum veritate Hiſtorica. Aptiùs pro exemplo apposuiſſet *ætatem patibuli Pilſi-*

Secunda: Ratione temporis in antiquam & novam.

Leuc. *Ratione temporis*, in *Historiam antiquam* ante *Christum* natum, & in *Historiam novam* post *Christum* natum. Porrò utraque subdividitur in *certas epochas chronologicas*; sicuti & Historiæ particulares omnes, bellissimè ejusmodi epochis dividuntur.

Per certas Epochas.

II. Sic in exemplo Historia *Sacra*, seu *Divina* rectè dispertitur in septem ætates seu epochas:

1. *Creatio Mundi*, seu Status Patriarcharum primus.

2. *Cataclismus*, seu Status Patriarcharum secundus.

3. *Circumcisio*, seu Status Patriarcharum tertius.

4. *Clades Ægypti*, seu Status Judicum.

5. *Consecratio Saulis*, seu Status Regum.

6. *Captivitas soluta*, seu Status Pontificum.

7. *Christus natus*, seu Status Prætorum *Romanorum* usque ad excidium *Jerosolymæ*.

Mel. Qualis divisio tertia?

Tertia: Ratione modi. In fundamentalem.

Leuc. *Ratione modi* in *fundamentalem*, & *formalem*. Per *fundamentalem* notatur rudis, & succincta notitia rerum ab Orbe gestarum, quæ serviat Ideæ instar, seu pro fundamento, supra quod totum Historiarum omnium ædificium faciliùs exstruatur.

II. *Per*

Pilsnensis in *Bohemia*. Hoc enim patibulum cùm deficientibus à *Romana* fide vicinis, *Pilsnenses* passim objectarent, veluti *Hussitica* fide (& multo magìs *Lutherana*) antiquius, illi probrosum suæ sectæ symbolum exosi, concubia nocte furcam furati sunt, antiquario forsan inter Religionis suæ reliquias reponendam. *P. Kraus in Ovic. tr. 3. f. m. 42.*

II. *Per formalem* intelligitur fusior, & accurata cujusvis Historiæ in particulari descriptæ notitia, qua sola, veluti formâ, Historicus strictè & propriè denominatur. *Et formalem.*

Mel. Quæ subordinatio has inter Historias observanda?

Subordinatio inter Historiæ partes Quæ?

Leuc. Primum ordinem tenet *Historia Sacra*; nam præstat *1.* prærogativâ *dignitatis*, utpote Divino dictata Spiritu per Scripuras. *2. Certitudinis*; utpote Divinâ fide credibilis. *3. Necessitatis*; quia est fundamentum Religionis, & origo notitiæ, quam de Mundi primordiis, ejusque progressibus haberi fas est. *Historia Sacra.*

Mel. Quænam Historia succedit *prærogativâ ordinis*?

Ecclesiastica secunda.

Leuc. Historia Ecclesiastica: nam, ùt advertit D. *Augustinum*, quid quid per Nationum fata, Regnorum vicissitudines in Orbe contigit hactenus, vel contingit, id fit D. Providentiâ vel permittente, vel disponente, quæ *necessario veluti ordine*, cuncta refert ad Religionis veræ, in Orbe unicæ, scopum primarium, suæque Ecclesiæ emolumentum, in qua sola, & Ipsa verissimè colitur, & nos salvamur. *

Ob ordinis prærogativam, & D. Providentiæ Intentionem primariam.

Mel. In exemplo ostende sis ordinem, seu Historiæ Ecclesiasticæ, atque Civilis affinitatem, ac connexionem. *Hujus rei exempla*

Leuc. Id bellè præstitit Episcopus *Meldensis.* *In Historia antiqua.*

* Unde colligas errorem *Hybneri*, qui *Historiæ Ecclesiasticæ* præponit *Politicam*, quem errorem refutant ipsi Acatholici Authores, quos inter *Chytræus*, qui in *l. de lect. Hist.* rectè *instit.* sic habet: *De cæteris hujus Mundi Imperiis & Regnis Historia Sacra docet, ea Dei opera esse, & à Deo defendi & servari tantisper, donec durant, ut sint Hospitia Ecclesiæ.*

ſis. (*a*) Sic nempe *Syris*, & *Babyloniis* uſus eſt DEUS ad Populum, ob perfidiam caſtigandum; *Perſis* ad reſtaurandum; *Alexandro*, ejúſque Poſteris ad protegendum; *Antiocho*, ac illius Succeſſoribus ad affligendum; *Romanis* ad tuendam contra Reges *Syriæ* libertatem. Hi ipſi *Romani* ſubin aſſumpti ſunt in inſtrumentum ad vindicandam in Meſſia occiſo perfidiam.

In media

II. Rejecto Populo hoc ingrato, DEUS novum electurus è Gentibus, Nationes omnes, terrâ marique, ſub *Romano* collegit Imperio: erat hoc Divinæ conſilium Providentiæ, ut è diverſis Nationum ejusmodi ſurculis Eccleſia adoleſceret: & licèt trecentorum annorum ſpatio, hoc ipſos *Romanos*, Orbis Domitores, experta ſit hoſtes, ſic tamen crevit inter adverſa, ut ſanguis Martyrum eſſet ſemen Chriſtianorum. Hinc eſt, cur *Romanum* Imperium, quod invincibile invicto cuncta perfregit ferro, vincibile tandem ſe ſentiens, inermi Eccleſiæ ceſſerit, tótque fidei lauris victricem, ac coronatam patientiæ palmis, ſuo receperit gremio. Tandem, quam ipſa priùs ibat extinctum, dilatavit ipſamet exarmata, & in triumphum ducta Tyrannis, ut *Roma* jam eſſet Caput Imperii ſpiritualis, quod *Chriſtus* per totum Orbem voluit dilatatum.

In nova.

III. Immò poſtquàm aliorum Regnorum fato & ipſa denique *Romana* Monarchia conceſſit, per Barbaros diruta, tantùm abeſt, ut pro Religione perdiderit Majeſtatem, ut potiùs manſuefactâ per fidem veram barbarie, Reges

(*a*) *Boſouetius dans les diſcours ſur l' Hiſtoire univerſelle citatus per* **P.** *Vallemont dans les Elemens del' Hiſtoire.*

Reges ſibi reddiderit ſubditos, ipsáque Gentium Domina Orbi nunc imperet univerſo. En! affinitatem mirabilem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Profanæ! En! occultum Divinæ Providentiæ filum, ac ordinem, quo prudentiæ humanæ ſcita ſuis ſervire cogit conſiliis! Eccleſiæ nempe ſuæ ſanctificatio, æterni Numinis ſcopus eſt, ad quem dirigit tot diverſa Mortalium ſtudia, quæ ipſi, ſua opinione, ambitionis, & avaritiæ Idolo conſecrant.

INSTRUCTIO III.

De Elementis Hiſtoriæ, ſive de notitia ad Hiſtoriam ritè diſcendam prærequiſita.

Melander. An non prærequiſita quædam notitia ad Hiſtoriæ ſtudium?

Notitia ad Hiſtoriam prærequiſita. Quæ?

Leucotheus. Eſt utique, quam ſi quis tranſiliat leviter, vel habebit inutilem, vel certè difficilem conatum.

II. Comuni autem Authorum calculo hæc notitia in *Geographiæ*, *Genealogiæ*, nec non *Chronologiæ* principiis quibusdam ſtatuitur, quibus accedit *Hiſtoriæ fundamentalis ſuccincta epitome.*

Genealogiæ, Chronologiæ, Geographiæ, & Hiſt. fundamentalis.

III. Porrò neceſſitatis cauſam ſi roges, hæc dabitur, ut in memoria, quæ princeps Hiſtoriæ eſt Adminiſtra, formetur totius ſiſtematis idea, cujus ope retineantur faciliùs ſpecies, quæ ſucceſſivè de infinitis eventibus ab Hiſtoria ingeruntur. *

Cur? ad formandam Ideam.

* Temporis & loci cognitio paranda Hiſtoriæ Cultori, qui utiliter, & cum fructu, in immenſo cupit verſari Hiſtoriæ pelago: in locorum

Divisio hujus notitiæ Qualis? In sex Elementa.

Mel. Quot partibus dividi poteſt hæc tota prærequiſita notitia?

Leuc. Eſt illa in arbitrio dividentis. Succinctiùs alii, alii fuſiùs excurrunt in hanc præliminarem notitiam, quisque pro ſuo, quem ſibi præfixum intendit, ſcopo. Nos pro Academico ſtudio, totam notitiam aliquantò fuſiùs in ſex elementa diſtribuemus, quæ uno vocabulo *Inſtitutiones Hiſtoricas* nominamus.

Elementum universále Geographia.

Mel. Quid ſub Elemento univerſali indigetas?

Leuc. Generalem quamdam *Geographiæ* notitiam, qua cum delectu ſcias ſaltem Regionum ſitum, extenſionem, diviſionem, oppida digniora ſcitu, præcipua flumina, temperiem aëris, terræ fertilitatem, Regionis commoda, ac rariora Artis ac Naturæ prodigia.

Necessaria Cur? Ob memoriam Geographicis tabulis figendam.

II. Hæc notitia vel ideò inter fundamenta Hiſtoriæ eſt numeranda, quia eſt magnum memoriæ localis ſubſidium, *dextérque Hiſtoriæ oculus*, ſi *Gerardo Voſſio* fides. *

III. Res in exemplo pateſcet: pone enim tibi

eorum peritiam venitur per Geographiam, temporis periodos diſtinguere docet Chronologia. *Joannes Buno in præf. ad Hiſtor. univerſalem.*

* *Balduinus l. 1. de inſtit. Hiſtor. f. 31.* ſic ſcribit de Hiſtoria Geographiæ conjuncta: *Fuerit* hoc Imperatori *Adriano* proprium, ut perluſtraret omnes Provincias, & civitates, de quibus aliquid legerat: nobis ne ſit neceſſe, quod non liceret, ita peregrinari, Hiſtoria Geographiæ juncta efficiet, ut ſine ullo periculo vel moleſtia, nobis domi ſedentibus, plùs quàm ulla peregrinatio fortaſſe poſſet, præſtabit.

tibi ob oculos Historicum Geographiæ peritum, & imperitum. Hic leget *Alexandri* M. victorias, sed quia obiter, Ideam hauriet è superficie. Ille in Tabula Geographica non tam leget certamina, quàm intuebitur, & expeditionem totam memoriâ possidebit, veluti oculatus testis. Verbo: Geographiæ defectu chaos in Historia grande.

Mel. Da erroris hujus exempla.

Geographiæ malè neglectæ. Exemplum primum.

Leuc. Lucianus ait, sese delira stultitiâ cujusdam Historiographi, ex *Græco* factum esse *Babylonium*, Patriámque suam ab *Hellesponto* avulsam cum ipsis mœnibus, omnique Populo, translatam esse in *Mesopotamiam*. Nunquid ejusmodi Historicis *& Ararim Parthus bibit, & Germania Tigrim.*

Secundum.

II. Sic Geographiæ defectu hallucinatus est *Maro*, cùm cecinit: *(a)*

Ergò inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum vidêre Philippi.
Nec fuit indignum Superis bis sanguine nostro
Emathiam, & latos Hæmi pinguescere campos.

Ubi *Pharsaliam Thessaliæ*, 160. leucis distantem *à Philippis* in *Macedonia*; *Emathiam* remotissimam à monte *Hæmo* in *Thracia*; vicinas nihilominùs scribit grandi licentiâ, vix Poëtis, ne dicam Historicis concessâ

Tertium.

III. Unde *Balduinus*. *(b)* Cùm superioribus annis legerem hominis doctissimi commentarios, in quibus ille, quod *Eusebius* scripsit de *Pella* ad *Jordanem*, docendo transfert ad *Pellam Macedonicam*, sensi nostros iterum monendos esse, ne tam inscitè Orbem terrarum revolvendo invertant.

Mel. An non sub Elemento universali compre-

(a) l. 1. Georg. *(b) De instit. Hist. l. 1. f. 181.*

Genealogiæ & Chronologiæ principia:

prehensa quoque *Genealogiæ* quædam, & *Chronologiæ* principia?

Leuc. Comprehensa sunt, saltem *prima*, etsi spinosis utriusque tricis, ad hunc finem superfluis, Juventus, saltem Gymnastica, non nisi inutiliter fatigaretur.

Necessaria Cur? Ad vitandam confusionem.

I. Necessaria autem quædam utriusque notitia. 1ò. Quia sine Genealogica serie foret confusa tot Ducum, Regum, & Imperatorum memoria. 2ò. Quia sine Chronologica methodo in Historiis merum chaos: Chronologia quippe Historiæ *Ariadne* est, filum porrigens ad superandos labyrinthi Historici Mæandros: immò teste *Vossio sinister Historiæ oculus* est, qui servit memoriæ locali, cumprimis Historico necessariæ.

Chronologiæ neglectæ errores Qui?

II. Res in exemplo clarescet. Nam finge tibi Historicum, Chronologiæ omnis vel incurium, vel ignarum: non sciet iste sæculorum discrimina; (a) *Homines sibi finget sub Lege gratiæ, quales legit sub Lege Naturæ: loquetur similiter de Persis victis sub Alexandro, quàm de victoribus sub Cyro: idem feret judicium de Græcis, Philippi tempore subjugatis, quàm sub Miltiade liberis: Romanum Populum existimabit æquè elatum sub Imperatorum sceptris, ac sub Consulum fascibus: Ecclesiam æquè tranquillam sub Diocletianis, ac Constantinis.* Quæ omnia, dic, quantum parient histeron proteron?

Exempla.

Mel. Affer erroris ejusmodi exempla.

Leuc. Notus est anacronismus ejusdem *Virgilii*, cùm scripsit, vel potiùs finxit *Didonem Æneæ* contemporaneam, trecentorum ferme annorum calculo satis erroneo.

(a) *Episc. Meldensis Bousuetius in disc. supra Hist. univ.*

neo. * 2. Sic *Athenæus Platonem*, atque etiam *Xenophontem* graviter accusat, quòd quorumdam tempora sæpè notaverint, æquè falsò, ac imperitè. Sic *Thucydides Hellanium*, & *Dionysius Fabium Pictorem*, & alii alios de anacronismis commissis postulant. 3. Sed & ipse *Cicero* Scriptores quosdam (*a*) meritò reprehendit, qui *Numam Pythagoræ* Discipulum fuisse ajebant, cùm *Pythagoras* aliquot post *Numam* sæculis primam lucem aspexerit. Unde (*b*) hic aureus Orator de Poëta, qui *Euripidem* & *Menandrum*, uti & *Socratem* ac *Epicurum* inter sese colloquentes induxerat, argutè simul ac lepidè pronuntiavit: *Multos* hic Vates *Condiscipulos habet in Theatro, qui simul litteras non didicerunt.*

Partes Historiæ universalis Quot & Quæ?

Mel. Quodnam igitur Elementum primum Historiæ universalis, seu fundamentalis?

Elementum primum Historia sacra.

Leuc. *Historia Sacra*, universalis illa quidem, sic tamen, ut ne fusiore alveo obruat, nec sicco nimiùm terreat Academicos Auditores. Nam teste *Chytræo*. (*c*) *Primùm antecellit Historia Sacra rerum, quas tractat bonitate, præstantiâ, Majestate, exemplis, vaticiniis de quatuor Monarchiis, antiquitate &c.* Adde, quòd sit Idea, ac fundamentum omnis Historiæ, quàm ignorare, nil aliud foret, quàm in aëre ædificare.

* Æneas vixit	*A. M.*	2820.
Dido	- - -	3112.
Error annorum		292.

(*a*) *Teste Francisco Balduino l. 1. fol. 177.* (*b*) *In orat. pro Gellio ut refert Hieron. ad Nepot.* (*c*) *l. de lectione Historica rectè instituenda.*

Elementum secundum Historia Antiqua de 4. Monarchiis.

Mel. Quæ reliqua fundamentalis Historiæ Elementa?

Leuc. Elementum secundum contineat Historiam antiquam, seu Monarchias quatuor antiquas, *Romanam* præcipuè usque ad *Constantinum.*

Tertium Historia nova Romani Imperii.

II. Tertium complectatur *Historiam novam Romani* Imperii, seu Monarchias recentiores, quæ Orientis & Occidentis fata continuent ad nostra usque tempora.

Quartum Historia particularis.

III. Quartum ob oculos ponat *Historiam particularem*, seu Monarchias quasdam particulares, non illas quidem enucleatiùs exaratas, sed potiùs adumbratas in paradigmate, ad cujus principia, divisionem, & ordinem Juventus nullo negotio pleniorem cum tempore notitiam revocabit.

Quintum Historia Ecclesiastica.

IV. Elementum quintum compendiosam det Historiæ *Ecclesiasticæ* notitiam, qua Ecclesiæ *Romanæ* incrementa, persecutiones, Concilia, hæresúmque origines sic proponantur, ut clavus pellatur clavo, nec Acatholica Juventus sit erudita magis in fidei falsitate, quàm nostra in veritate.

Universalis Historia requisita Cur? Quia fundamentum.

Mel. Cur prærequisita est universalis, & succincta rerum epitome?

Leuc. Quia dicitur *fundamentalis*, seu fundamentum, quo præsupposito, veluti in charta universali Geographica, facilior est descensus ad particularem singulorum notitiam. 2. Quia est *simplex Idea*, qua uno veluti obtutu, planissimè patet totum sistema Historicum, & in compendio cernitur immensum aliàs Mundi hujus Theatrum: qua ideâ si semel sit imbuta memoria, ordinatiùs, & hoc ipso faciliùs recipiet species, quas connexas

nexas cum particularibus Nationum Historiis suo tempore experietur. *

INSTRUCTIO IV.

De methodo tradendæ Historiæ Juventuti in Genere.

Methodus tradendæ Juventuti Historiæ in Genere Quæ? *Instructorum industria Tyronum capacitati accommodata.*

MElander. Quanam præcipuè Methodo instruenda in studio Historico Juventus?

Leucotheus. Hanc omnium optimè excogitabit privata Instructorum industria, Tyronum capacitati, Genio, aliisque circumstantiis accommodata. Illud in genere tenendum, methodum oportere esse facilem æquè ac utilem, planam, ætati sive Academicæ, sive Gymnasticæ accommodatam: quem in finem observationibus quibusdam opus erit, atque industriis.

Mel. Quæ observatio prima in genere?

Observatio prima. *Ordo debitus: Rerum selectus.*

Leuc. *Ordo debitus*, & *Selectus rerum*. Non enim obviis quibusdam Historiis confundenda, nec rerum copiâ est obruenda Juventutis memoria, sed servato ordine, factó-

* *Polybii* præceptum est: *ut qui utiliter in Historia versari desiderat, uno veluti intuitu debeat complecti, & velut in corpus redactam Historiam comprehendere, priusquàm Authores celebres evolvat.* Consentit *Buno in præfat. ad Hist. universalem*, dum ait: *Ut in cæteris artibus discendis primùm utimur epitomis: ita Historia quoque in compendium redacta, quæ omnium temporum seriem, Imperia præcipua, & insignes Gentium mutationes contineat, priùs cognoscenda est.*

que delectu memorabiliora sæpiùs, immò & paululùm fusiùs inculcanda: nam satiùs erit scire pauca cum ordine, quàm scire plura cum obliviosa nimiùm confusione. Unde Chronologicis quibusdam compendiis non alliganda Juventutis memoria, quia nimiùm siccis: * Non annalibus, quia in annos, vel annorum decades abruptis. Est enim teste Authore anonymo (a) *hic Annalium defectus, ut annis singulis sic facta singula alligent, ut eorum & progressum ignores, & finem; id quod Juventuti tædium generat, distrahítque mentem, ne Historiam totam sive legat, sive retineat. Connexorum eventuum catena, etsi acciderint diversis temporibus, necessaria est ad instruendam Iuventutem, quæ abrupto identidem filo & erit oblita priorum, & posteriorum incuria.*

Observatio secunda analysis.

Mel. Quæ observatio secunda?

Leuc. Juvanda imprimis est Juventutis memoria; unde *clarè*, ac per *analysin* Ætas hæc instruenda: de qua methodo *Bodinus:* (b) *ut plana, & facilis sit Historiarum scientia, principio adhibeatur præstans illa docendarum*

* Unde cùm *Bodinus* ait *in Meth. ad facilem Hist. cognit. c. 10. auspicandum esse à brevissimis chronicis*, intelligendus non est de compendiis Chronologicis nimiùm succinctis, quale est *Fax Chronologica Musantii* & aliorum; sed de Historiis universalibus, qualis est *Turselini*, si modò Chronologiâ instructæ sint. Illa enim chronica sua siccitate Juventutem non tam allicerent quàm absterrerent.

(a) *Histoire profane depuis son commencement jusqu' à present. à Paris A. 1714. in præfat. tom. 1. fol. 33.* (b) *Meth. ad facilem Hist. cognit. c. 2. f. m. 19.*

darum artium Magiſtra, quæ dicitur Analyſis. Per hanc analyſin autem intelligit planam, & ſimplicem totius Hiſtoriæ ideam, ſic in ſuas diviſam partes, ut tota ſymmetria, unâ veluti paginâ, ad oculum pateſcat.

II. Res in exemplo iterum clareſcet: Hiſtoriam ſacram Diſcipulo, etiam Academico, ob oculos pone; hærebit confuſus hac rerum mole. Sed mox eandem cum *Vallemond* per analyſin propone, dicens: hanc totam rerum farraginem, quadruplici regimine diviſam notet: *1. Regimen Patriarchale* ſub Patriarchis viginti duobus. 2. *Regimen Iudiciarium* ſub totidem Judicibus. *3. Regimen Regale* ſub viginti duobus denuò Regibus. 4. Denique *Regimen Sacerdotale* ſub totidem Meſſiæ Majoribus: & abſterſa ſubitò confuſione, mox facilè capiet, quod impoſſibile captu priùs iterum iterùmque affirmârat. *Exemplo declarata.*

Mel. Quæ obſervatio tertia? *Obſervatio Tertia*

Leuc. Juvanda eſt inſuper imaginatio, utpote præcipua memoriæ Adminiſtra. Hinc non facilè diſcenda Juventuti Hiſtoria, quin ob oculos ſibi ponat vel Geographicas vel Chronologicas vel Genealogicas Tabulas, quibus lectæ Hiſtoriæ velut vivis expreſſæ coloribus repræſententur. Geographia quippe gignet memoriam localem; Chronologia dabit Hiſtoriæ ſeriem, ſuis temporibus diſtinctam; Genealogia exhibebit ordinem Perſonarum, variis diſtinctum ramis: quæ tria ſubſidia ſi *ſobriè* applicent Hiſtorici Tyrones, præcipuè Academici; ſi ſemel ſciant, quo ſæculo, quóve loco reponendæ Hiſtoriæ, imaginationi impreſſas ſpecies vix ulla ampliùs delebit ætas. Verbo, ſi erudito *Voſſio* fides, Geographia & Chronologia *Tabulæ Geographicæ Chronologicæ, Genealogicæ.*

ſunt

ſunt geminæ Sorores, & quaſi duo Hiſtoriæ lumina, quorum altero ſi orbetur, luſca fiat; utróque extincto, cæca ſit prorſus, neceſſum eſt.

Obſervatio Quarta Lectio reflexa ad Triplicem finem.

Mel. Quæ obſervatio quarta?

Leuc. Aſſuefaciendi Hiſtoriæ Candidati *Lectioni reflexæ*, qua nihil utilius; nihil ad finem Hiſtoriæ convenientius. Nam liquet, Hiſtoriæ ſtudium inter parerga ſuperflua reponendum, niſi ſerviat fini triplici : nempe *1.* Ad firmandam in nobis Religionem veram Catholicam : *2.* Ad informandum Intellectum. *3.* Et ad reformandùm affectum.

Pro Juventute In vera Religione confirmanda. Divina Providentia

Mel. Oſtende ſis ipſam praxin, qua per obſervationes Hiſtoricas Juventus firmari poſſit in Religione vera Catholica.

Leuc. I. Supponenda hæc Divi *Auguſtini* regula pro fundamento: (*a*) *Nihil in Univerſo hoc unquam contigit, vel contingit, niſi Divina Providentia vel diſponente, vel permittente: cuncta ſerviunt Ejusdem conſiliis, & per altiſſimos fines, vel hoc ipſo nobis ſæpè incognitos, occultâ veluti neceſſitudine referuntur ad Religionis veræ ſcopum primarium, in qua ſola Numinis veri agnitio, cultus, & quæ finis Creaturarum omnium ultimus, ſaluti noſtræ conjuncta gloria Creatoris.*

Ad eventus ſingulos applicanda.

II. Hoc poſito fundamento, dirigendi Hiſtorici Tyrones *ad lectionem reflexam*, ſeu talem, qua legant Hiſtorias, non *ſimpliciter*, ùt contigêre; ſed *cum obſervatione reflexa* ad finem, quo contigêre, & à provido Numine referuntur, nempe in ordine ad Hiſtoriam Eccleſiæ ſacram, ùt ait doctiſſimus *Boſſouetius.* (*b*) Eodem Authore inſtruantur, quo-

(*a*) *Vallemond dans les Elements del' Hiſtoire.*
(*b*) *Vide Vallemondi Elementa Hiſtorica.*

quomodo in eventibus singulis Divina Providentia sic ludat in Orbe terrarum, ut eosdem præparet ad suæ emolumenta Ecclesiæ. Doceantur sic *Sauli* auferri Sceptrum, ut tradatur à DEO *Davidi*, utique digniori: sic *Cyrum* elevari ad solium, ut sit decreti illius Minister, quo DEUS statuit, è captivitate reducere Populum electum. Demonstretur quòd Nationum fata, Regnorum vicissitudines, neutiquam humanæ sint Prudentiæ opera, sed Providentiæ Divinæ consilia. Denique ponatur illis ob oculos, qua ratione omnia pereant, corruant Monarchiæ, & tota Mundi gloria in pulverem redigatur; dum interim Ecclesia DEI subsistit semper, & non obstante tot Hæresum seditione etiamnum durat, ac felicitate non interrupta, velut opus Divinum, perpetuò durabit. Qua lectione quid ad elevandam sublimiùs mentem; quid ad nutriendos pietatis sensus, nósque in Religione, unicè vera, confirmandos conducibilius esse possit, haud dispicio.

Mel. Quomodo per lectionem reflexam informandus est Intellectus?

Pro Informando Intellectu.

Leuc. Erudiendi Historiæ Candidati, Academici scilicet, Historici officium esse, *Apta aptè referre;* eruditi Lectoris, supra relata sese *reflectere*: Illius esse exponere *facta;* hujus colligere *facienda:* illi incumbere ex relatis *formare dictamina*: huic eadem *applicare*, & Intellectum genuinis imbuere Prudentiæ veræ principiis. Non malè dixit *Polybius*. (a) *Si quis ex Historia tollat quid? quomodo? cujus gratia actum sit? quis finis fuerit? quod supererit, velut contentio quædam, non doctrina erit: & in præsentia quidem jucun-* dita-

(a) l. 3.

ditatis fortasse aliquid; imposterùm verò nullam prorsus ad vitam humanam utilitatem afferet.

Per dictamina politica.

II. Hinc dirigendi Historiæ Tyrones, ut se reflectant supra dictamina sive in Historiis lecta, sive è Historiis eruta, quæ Intellectũ illuminent. Negotia, improvisis circumstantiis implexa, priusquàm perlegant, quærendi, quid in hoc rerum articulo agerent? quò consilia verterent? quam partem arriperent? mox legendus rei bonus, malúsve exitus. Monendi insuper, ut latentes causas observent, è quibus revolutiones adeò miræ in Regnis continuò profluxêre. Casus notent, eventus trutinent, & in similibus circumstantiis vel pares timeant, vel sperent.

Et observationes notatu digniores.

III. Denique cùm Historiæ *corpus* soleat esse *narratio*; *anima* verò *instructio Politica*, noverint Historici Auditores, quid in Authoribus primariò sit observandum. Habere studeant locos quosdam, ùt vocant, communes, seu tres rerum memorabilium classes, in quarum prima ponantur *selectiora mentis consilia*, animíque designationes, quas certis in circumstantiis sibi formaverant Majores nostri, sive dein Politicam spectent pro regimine publico; sive disciplinam pro moribus reformandis; sive denique negotia alia, tam in bello, quàm vita communi prosperè agenda. In altera seligantur *dictamina memorabilia*, aptæque ad illustrandam mentem sententiæ. In tertia contineantur *Actiones selectæ*, & memoratu digniores, sive spectent ad vitiorum fugam, sive ad prosecutionem virtutis. Serviet hic triplex Thesaurus, ut ex eo depromantur lumina, suo tempore opportuna, & variis in vitæ casibus, ac negotiis necessaria.

Mel.

Mel. Quomodo per lectionem reflexam reformandus affectus?

Leuc. Cùm Historia sit vera morum Interpres, & viva velut imagine affectiones humanas adumbret, instruenda Juventus, Academica imprimis, ut ex historiis discat affectionum suarum dominium, & rationi conformem illarum usum. Hinc monstrentur exempla, quæ infelici catastrophe à vitiis illam absterreant, vel generosa animi celsitudine ad virtutem invitent. Doceatur imitari apiculas, quæ mella ex floribus; non araneas, quæ venenum exsugunt. * Verbo: per exempla trahatur, ut æmulo Virtutis studio, quod in aliorum moribus displicet, in suis fugiat; quod placet, imitari strenuè allaboret.

Pro reformando affectu per imitationem Virtutum, vitiorum fugam.

Mel. Quanam præcipuè methodo instruenda in specie Ætas Academica?

Leuc. Hac de re aliorum sententias mallem audire, quàm meam dicere. Illud certum videtur, nil certi facilè definiri posse, cùm denique optima videatur methodus illa, quam pro Auditorum captu, ac circumstantiis, velut magis accommodam Professorum industria excogitârit.

II. Ne tamen nihil dicamus, illa videtur *suo modo* tenenda methodus, quam in tradendo

I Methodus Instruendi Auditores Academicos in specie Qualis? Professorum Judicio relinquenda. Similis illi qui servatur in Jure tradendo.

* Ita *Anonymus apud Lambertum Danæum in Aphorismis polit. de legendis Historiis ab initio. Quælibet, inquit, Historia continet virtutes, & vitia diversorum hominum: versemur igitur in lectione Historicorum, ùt apes, quæ optima quæque & suavissima mella ex floribus decerpunt; non ùt araneæ* (quales Heterodoxi sat bene multi) *quæ undique venenum ex herbis ac floribus exsugunt, atque excerpunt.*

dendo Jure ſervant Doctores, * dum aptiorem vel per alios, vel per ipſum Uſum (optimum ſcientiarum Magiſtrum) edoceamur.

Materia.

III. Porrò cùm in docenda Hiſtoria duo in quæſtionem veniant: *Materia* nempe, Auditoribus Academicis tradenda, & *Methodus* tradendi: circa primum ſciendum.

Hiſtoriarum particularium fuſior aliquantulùm

IV. *Materiam* non eſſe *Compendioſam* ſeu *univerſalem* quamdam notitiam Hiſtoriarum magis celebrium, qualem è *Rudimentis Gymnaſticis* hauſtam hic tutò ſupponimus: ſed eſſe notitiam Hiſtoriarum, *ſuccinctam* illam quidem, ſi rerum molem, in tomos integros alibi extenſam ſpectes; *fuſiorem* tamen, quia Auditoriis Academicis accommodandam. 2. Materiam non eſſe hanc ſolummodò fuſiorem Hiſtoriarum notitiam, narratione ſimplici memoriæ impreſſam; ſed notitiam conjunctam cum quæſtionibus connexis, & in Hiſtoria controverſis, quas uno nomine *Collegia Hiſtorica* dicimus. In his quippe difficultates & controverſias, in Hiſtoriis obvias, ſic complanari oportet, ut Academici Auditores, aptis ad ſcientias reliquas adminiculis, inſtruantur, & Hiſtoricorum errores, præcipuè tamen Acatholicorum calumnias, Hiſtoriis paſſim inſperſas, velut abſterſa fuligine dedoceantur.

Sed conjuncta cum Quæſtionibus collegialibus connexis & controverſis.

Ordo tradendi Hiſtoriam. Hiſtoria ſacra.

V. Unde ùt in legendis Hiſtoriis, ſic in tradendis ſervandus eſt Ordo, ut regulariùs ſpecies, de infinita rerum ſibi ſuccedentium ſerie, memoriæ imprimantur. Si *Langletio* (*a*) fides, initium ſumendum ab *Hiſtoria*

* Videatur P. Seybold in Tr. de Prudentia & Jurisprudentia *p. 2. fund. 2. §. 1. & 2. de Prælectionibus & Collegiis Canonicis.*

(*a*) *Langlet de Freſnoy methodo per iſtudiare la Storia. Edizione ſeconda in Venezia A. 1726.*

ſtoria ſancta, quæ veluti aliarum regula nobis exhibet Religionem veram, continua temporum ſucceſſione, à Mundi exordio non interruptam. 2. Hanc ſequantur *Monarchiæ antiquæ*, *Aſſyrica*, *Babylonica*, *Media*, *Ægyptiaca*; *Perſica*, *Sinica*; *Græca*, *Argos*, *Athenæ*, *Spartana*, *Trojana*, *Corynthiaca*, *Lydia*, *Macedonica*, *Romana*, & aliæ antiquis temporibus coævæ. 3. Hiſtoriis antiquis ſuccedant recentiores: & inprimis *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, quæ remoto veteris Teſtamenti ſipario, nobis exhibet Monarchiam *Chriſti*, Eccleſiam Romano-Catholicam, tot figuris præſignatam, & Eccleſiæ veteri ſuperimpoſitam; à cujus primordiis videre eſt incrementa, & ſucceſſionem perpetuam, nullis perſecutionibus interruptam, & nequidquam obſtrepentibus Hæreſum machinis ad usque Mundi finem perennaturam. 4. Hanc ſequantur *Monarchiæ novæ*: & primò quidem *Romanum Imperium*, Imperatorum tam Orientis, quàm Occidentis fata: *Hiſtoriæ Imperii internæ* de *Auſtria*, *Bavaria*, *Palatinatu*, *Suevia* & reliquis: tum *Hiſtoriæ Imperio externæ* de *Gallia*, *Hiſpania*, *Luſitania*, *Anglia*, *Hungaria*, *Polonia*, & aliis: denique Hiſtoriæ Regnorum *Africæ*, *Americæ* &c. Ex quibus

Monarchiæ antiquæ.

Hiſtoria Eccleſiaſtica.

Monarchiæ novæ.

VII. Colliges, quis plerumque ſit Juventutis error in Hiſtorico ſtudio: nempe *neglectus Ordinis*, quo prærequiſitam notitiam vel tranſiliunt leviter, Hiſtoriarum fragmentis contenti; vel quo particulares Hiſtorias legunt ante univerſalem; vel quo Res Romanas præponunt Græcis, Hiſtorias novas antiquis damnabili errore, quem hiſce verbis inſinuat

Error Juventutis in Hiſtorico ſtudio. Neglectus ordinis.

 Bodi-

Bodinus: (a) Errant, qui singulas Historias priùs intelligere se posse putant, quàm universæ Historiæ, omniúmque temporum ordinem ac seriem, velut in tabula propositam viderint.

Methodus hanc materiam tradendi Qualis? Servandus ordo. Exercitatio explicationi jungenda.

Mel. Quæ Methodus hanc materiam tradendi pro Academico studio?

Leuc. Servandus *Ordo.* 2. *Exercitatio* jungenda *doctrinæ* Præsidis *exegeticæ*: utrumque propter memoriam. Hinc quæ in Prælectionibus sive *decisa*, sive *explicata fusiùs*, in Collegiis *per exercitationem* repeti possunt. Aut si mavis, utrobique *explicationi* jungenda *exercitatio*, ut in tanta rerum congerie quotannis plus materiæ absolvatur.

In Prælectionibus Historiæ antiquæ. In Collegiis novæ antiquis respondentes.

II. Nostris Prælectionibus reservantur *Historiæ antiquæ*; Collegiis *novæ*, eo ordine, ut quæ ratione mutua magis connexæ sunt, eodem anno & assumantur, & si tempus ferat, etiam absolvantur. Sic dum in Prælectionibus inchoatur *Historia sacra*; in Collegiis tractatur *Historia Ecclesiastica*. Si in illis *tres Monarchiæ antiquæ principales*; in his explicatur quarta *Romana*: si ibi *orientale Imperium*; hic *occidentale* assumitur: si in Prælectionibus agitur de *Regnis antiquis*; Collegia agunt *de novis*, præsertim in Imperio Romano-Germanico erectis: denique si in illis præleguntur *Regna Africæ, & Americæ*; in his explicantur *Regna, Europæ, Hispania, Gallia,* & sic de aliis.

Propositæ per repetitionem.

III. Tempus porrò ea ratione transigitur, ut primam partem sibi vendicet *repetitio* materiæ prioris, alteram *explicatio* novæ. Constituto priùs uno vel altero, ex Institutionibus nostris in memoriam revocantur succinctiùs, quæ

(a) *In meth. ad facilem Hist. cognit. c. 2. pag. 29.*

quæ nuper fusiùs tradebantur, Professore per quæstiunculas in Institutionum margine positas examinante, Discipulo respondente. Tum ab eodem resolvitur Quæstio ex iis, quas nos dicimus *Collegiales*, si quæ forsan ob connexionem materiæ foret decisa nuper, alio opponente, vel ipso Professore difficultates succinctiùs & objiciente, & si opus sit, resolvente. Denique sequitur explicatio novæ materiæ, pertexitúrque filum assumptæ Historiæ, & si ferat occasio, resolvitur quæstio ex Collegiis nostris Historicis, ut Historicæ difficultates & fusiùs complanentur, & errores, atque Acatholicorum calumniæ solidiùs refutentur.

Quæstionis Historicæ resolutionem.

IV. In explicatione novæ materiæ eò cura intenditur, 1. ut quæ in Institutionibus pressiùs, ibi fusiùs, & pleniore rerum & circumstantiarum paraphrasi ob oculos ponantur. 2. Ut inculcetur rerum analysis pro memoria; connexio Chronologica cùm inter se, tum inter eventus alios, pro pleniore notitia, atque systemate totius Historiæ ordinatiùs efformando. 3. Adduntur cryses, sed sobriæ, quæ intellectum illustrent; formantur dictamina, & ad Christianæ prudentiæ normam ex actis agenda, vitandáve, opportuna occasione, insinuantur. 4. Excùrritur è re nata in problemata varia, quæ in Institutionibus hinc inde vel indicamus, vel delibamus. 5. Discutiuntur difficultates vel Historiis connexæ, vel in Historiis fundatæ circa Regiminis formas, Nationum jura, Regnorum fata, aliásque controversias, in *Collegiis Historicis* decisas, ita tamen, ut appareat potiùs Historiæ necessitas, utilitas, & connexio cum Jure publico, quàm ut præbeatur occasio missæ falcis in alienam messem. 6. Refutantur de-

Explicationis servanda ratio.

nique, ſed absque excurſione merè polemica, Acatholicorum mendacia, calumniæ, & errores; præcipuè tamen in omnibus monſtratur Divinæ Providentiæ ludus, quò eventus omnes dirigit ad *Eccleſiæ veræ* ſuaviſſimum regimen, Electorum ſalutem, ſuámque gloriam, quæ ſicut omnis Hiſtoriæ, ita & Hiſtorici ſtudii ſcopus eſt, & eſſe debet D. *Auguſtino* Interprete. Atque huic tradendæ Hiſtoriæ methodo tam diu inſiſtemus, quàmdiu aliam meliorem non ſuppeditabit ſive rerum uſus, ſive Peritorum induſtria, id quod etiam, atque etiam exoptamus. *

Methodus tradendi Rudimenta Hiſtorica Juventuti Gymnaſticæ.

Mel. Qua Methodo tradenda Juventuti Gymnaſticæ eſt Hiſtoria, ſuis in Rudimentis delineata?

Per Examen: Explicationem novæ materiæ.

Leuc. Tenenda Methodus *per examen* injunctæ materiæ, quam *explicatio novæ* ſubſequetur.

Ratio examinis.

I. Examinis Methodum dabit Inſtructorum induſtria; & quia pro fine habet memoriam, forſitan erit proficuum, ſi iterentur ſæpiùs quæſtiones; ſi dividantur, varientur ſervato ſenſu, invertantur; ſi corrigantur errantes ab æmulis; ſi ſtimulentur laudibus, loci ſcholaſtici honore, aliiſque

Quæres: an nihil dictandum ſit, ſaltem in Prælectionibus publicis? ℞. major eſt rerum moles, quàm ut *ſine diſpendio temporis*, jactura majoris utilitatis, ac Auditorum multiplici tædio, qui raro dictata excipiunt, exhauriri calamo poſſit. In lectionibus hactenus, aliquot lineolis dictata ſynopſis eſt earum rerum, quarum explicatio fuſior mox ſubſecuta: ſed hoc defectu Authoris ſat commodi & caſtigati, qui prælegi potuiſſet, ac explicari.

aliisque prærogativis, ætati huic accommodis promoveantur. Inprimis tamen Historiæ epocha, & rerum, de quibus agitur, facta divisio sæpiùs est inculcanda, ut Juvenili memoriæ denique adhærescant.

II. Explicationis ratio tunc finem suum attigerit, si fiat servato ordine, rerúmque divisione æquè clara ac simplici. Si per hypotyposes repræsententur facta, magìs memorabilia; si nimiùm succincta, subinde aliquantulùm fusiùs, per circumstantias juvenili genio gratiores, dilatentur, ac explicentur; si, data occasione, inspergantur doctrinæ morales, & modus lectionis reflexæ, rudi saltem in paradigmate, adumbretur. Porrò ut ejusmodi explicatio careat difficultate, neque oneri sit Instructoribus, sat occupatis, exaratæ sunt Institutiones Historicæ, ubi pro fusiore paraphrasi, atque pleniore notitia subsidium simul & supplementum reperient, alibi forsan, nisi magnâ molestiâ, vix conquirendum. *Ratio Explicationis.*

III. Denique rudem ejusmodi Historiarum notitiam, & prima veluti rudimenta, utili non minùs, quàm prudenti consilio, etiam Juventuti Gymnasticæ instillari, etiam Veteres agnovêre. 1. Narrat *Plutarchus* (a) *Xenophontem* Historicum ab *Agesilao* accersitum esse eum in finem, *ut Pueros Spartanos doceret artem parendi simul, ac imperandi.* Addit *Balduinus* (b) *Idoneum sanè Doctorem, quia Historicum!* 2. *Valerius Maximus* de *Romanis* Antiquorum institutis differens: *Majores natu*, inquit, *in conviviis ad tibias egregia Superiorum opera, carmine comprehensa, pange-* *Historica Eruditio Juventuti etiam teneræ utilis. Exemplo Veterum Græcorum. Romanorum.*

(a) *In Agesilao.* (b) *In instit. Hist. l. 2. f. 264.*

gebant, quò ad ea imitanda Juventutem alacriorem redderent. Tum exclamat: *Quas Athenas? quam Scholam? quæ alienigena studia huic domesticæ disciplinæ prætulerim?*

Germanorũ. Gallorum.

3. Denique similem veterum fuisse *Germanorum* morem *Tacitus*; *Gallorum Am: Marcellinus* Author est: & ipse *Virgilius* hanc ingenuorum Adolescentum primam institutionem fuisse indicat, dum canens Genethliacon *Salonini* ait:

Et simul Heroum laudes, & facta Parentum,
Jam legere, & quæ sit, poteris cognoscere virtus.

Imitanda per imagines, lusus, & alia suaviora adminicula.

IV. Hunc Veterum morem magis laudabili, quia magis ingenioso invento imitantur illi, qui per lusum Geographiæ, artis scutariæ, & universæ Historiæ fundamenta, appositis bellissimè regulis Juventuti, etiam teneræ, instillant, quam methodum æquè utilem ac jucundam nemo prudens non summoperè probârit. *

INSTRUCTIO V.

De Historiæ Legibus pro Academico studio.

Historiæ genuinæ Leges præcipuæ Quæ? Selectus rerum nobilium, utilium.

Melander. Quæ Historiæ leges præcipuæ?

Leucotheus. I. Inter primarias *Balduinus,*

* 1. Historische Spieltafel Ratisbonæ *A. 1720.* 2. Geographisches Gansspil Norimbergæ *A. 1722.* 3. Chartæ lusoriæ Geographicæ & Artis scutariæ Augustæ Vindelicorum. 4. Kurtze und deutliche Anweisung Geographischer Spil-Kart vorgestellt von Joanne Philippo Andreæ: Nürnberg.

duinus, *Viperanus* (*a*) & alii ſtátuunt *rerum ſelectum*. Ad hunc pertinet (*b*) argumentum *illuſtre*, *verum*, *utile*, & ſi fieri poſſit, * *jucundum*, ſic tamen, ut Jucunditas, velut pediſſequa, Utilitati ſubſerviat *Luciano* teſte. Hinc reſecanda ſunt vilia, ficta, inutilia, minuta, & *quidquid Græcia mendax audet in Hiſtoria* ** (*c*) Verbo: tractandæ ſunt *res magìs memorabiles*, ſeu ut *Viperanus* loquitur, publicâ memoriâ dignæ, quæ præbeant documenta non tantùm ad vitam civilem & publicam, ſed etiam privatam bene beatéque ordinandam.

II. Secundâ regulâ pcæſcribitur *Rerum ordo*, ſeu *ordinata narratio*, & ne huc illuc Hiſtoria evagetur, ut rectè monet *Viperanus*. Audiatur laudatiſſimi Authoris hujus paraphraſis. (*d*) Declaranda ſunt actionum *principia*, *progreſſus*, & *exitus*. In principiis aperiendæ ſunt *occaſiones*, *cauſæ*, *** *conſilia*, & *apparatus*. In progreſſu fiat narratio ſuis diſtincta *modis*, *locis*, atque *temporibus*. Exitum comitentur fata, quæ è *prudentibus* con-

Rerum ordo, ac diſpoſitio.

(*a*) *Inſt. Hiſtor. f. 93. de ſcribenda Hiſt. c. 6. f. 26.* (*b*) *Dyonyſ. Halicarnaſ. epiſt. ad Pomp.* (*c*) *Juvenalis.* (*d*) *l. de ſcrib. Hiſtor. c. 7. f. 31.*

* Non enim grata ſolummodò, ùt putavit *Halicarnaſſeus*, ſed etiam ingrata ſcribenda ſunt, ſi memoratu digna: unde malè tacerentur bella Punica, atque clades *Romano* Hiſtorico. Ita *Sebaſtianus Foxius de Inſtit. Hiſt.*

** Sic erravit *Herodotus* vera fictis, Hiſtorias fabulis permiſcendo, ùt teſtis eſt *Foxius*.

*** Intellige *propinquæ*: ſic erravit *Salluſtius*, qui *Catilinæ* conjurationem ſcripturus ab Urbis origine principium ſumpſit.

confiliis; quæ è *temeritate*; quæ è *casu aliquo* obvenêre. Nec negligenda sunt memorabilia, quæ *ante rem, in re*, vel *post rem* contigêre, qualia sunt *prodigia, oracula &c.* Immò & *personæ*, & *rei attributa* præcipua sunt percurrenda: & in Personis quidem *nomen, genus, patria, disciplina, studium, liberi, propinqui, amici, conditio, honores, divitiæ*; & quæ in corpore spectantur, *ætas, forma, animique affectiones*, & *vitia*. In rebus *causa, tempus, locus, occasio, instrumenta, modus*, & alia, in quorum tractatione uti Rhetores, ita & Historici summoperè elaborent. Ita ille.

Temporum & locorum observatio.

III. Tertia *Balduini* lex est (*a*) *ut narratio, temporum & locorum notatione, illustretur.* Servit lex ista, ut vitetur confusio, rerum perturbatio, & observetur analysis, primum memoriæ firmandæ subsidium. Hanc in rem sic loquitur *Viperanus.* (*b*) *Ipse narrationis ordo naturalis erit & rectus, ut res non alitèr narretur, quàm eo, quo gesta est, modo: nec ulla res confundenda, nec prævertendus exitus rerum, cujus exspectatione Lectoris animus detinetur: sed temporum notatione, quæ priora, priora quoque collocabuntur: itaque post consilia & causas sequentur effectus* &c. Hinc si Historia actione unicâ *simplex* sit, una tantùm & eodem, quo gesta est, ordine exponetur: & ne fastidio sit, ornamentis pluribus rerum, verborúmque exornanda erit. Si actione *varia* sit, *atque multiplex*, sic rerum dispositio ordinanda, ut quæ tempore priores ex aliis profluunt, nullatenùs confundantur. * *Mel.*

(*a*) *l. c f.* 93. (*b*) *l. c. fol.* 33.

* Unde *Halicarnasseus, Herodotum* laudat, quòd res

Mel. Quæ aliæ Leges?

Leuc. Quarta *Balduini* regula eſt, ut in narratione Hiſtorica adhibeatur *Ornatus*. Hunc Authores ſtatuunt:

I. In *Hiſtoriæ partibus ritè diſpoſitis:* De exordio ita diſſerit *Viperanus:* (a) Probè ſcio, principii in Hiſtoria duo illa munera eſſe præcipua, *attentionem*, & *docilitatem*: illa acquiritur rei narrandæ magnitudinem proponendo, atque utilitatem exemplo *Thucydidis*, *Polybii*, & aliorum. Hæc habetur exponendo rei narrandæ cauſas, ſeriem, atque diviſionem; unde, qui *Xenophontis* more ex abrupto incipiunt, haud probantur. (b) In *Hiſtoriæ narratione* requirit naturalem rerum geſtarum ſeriem, expoſitionem *lenem*, *æquabilem*, ac *ſui ſimilem*, & in *catenæ morem connexam*: in ſtylo deſiderat *Verborum* curam, * *brevitatem* minimè obſcuram, *perſpicuitatem* neutiquam prolixam, *energiam* præcipuè, quæ res non

Narrationis ordinatæ ornatus.

In principio.

Narratione.

D 5 tan-

res inter ſe bellè, ac artificiosè conjungat, nec ad aliam tranſeat, priore non abſoluta. Contrà *Thucydidem* reprobat, eò quod magis tempora quàm rerum curſum obſervet: & quæ una æſtate geſta ſunt, alia narrando attingat, alia imperfecta relinquat.

* *Franciſcus Balduinus in Inſt. Hiſt. fol. 85.* hanc proprietatem non admodum videtur curare, dum ait: Hiſtoriam veram, non oratoriam declamationem expeto: quam alii verborum continuam concinnitatem, ac ſemper ſimilem perpetuæ, politæque dictionis æquabilitatem requirant, ipſi viderint: ego rerum conſtantem, ſinceram, ſimplicem, & caſtam Veritatem in Hiſtoria requiro. *Sed nempe loquitur de ſtylo oratorio, non eleganter hiſtorico.*

(a) *l. c. cap. 13. f. 55.* (b) *Idem c. 14.* (c) *Idem c. 12.*

tantùm ad aures, ſed ſub ipſos penè oculos deferat. *In fine.* Denique *in Hiſtoriæ fine* requirit *Integritatem*, ut ne omittantur eventus, neque virtutum præmia, vel vitiorum ſupplicia prætereantur. Hunc ipſum *Ornatum* ſtatuunt Dogmatici. (*a*)

Digreſſiones moderatæ. Cohortationes appoſitæ. Deſcriptionum varietas. II. In *Digreſſionum* moderato *uſu, Thucydidis* exemplo: in *Cohortationibus* Perſonarum illuſtrium, quas æque breves ac opportunas, data occaſione, *per proſopopœjam*, inducunt Hiſtorici, magno utique Hiſtoriæ ornamento. Statuunt inſuper in *amæna deſcriptionum varietate* more *Saluſtii, Livii*, & aliorum, qua nunc Nationum mores, Urbium, montium, fluminum ſitus; nunc obſidiones, prælia, triumphos, hypotipoſi tam emphatica depingunt, ut hæc omnia non tam legere, quàm ipſis oculis cernere tibi videaris. Hunc ipſum *Ornatum* ſtatuunt (*b*)

Rellatio conſiliorum, cauſarum. III. In referendis *conſiliis*, & etiam *cauſis geſtorum*, quæ quidem conjunctæ ſunt rebus narratis. Nil enim grave, aut neceſſarium omitti fas eſt: unde Veteres appellârunt Hiſtoriam πραγματικὴν, *quæ, quod narrat, diligenter exponit, & ſapienter non minùs quàm utiliter demonſtrat, dum non ſolùm eventus, ſed etiam illorum cauſas, & cum conſiliis facta deſcribit*, ut bellè notat *Balduinus*. (*c*) Et ideò hunc ipſum *Ornatum* ſtatuunt (*d*)

Sententiæ, cryſes ſobriæ. IV. *In Interponenda* quoque Scriptoris *ſententia*, ſeu *cryſi* atque judicio de tebus hinc inde

(*a*) *Idem Viperanus l. c. cap. 9.* (*b*) *Sebaſt. Foxius l. de Inſtiſt. Hiſt.*

(*c*) *De Inſt. Hiſtor. f. 47.* (*d*) *Viperanus, & Foxius l. c.*

inde ferendo. * Nam Historia, quæ vel solos eventus, vel nuda refert consilia, nec in iis subinde notat prudentiam seu temeritatem, animi magnitudinem, vel abjectionem, Historia non est, quia non est apta ad ingeneranda vitæ politioris dictamina. Qua in re observandum 1. Ut *moderatæ* sint cryses, exemplo *Sallustii* in *Catilina*. 2. Ut tam reprehensiones, quàm laudes sint breves, significatæ potiùs, quàm expressæ. 3. Ut sis ad laudandum, quàm reprehendendum proclivior, id quod & bonæ mentis, & genuini Historici indicium esse dicitur. 4. Ut si quid laudandum, vel vituperandum, meliore modo id fiat, ne adulari cuipiam, aut calumniari quempiam videaris: de *Theopompo* habet proverbium; quòd *Satyras sub Historiæ titulo scripserit*. 5. In diversis, seu contrariis Historicorum relationibus interponendum judicium, dicendúmque, quid appareat verius, exemplo

* *Dubium esse potest*, inquit *Bodinus l. de Methodo ad fac. Histor. cognit c. 4. f. 66. utrùm Historici laudare, vituperare, ac de re proposita sententiam ferre; an verò legentibus judicium integrum relinquere debeant?* Lectori relinquendum esse judicium suadet *1mò.* quia Historia est simplex rerum gestarum tabula, publico ad judicandum proposita. *2.* Quia præjudicium Historici detrahit rebus gestis, est Prudentibus suspectum, cùm sic rudium animos præoccupare velle videatur. *3.* Quia nil difficilius acuta crysi: & sanè foret ineptum, si *Phormio* aliquis, qui castra viderit nunquam, de Ducibus, quasi Arbiter datus, ferre sententiam præsumat: ridiculum, si *Aristarchus* quidam, nulla Reipublicæ dignitate, vel notitiâ præditus, *Solonis* emendare

emplo *Livii.* (*a*) Et ejusmodi cryſes, ſententiáſque vibratas, ſi aptè ac modicè, hoc eſt prudenter, *Valerii* & *Plutarchi* more interſeras, *Hiſtoriæ gemmas*, ac *lumina* vocat eruditiſſimus *Viperanus.* (*b*)

Regula quinta. Univerſitas Hiſtoriarum.

Mel. Quæ regula quinta?

Leuc. Univerſitas Hiſtoriarum. Pro hac ſtabilienda lege audiamus *Franciſcum Balduinum*, tam acutè, quàm ſolidè diſſerentem. (*c*) Nulla pars Hiſtoriæ negligenda, ſed *univerſè pervolvenda* propter *connexionem*, cùm nimiùm quantùm alteri officiat alterius connexi inſcitia. Nempe Eccleſiæ Chriſtianæ conditio ea tandem fuit, ut univerſæ Reipublicæ rationes, ſuis rationibus immixtas complecteretur. Sic Romanorum Pontificum, & Imperatorum Hiſtoria tam conjuncta eſt, ut propè *una ſit*: unde bellè de Hiſtoria dixeris, quod ille olim Juriſconſultus de navi: *ſi divides, perdes.* Neque tutò negligi

dare leges, Regum facta cenſoriâ caſtigare virgulâ attentet. 4. Quia ſuo id docuêre exemplo *Cæſar*, Hiſtoricorum Princeps; *Xenophon*, *Thucydides*, magna Hiſtoriæ Nomina, qui *Bodino* teſte Hiſtorias ferè nudas, Lectori dijudicandas propoſuêre. Ergo ſatiùs erit, narratione propoſita, ſententiam cohibere, ut ne debeas timidè judicare. Conrrà ferendam cryſin ſuadent alii *Imò.* Quia teſte *Polybio hæc eſt præcipua Hiſtoriæ utilitas, ut boni laudibus ſui ſimilium ad virtutem inflammentur; ſcelerati vituperatione deterreantur.* 2. Quia graviſſimi quique Authores de re propoſita ſententiam ferunt: unde *Agathias* nudam Hiſtoriam, vetularum nugis, ſimilem ſibi videri

(*a*) *L. 1. Deca. 1.* (*b*) *L. de ſcrib. Hiſt. c. 11. fol.* 48. (*c*) *L. de Inſtit. Hiſtoriæ univerſæ f. 45. & reliquis.*

negligi poteſt Hiſtoria extranea, neque domeſtica. Non *extranea*, ut ne turpi ignorantiâ peccemus cum *Romanis*, qui in triumphali curru hoc *Tito* ſcripsêre elogium: quòd deleverit *Jeroſolymam*, *Urbem omnibus ante ſe Ducibus*, *Regibus aut fruſtrà petitam*, *aut intentatam*: riſerit ad hæc deliria *Ioſephus*; riſerit & ipſe *Titus*. Non *domeſtica*, ut ne illud *Mucii* Jurisconſulti nobis meritò applicetur: *Turpe eſt jus ignorare*, *in quo verſamur*; cùm longè turpiùs ſit, nos & in Patria, & Domo propria hoſpites eſſe, ac peregrinos. * Ita ille.

Mel. Quæ regula ſexta?

Regula ſexta. Veritatis ſtudium.

Leuc. Sectanda Veritas, quæ *Hiſtoriæ* vita eſt, ac fundamentum *Viperano* Authore. (a) Hinc aptè *Polybius*: *Veritatem ſi quis ex Hiſtoria tollat*, *pulcherrimi corporis effodiet oculos*, *ſuccidet nervos*, *oſſa confringet*: addit *Balduinus*: *ipſam quoque animam eripiet*, *atque adeò*, *quòd dicitur*, *Solem tollet de Univerſo*. Hinc *prima* & *maxima Lex* in Hiſtoria,

omni-

deri aſſerere non dubitavit. Rationes allatas facilè elidunt præſcriptæ cautelæ: ſi laudes, ſententiæ, cryſes ſint ſobriæ, moderatæ, prudentes, ex ipſis rerum eventibus deductæ, aut etiam Peritorum ſuffragiis roboratæ.

* His confirmantur, quæ ſuprà de diſcenda Hiſtoria diximus: Nam, teſte *Polybio*, *Hiſtoria abs rerum humanarum principio repetenda eſt: & ſicut Coſmographia in exigua ſphæra Orbes cæleſtes nobis indicat*, *& brevibus tabellis globum Terræ*, Regionum *ſitum*, *effigiémque ſpectandam exhibet*, *ſic Hiſtoria univerſalis nobis in ſuperficie quamdam rerum expreſſam Imaginem offerat*. *Vide Balduinum l. cit. fol.* 31.

(a) *l. c. cap.* 10.

omnium eruditiſſimorum Hominum ſancita conſilio eſt: (a) *Ne quid falſi dicere audeat, ne quid veri dicere non audeat.* Quam tamen legem, appendice diſcretionis geminâ, limitari fas eſt. Prima advertit *Viperanum*, dum dixit: (b) *Nec tamen Hiſtoricus abſuerit à vero, ſi non omnia dixerit, dum ſummam rei aperiat.* Secunda eſt *Balduini* dicentis: (c) *Hiſtoria ſit tam ſobria, ſi rectè tractetur, ut ſit etiam caſta, neque vel oculos verecundos, vel aures offendat.* Ex quibus omnibus ſponte fluit Lex gemina, Authoris Claſſici characteriſtica.

Lex ſeptima. Sincera Integritas.

II. *Sinceritas integra*, & *ſincera Integritas*, qua nulli parti plùs æquo faveat, ſine præventione judicet, dicendum nihil, ſalva diſcretione, diſſimulet, laudanda laudet etiam in hoſte, vituperanda vituperet etiam in Amico. Verbo: qua *Veritati unicæ* calamum conſecret Interpres. Contrà indicium evidens Authoris reprobi eſt *Studium partium*, quo emolumenti proprietas, affectionis privatæ ratio, aliæque circumſtantiæ in alterutram partem inclinant calamum: ubi factis ficta adjunguntur appoſita, actiones elevantur ſplendenti fuco, in omnibus declamantur Heroës: ubi mera crepantur elogia, & noti quoque vel ſilentur, vel excuſantur defectus. Paucis: ubi Author privati commodi ſtudio, ad propoſitum ſibi finem neminem non inducere conatur.

Cui oppoſitum ſtudium partium.

Lex octava. Calamus diſcretus.

III. Altera Authoris Claſſici characteriſtica eſt *Calamus diſcretus*, & *moderatus*, qui obſervet Hiſtoriæ *finem*, quæ eſt *Utilitas*, & *Inſtitutio Lectoris*: qui turpia vel omittat, vel proferat eo decore, ut digna tenebris lucem pub-

(a) *Idem l. & c.* (b) *l. c.* (c) *l. c. fol. 20.*

publicam non offendant. (a) Qui mitiores usurpet terminos, moderati animi indices, & siquidem opus sit, vitia perstringat potiùs, quàm vitiosos. Contrà Authoris reprobi stigma est *Calamus malignus*, qui vitiorum sentinam exhauriat ad fundum, iisque coloribus depingat, ut erumpens in genas rubor sordidum cogat centonem claudere: qui obstinatâ animi pravitate, vel affectionis inordinatæ vitio actus jam est in transversum.

Cui oppositus malignus.

Mel. Quæ denique Lex ultima & Authori, & Lectori Historico observanda?

Lex nona.

Observatio reflexa ad D. Providentiam.

Leuc. Insinuat hanc eruditissimus *Balduinus*, dum ait: (b) *In Historia Divinæ Providentiæ rationem habendam esse, ut rectè spectemus res in Orbe terrarum maximas, & quidem Divinas cum humanis admirabili ordine, & ratione commixtas.* Nempe Historiæ finis *Utilitas* est, quam qui non curat, *quasi qui pulverem in ventum portat*, & qui sic *non colligit, dispergit.* (c)

Modus.

II. Quem in finem hic ipse laudatissimus Author varia suppeditat documenta. Sic cum *Livio* (d) asserit: *Hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre ac salutiferum, omnis te exempli documenta, in illustri posita monumento, intueri: inde tibi tuæque Reipublicæ, quod imitêre, capias; inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites.* 2. Sic nos cum D. *Basilio* (e) admonet, in lectione Historica, nobis omnia applicando, ita *debere nos affici, ac si nostra res ageretur.* 3. Sic Stagy-

Ad prudentiam privatam.

Publicam & Politicam.

(a) *Sebast. Foxius de Inst. Histor.* (b) *l. c. fol. 14.* (c) *Luc. 11. v. 23.* (d) *In proœmio ad Rom. Histor. citante Balduino l. c. f. 22.* (e) *Hom. 6. in hexam. Bald. l. c. f. 33.*

Stagiritæ exemplo docet: *Ex hypothesi Historica colligendam sæpè esse thesin politicam*, variáque vitæ politioris dictamina; id quod in libris Politicis fecisse Philosophum asserit, etsi tantùm in *Græcorum* Historia hæserit. (*a*)

Epitome succincta Historicarum Legum ex Cicerone.

Mel. Da succinctam Historicarum Legum *epitomen*, atque *praxin*.

Leuc. Illam suppeditat Oratorum Princeps. (*b*) *Præcepta Historiæ sita sunt ante oculos: nam quis nescit*, primam esse Historiæ legem, *ne quid falsi dicere audeat, veri non audeat?* nequa *suspicio gratiæ* sit in scribendo, nequa *simultatis*? Hæc scilicet fundamenta omnibus nota sunt. Ipsa autem *ædificatio* posita est in *Rebus* & *Verbis*: rerum ratio *ordinem temporum* desiderat, *Regionum descriptionem*: Vult etiam *consilia* primùm, deinde *acta*, posteà *eventus*; & de consiliis significari cupit, quid Scriptor *probet*; & in rebus gestis declarari, non solùm *Quid* actum, aut dictum sit, sed etiam *Quomodo*. In eventibus *causæ* explicentur vel *casûs*, vel *sapientiæ*, vel *temeritatis*. Verborum ratio sit à *lenitate quadam æquabili* profluens, *sine judiciali asperitate*, & *sine forensium sententiarum aculeis*. Ita ille.

Praxis Historicarum legum ex Sebastiano Foxio.

II. *Praxin* dat doctissimus *Foxius* (*c*) 1. *Digno* argumento proposito, seligenda quæ *vera, utilia*; resecanda, quæ falsa, frivola, adumbrata. 2. Præfigenda pro scopo *Utilitas, Veritas*: hinc deponenda partium studia; adhibendus *calamus sincerus*, *discretus* vitando adulatoria, satyrica, minùs utilia, inhonesta. 3. Res selectæ disponendæ in ordinem, haben-

(*a*) *Idem Balduinus l. 2. fol. 294.* (*b*) *De præceptis Histor. apud Bald. l. c. f. 95.* (*c*) *In l. sæpiùs cit.*

habenda temporum ratio, & locorum. 4. Stylus ſit planus, & facilis: ſervanda partium connexio, non negligenda apta ad finem, *Inſtitutionem nempe Lectorum*; qualia ſunt Principum & prudentum conſilia, Magiſtratuum decreta, Ducum ſtratagemata, bellorum cauſæ & eventus, certaminum aleæ, opportunitates locorum, temporum viciſſitudines, exempla factorum, dictorúmve excellentium. 5. Non negligendus ornatus in digreſſionibus, oratiunculis, moderatis cryſibus, ſententiis. 6. Opponenda virtutum præmia, ſupplicia ſcelerum, ut corpus hiſtoriæ integrum juſta proportione efformetur, aptúmque ſit ad *Hiſtoriæ finem*, ut *aliorum exemplo, quid tibi in vita agendum ſit, videas*, cùm præteritorum exempla ſint teſtimonia futurorum.

Veri Hiſtorici dotes.

Mel. Quænam Hiſtorici dotes?

Leuc. Multi multa requirunt. *Antonius Viperanus* (a) Virum petit *prudentem, acri judicio, & indefeſſa induſtriâ* præditum; in *dicendo gravem*, atque *politum*, & ſcientiis *penè omnibus*, certè *præcipuis*, inſtitutum. *Sebaſtianus Foxius* (b) Virum deſiderat *probum, integerrimum, optimum, eloquentem*, ſcribendo *promptum*, & *moderatum*, *in politicis verſatiſſimum*: unde cùm *Leo* (Miniſter Princeps in Aula *Gothica Toloſæ*) *Sidonium Apollinarem*, ad ſcribendam ſui temporis Hiſtoriam hortaretur, is prudenter repoſuit: Tu meliùs hoc præſtabis, *quem conſtat Virum prudentiſſimum, ſummis dotibus ornatum, & Gentium motus, & Legationum varietates*;

E tes;

(a) *l. c. cap.* 17. (b) *De Hiſtor. inſtit. f. m.* 83.

tes, & cuncta denique publicarum rerum secreta noscere.

II. *Quapropter*, ùt afferit *Viperanus*, (*a*) *reprehendendus quorumdam mos est, qui hoc scribendarum rerum munus, non quasi onus grave, ùt est certè, sed veluti præmium exigui stipendii, honorísve causâ alicui concedunt.* Unde non immeritò exclamat *Balduinus* (*b*) de Scriptoribus frivolis, qui apud Acatholicos hoc tempore, penè fungorum more, per noctem pullulant; *Utinam! edicto perpetuo homines inepti, futiles, vani, atque etiam instabiles, & quibus nulla alioquin testimonii dictio est, repressi fuissent* (& etiamnum essent) *tantum sibi ne arrogarent, ut rei & maximæ, & nobilissimæ, sanctissimæque manus illotas, impurásque injicere auderent.*

Officium non contemnendum.

INSTRUCTIO VI.

De Selectu Authorum, & formanda crysi in legendis Historicis pro Academico studio.

In Historico studio attendendus præcipuè selectus Authorum.

MElander. Quid in Historico studio præcipuè advertendum?

Leucotheus. Selectus Authorum: Non quivis sine discrimine est legendus à quovis: multos non inutiliter volvit virilis ætas, quos absque periculo, dispendióve haud volveret Juventus. Vitandus huic præcipuè Acatholicus calamus, qui plerumque sub eruditio-

(*a*) *l. c. f. 38. alterâ facie.* (*b*) *l. sæpè c. fol. 117.*

ditionis velamine instillat virus. Legendi sunt Academicæ ætati Historici, sed cum judicio Prudentum: nam constat magnam partem esse scientiæ, inscitiam multorum.

II. Unde in Historico studio necessaria *Crysis* est, qua sine probi Authores cum reprobis, falsitas æquè ac Veritas, pari Authoritatis passu, incedent. Porrò *ad formandam crysin* servient Leges Historicæ, suprà declaratæ eum in finem, ut ex illis, veluti totidem characteristicis, Authores genuinos à spuriis, falsitatis fucos à Veritate, tanquam pretiosum à vili, discernere valeamus.

Crysis ex Historiæ legibus formanda.

Mel. Quotuplex igitur adhibenda cautela in Historico studio?

Cautela triplex circa formandam crysin.

Leuc. Triplex: *prima* serviet, ut dignoscas Authores probos à reprobis. 2. Ut dignoscas facta vera à falsis. 3. Ut secernas partus genuinos à spuriis, & suppôstis.

Mel. Quæ observanda statuis in selectu Authorum?

Selectus Authorum: in eo observanda Quæ? Historici dotes.

Leuc. Etsi Authore *Polybio*, *difficillimum sit, sapienter judicare de Scriptoribus Historicis*, communi tamen sententiâ * præferendus est Author, qui *Historiæ legibus conformis*; & præter *naturæ dotes*, habet *studium ingens*, nec minorem *rerum experientiam*, modò calamum nulla præpostera libido rapiat in transversum. Hæc qualitatum trias di-

 visim

* Dicimus, quod dixit *Bodinus l. de Methodo ad facilem Histor. cognit. c. 4. fol. 54.* Neque de Scriptorum delectu ipse judicium ferre velim (est enim hoc majoris artis, atque ingenii) sed conjecturâ quadam, & argumentis ad assentiendum probabilibus utor.

viſim in pluribus; collecta in uno rariùs invenitur: rariſſimè, ut Author à Coævis quoque calculum ferat, nec ſcripſerit inductus famæ rumuſculis, ſed inſtructus Principum arcanis monumentis.

Sincera Integritas.

II. Præferendus Author, quem *ſincera integritas*, nullumque notat *partium ſtudium*: Unde in *Livio* culpantur nimiæ Romani Populi laudes, comparationes cum Gentibus aliis, exaggerationes: *Viperano* teſte hoc vitium peculiare totius *Græciæ* fuit; & niſi fallantur multi, etiam *Galliæ* quandoque adhæret, quam aliàs Hiſtoriæ politioris nutricem ſedulam meritò veneramur. Aſſentator animus ipſis ſæpè, quos nimium laudat, Heroibus diſplicet: Sic *Alexander Macedo Ariſtobuli* librum, ubi multa de clade illata *Poro* finxerat Adulator, velut adulterinum partum in undas projecit, dicens: *eâdem pœnâ dignum eſſe Authorem.* (a) Sordet calamus privatis commodis conſecratus: talis erat *Aretini (b)* qui ſi quem laudabat, id quod faciebat invitus *Bodino* teſte, *ab eo quoque ſe muneribus affectum gloriabatur.* Talis erat *Gregorii Leti*, qui mortis ſubeundæ metu, cunctis *Europæ* Principibus calamum venalem obtulit, promiſitque immortalitatem, ſi modò mortalitati ejus ſuccurrerent.

Calamus diſcertus.

III. Præferendus *diſcretus calamus*; *malignus* omni ſtudio, Juventuti præcipuè, fugiendus. Talis erat *Lampridii*, & *Suetonii*, qui Imperatorum flagitia tam graphicè depinxêre, ut ea non tam narrâſſe, quàm docuiſſe videantur. Quòd ſi per calamum *malignum*, obſtinata calumniandi pravitate imbutum

(a) *Viperanus l. 6. c. 10. f. 44.* (b) *Bodinus l. c. f. 65.*

butum notes, hoc reprobi Authoris ſtigma, Heterodoxis noſtri temporis Hiſtoricis, inuſtum ſæpè ſæpiùs deprehendes. Nam etſi ſæpè quò ad ſubſtantiam minimè mali, nec quò ad methodum illaudati, * ſunt tamen non raro peſſimi in fundo, eò quòd vel *maligno dente* Principes orthodoxos, præprimis Eccleſiaſticos, perſtringant; vel *maligna mente* enarrent facta; vel *malignis ſaltem obſervationibus* corrumpant totum, plúſque Juventuti Catholicæ noceant, quàm proſint. Qui quando attingunt ſummum Antiſtitem, vel Eccleſiæ Romano-Catholicæ Hierarchiam, mox calamum acuunt, acutum intingunt felle, duriores terminos eructant, niſi verè laudant, dubia maligniùs interpretantur, omnia in præjudicium afferunt, quæ poſſunt; immò quæ non poſſunt: nam etiam fabulas, in fimetis Hollandicis dudum putridas, effodere non verentur. Verbo: qui Eccleſiæ Romanæ Satyricos agunt potiùs, quàm Hiſtoricos; quibus, quod *Aventino* factum legimus, omnes *Europæ* Principes, ſaltem Catholici, penſionem etiam liberalem jure promitterent, non ut ſaniùs ſcriberent, quod vix ſperandum; ſed ut de illis, & Eccleſia Orthodoxa ſaltem tacerent, nec Juventuti impoſterum ſcandalo forent, & offendiculo.

IV, Præferendi denique Authores *contemporanei*, & *antiquiores*: quia quò pro- *Antiquitas coæva.*

 piores

* Inter Acatholicos eſſe Hiſtoriæ Cultores ſedulos, Authores eruditos, & ſi Hiſtoriam Eccleſiaſticam excipias, ſua laude non defraudandos, nemo peritus facilè diffitebitur: nec in Hiſtoricis locum habere videtur illud, quod in moralibus uſurpamus: *Bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu.*

piores, eò magis idonei sunt rerum testes. Ita statuit *Balduinus*, dicens: *(a)* seligantur tales, *quorum justa, & gravis est Authoritas: primòque loco primos quoque, quos secuti posteriores sunt, legendos censeo: & quid ijs alij deinde assuerunt, discernendum esse statuo. Sic antiquissimos primò, pòst verò, ut quisque illis proximus ætate est, suo quemvis loco & ordine, si hoc Auditorio non sit indignus, audiri, & quod priori addiderit, observari cupio.*

Cautelæ pro reservendis dubiis.

Mel. Quænam cautelæ serviunt ad resolvenda in Historiis dubia, veráne, an falsa sint, quæ referuntur?

Leuc. Plures in Dogmaticis passim reperies. Inter præcipuas assignat *Bodinus*

Discretio matura.

I. Non cuivis, Authori credenda leviter omnia, nec etiam omnia pertinaciter deneganda. Simus in lectione Historica, quales cupit *Philosophus*: *qui neque pueri, neque senes*; hoc est, qui ad credendum neque *nimiùm faciles*, neque *nimis difficiles*. Juventutis est error, fabulæ instar explodere, quod est alienum ab iis, quæ initio didicit. Multa in Historiis probabilitatis sphæram non superant; unde eruditi Lectoris est characteristica, *posse nonnunquam prudenter dubitare*.

Circumstantiæ rei narratæ.

II. *Langletius* asserit *(b)* & ex circumstantiis rei, quæ refertur, & ex adjunctis Authoris, qui refert, decidendum esse sæpiùs dubium. Non sola verisimilitudo, aut rei possibilitas sufficit, nisi aliunde factum sufficienti pondere roboretur. Nec *semper* servit pro argumento Authorum *silentium*, etsi

(a) *l. c. fol. 84.* (b) *Il methodo per i studiare la Storia.*

etsi fuerint coætanei: nec semper attendendus est *numerus*, sed *meritum Authorum*. Sic teste *Bodino* (*a*) viginti propè Historici Ducem *Aurelianensem*, ob læsæ Majestatis crimen, *Lutetiæ* supplicio affectum scripserunt, cùm tamen eundem anno pòst trigesimo, quàm ab *Anglis* captus esset, in *Galliam* rediisse, & feliciter obiisse constet. Sic, etsi sexaginta Authores *Joannem* Pontificem, fuisse fœminam partim scripserint, partim descripserint, nemo unus credet, postquàm *Blondellus*, Protestantium Alpha, tam solidè fabulam hanc confutavit. Id tamen negari nequit, Historiam, etsi non satis credibilem, si tamen tot testes habeat, ut refelli minimè possit, magnum præseferre argumentum Veritatis *Bodino* Authore. (*b*)

Meritum Authorum.

Subinde numerus.

III. In iis, quæ spectant traditionem, potiori habenda fides Historicis, rei factæ contemporaneis, vel iis, qui propiores illi sæculo vixêre. Unde nulla fides Historiæ, quam in lucem protrudunt Recentiores, si nec inter illos, nec inter Antiquos conveniat pluribus in circumstantiis. Neque ullius ponderis sunt illæ Historiæ, quarum Author obscurus, anonymus, vel ficto nomine insignitus, si rationi, & traditionibus Antiquorum receptis oppositæ videantur. Ita *Langletius*.

Coæva authoritas.

IV. Si *Balduino* fides, quò posterior, magisque nova est antiquæ rei narratio, tantò mendosior esse solet: nam sicut fama, quò longiùs progreditur, longiùs recedit à vero, plúsque colligit vanitatis: sic & persæpè Historia, quæ à pluribus repetita variè spargitur, tandem in fabellam degenerat. Quòd si tamen, quæ *Bodini* est animadversio,

Antiquitas.

(*a*) *l. c. fol. 61. & 62.* (*b*) *l. c.*

Subinde novitas.

sio, (*a*) Scriptores in re quapiam inter sese dissentiant, posterioribus potiùs est danda fides, si argumentis opinionem suam ritè stabiliant: *Est enim ea Veritatis natura, ut non nisi diuturno tempore eruatur in lucem.*

Indifferens animus.

V. Cavendum insuper, eodem *Bodino* teste, ne Authori de amicis laudabilia; de hostibus turpia scribenti, temerè assentiamur: contrà minimè dubia est eorum fides, quæ de hostibus gloriosè gesta ipsimet non diffitemur. Neque fidem merentur mera elogia, cùm sine maculis in Orbe *Phœbus* non luceat: sic *Eginardus Carolum M.*; *Eusebius Constantinum*; *Staphylus Carolum V.* iis laudibus cumulârunt, ut Oratores, non Historicos agere videantur. (*b*)

Bonitas, saltem respectiva.

VI. Denique, ùt æque graviter ac sapienter *Tullius* admonet, *propter aliquod vitium, vel errorem, non abjiciendos statim esse Historicos.* Nam, ex *Balduini* mente (*c*) vix ulla erit Historia, cui non aliqua fabula, tanquam labes, aspersa sit. Sed nempe aliud est, studiosè fabulam fingere; aliud, absque culpa quidpiam interdum affingere. Unde in lectione Historica judicio opus est, ac delectu, ut neque confusè (quod quidam faciunt) vera cum falsis repudiemus; neque rursus temerè falsa cum veris, nullo discrimine, amplectamur.

Indicia librorum suppositorum.

Mel. Quænam indicia partûs genuini, atque apogryphi, vel suppôsti?

Leuc. D. *Augustino* teste, (*d*) inter apogryphos recensendus est Author, qui affert facinora vel in se, vel in circumstantiis Historiæ

(*a*) *L. c. f.* 63. (*b*) *Idem l. c. f.* 58. (*c*) *l. c. f.* 65. 69. 73. (*d*) *De Civit. DEI l.* 18. *c.*40.

riæ ſacræ contraria. 2. Indicium partûs ſuppoſititii eſt, ſi tribuatur Apoſtolis, Patribus primi ſæculi, etſi hoc tempore fuerit ignotus, vel ab his inter apogryphos numeratus. 3. Quando fit mentio de Perſonis, ceremoniis, conſuetudinibus, hæreſibus, doctrina, terminis, qui longo pòſt primùm tempore deducti in uſum ſunt. 4. Cùm reperire eſt anacroniſmos, fabulas, aniles nugas, aliáque indigna Authoribus, quorum nomina circumferunt hi abortus. 5. Quando cum genuinis diſcrepant in ſtylo, methodo &c. 6. Cùm pluribus tribuuntur, ab authentico & originali degenerent, vel dicant contraria iis, quæ dixêre Authores, quibus affinguntur, vel quorum inani nomine gloriantur. Ita *Langletius de Frenoy*.

Error Juventutis in ferendæ cryſi.

Mel. Quis plerumque error ab Hiſtoriæ Candidatis committitur in ferenda cryſi?

Leuc. Quòd cùm contraria legant in Authore alio, mox præpropera cryſi priorem Scriptorem, damnent. Ignorant nempe, quòd in Hiſtoriis incerta multa, controverſa plurima, & hos illorum, aliorum alios ſequi mentem, atque opinionem. Sic ſi in Authore aliquo legant, *Saleucum Locrenſium* fuiſſe Legislatorem, non illicò falſitatis, & ignorantiæ reum Authorem agant: nam etſi *Timæus* id neget, ſunt tamen plures, qui id affirment. Sic *Nemrodum*, & *Belum* alii diverſos; alii eundem fuiſſe hominem aſſerunt. Sic ſi diverſa legant in Hiſtoriis tempora, ſciant, hunc iſtos, alium alios ſecutum Chronologos, quorum quot capita, tot penè ſententiæ, ùt alibi demonſtrabitur.

Cryſis de Hybneri opuſculis.

Mel. Quæ de *Hybneri* opuſculis ferenda cryſis?

Methodus Juventuti accommodatissima.

Leuc. Qui inter Catholicos Historiarum periti, sic sentiunt. *Methodus*, sive eam ingenio proprio, sive, quod alii volunt, inventioni Gallicæ debeat, tam est laudata, quàm est accommoda, est autem accomodatissima. Nam *per analysin* sic instruit Juventutem; divisione pro cujusvis captu tam clara & facili, ut hac ex parte Laudatores non solùm plurimos numeret, sed etiam imitatores mereatur, quos inter nos quoque lubentes profitemur. Scio, non deesse, qui compilatorem potiùs, quàm Historicum nominent: sed hi non cogitant, plurima ab hoc Authore lecta, ut pauca essent selecta ad Juventutis commodum, atque capacitatem. Ego sic sentio, Hominem in erudienda Juventute non minùs indefessum, quàm insigniter felicem, cujus claritatem facilem, clarámque facilitatem citiùs quis admirabitur, quàm imitabitur.

Caterùm calamus Juventuti periculosus.

II. Quòd si, sepositâ methodô, *Hybnerum* spectem, *perniciosum* nolo, in omnibus nequeo, *periculosum* Juventuti debeo dicere. Quàm sit discreta hæc crysis,

Primò. Quia non sat discretus.

Demonstrat I. *Non sat discretus* hinc inde Authoris calamus. Nam apparet, quòd de industria subin ea Historicis quæstionibus aphrodisia inserat, quæ sive vera, sive falsa, cautiùs sileret ille, qui Juventutis Magistrum in fronte se profitetur. Certè eruditiones est legere, inspersas hinc inde velut Juventutis illicia, quæ illiberaliùs olent *Cyprum*, quàm ut deceat hominem tam eruditum, & pro Juventutis commodo tam studiosum.

Secundò. Quia in Religionem Catholicam nimis malignus.

Demonstrat II. Calamus, cæcâ nimiùm aversione in Religionem Romano-Catholicam præventus. Hìc ego ad eruditi Orbis

Orbis, etiam Acatholici, judicium appello, & mentiar, nisi hac ex parte *malignum* in *Hybnero calamum* cordati quilibet criminentur. Non enim, reor, omisit facilè Authorem, malignitate styli in Religionem Catholicam famosum, è quo ille non corraserit fabulas, & refutata dudum mendacia, solertíque nimiùm fervore in suis opusculis, veluti epitome, Juventuti obtruserit. Taceo, quòd subin etiam de suo malignas assuat cryses, & vix unquam negligat in Religionis nostræ Antistites stringere malignum dentem. Placebunt ista haud dubiè, sed non nisi Heterodoxis, iísque tantummodò rudibus: nam qui inter illos (ùt est pars sanior) liberaliùs tincti eruditione Historicâ, ejusmodi scommata, confutata toties, nec rarò ab ipsismet Acatholicis, si non aversantur, saltem non probant, risúque fabularum instar exsibilant.

III. Idem judicium est ferendum de Authoribus aliis Acatholicis, qui varia Historiæ elementa, compendia, paradigmata pro instituenda Juventute protruserunt, & protrudunt in publicum. Tales sunt, quos præ manibus habemus, *Sleidani*, *Bunones*, *Hogelii*, *Rhotii*, *Christiani Matthiæ*, *Puffendorfii*, *Struvii*, *Hederichii*, *Effigii*, aliíque Anonymi, non tot quin plures, qui *Hybneri* Anteambulones, vel saltem pedissequi compilatores, non sat discreto, maligno, atque adeò Juventuti Catholicæ periculoso calamo in eandem petram scandali impingunt. *Idem judicium de Authoribus aliis Acatholicis.*

Mel. Ostende sis in exemplo, qua ratione ejusmodi Scribillatores Juventuti Catholicæ judices periculosos. *Exemplum periculi.*

Leuc. *Hybnerum* quod spectat (nam de aliis idem judicium) non equidem adultæ

ætati

ætati foret invidendus hic Author, eruditione plenus: hæc enim facilè diſtinguit pretioſum à vili, capitque genus quoddam illicii, cùm legit calamum inaniter latrantem: ſed quòd ejuſmodi fucatæ merces Juventuti offerantur venales, id ſanè dolendum. Fac enim Acatholica Juventus terat *Hybneri* folia, uti in vitium eſt flecti facilis hæc ætas, ſic cum lacte ſuget in Religionem veram Authoris averſionem, utut non niſi fabulis, & calumniis nixam, quam tamen nulla ampliùs corrigere ratio poterit. Quòd ſi Juventus Catholica incidat in hunc Authorem, non credet omnia, dubitabit tamen de multis, aliquibus etiam aſſentietur, & ſic jam hærebit aculeus, utinam non ſæpè profundè nimiùm infixus!

Præcavendum Quomodo?

II. Huic periculo ut qualicunque demum ratione præcaveremus, Inſtitutionibus aliis mentem adjecimus, ubi inſiſtentes methodo *Hybnerianæ*, Hiſtoriam Juventuti Catholicæ accommodamus, omiſſis, quæ *diſcretus* reſpuit calamus, & *refutatis* breviter iis, quæ *malignior animus* inſperſit: ſic Acatholica Juventus dedocebitur errorem; Catholica diſcet veritatem; utraque ex *Hybneriana* methodo optatam trahet utilitatem.

Error Parentum, & Inſtructorum in tradendo Juventuti Catholicæ Hiſtorico ſtudio.

Mel. Quis plerumque error Parentum, & Inſtructorum in tradendo Juventuti Catholicæ Hiſtorico ſtudio?

Leuc. Quòd illi plerumque pro lectione obtrudant Compilatores ejusmodi Acatholicos, quos in multis bonos, periculoſo tamen nimiùm ſtudio, paſſim manibus terit Juventus. Hoc auſim dicere, multos eſſe Authores in librorum prohibitorum catalogo, qui tertiam parte minùs noxii *Hybnero* aliisque ſuprà nominatis Authoribus, ac Hiſtoricis Acatholi-

tholicorum compendiis, qui impunè vagantur per Juvenum manus; quibus quàm facilis hæreat afflata lues, utinam nulla nobis fuisset, vel foret imposterum tristis experientia!

Adjumenta in conscribendis Historiis.

Mel. Quæ adjumenta usui esse possunt in Historico studio?

Leuc. Hæc non tam spectant Tyrones, quàm in arte Magistros. Sunt autem 1. *Monumenta* Principum, & arcana authentica, ex Aularum tabulis extracta. 2. Documenta *ex litteris*, illorum præsertim, qui rerum fuerant Administri, de quibus scribunt: talia hausimus ex litteris S. *Cypriani*, *Augustini*, *Hieronymi* &c. 3. Instrumenta circa negotiationes, & tractatus Pacis. 4. Annales scripti, aliáque manuscripta, & scripturæ Authenticæ, quæ Familiarum, Conventuum &c. Historias continent, nec modicam sæpè affundunt lucem. 5. Inscriptiones, & numismata authentica, quæ maximè Chronologiam illustrant. 6. Panegyres, orationes funebres, non tam utiles ob eventus, quàm ob eventuum chronologicam seriem. Addunt alii relationes privatas, satyricas, jocosas &c. quæ quia levissimi ponderis, nec Juventutis scopo admodùm utiles, meritò hic omittuntur.



ELEMENTUM PRIMUM,
SEU
PARS PRIMA
HISTORIÆ UNIVERSALIS,
COMPLECTENS
SUCCINCTAM NOTITIAM
HISTORIÆ SACRÆ,
TAM VETERIS QUAM NOVI TESTAMENTI,
Præcipuè
Pro
STUDIO ACADEMICO
ROMANO - CATHOLICO,
SUBIN PER SPECIALEM SELECTUM
JUVENTUTI QUOQUE GYMNASTICÆ
ACCOMMODATO.



INGOLSTADII,
Sumptibus JOANNIS ANDREÆ de la HAYE, Bibliop. Acad. Anno 1728.

PROLOQUIUM.

I. SAcram Hiſtoriam, quæ Mundi exordia, Populi electi fata, Teſtamenti veteris tranſitum, novique ſucceſſionem commemorat, Hiſtoriarum omnium eſſe Matrem, neceſſitate primam, dignitate præcipuam, rerum amœnitate jucundiſſimam, eventuumque varietate ſummè mirabilem, nemo unus negaverit, cui vel unica ſanioris cerebri ſcintilla micat in capite. Sciat Juventus, hanc eſſe baſim Hiſtoricæ fabricæ, qua ſine tota corruat, neceſſum eſt. Hujus elogia texere, periſſologiæ vitium foret, eſt enim ſupra elogium Hiſtoria illa, quæ digito DEI ſcripta, ipſa Veritate Divinâ nititur, & Sancto Spiritu, tanquam Authore, gloriatur.

Sacra Hiſtoria reliquarum Princeps, ac Baſis.

II. Hanc pro primo Elemento proponimus, cùm quia Mundo coæva, tum quia accommodatior nulla, quæ ſuaviore illicio, ad delibanda Hiſtoriæ fluenta, Juventutem invitet. Accedit Acatholicorum exemplum, æmulatione noſtra neutiquam indignum. Videas ab illorum Didaſcalis, Ætati vix ablactatæ, in amœnitatis cyatho mox propinari jucundiores ſacræ Hiſtoriæ fontes, ut ſic Verbi Divini notitiam (utinam incorruptam!) jam à teneris hauriant. Imò videas exprobrari nobis, non ſine ſtomacho, quòd Divini Verbi oracula, veluti ſtrophiolo involuta, non niſi doctis Scholarum exedris evolvenda demus, & tenellæ Ætati pabulum ſubtrahamus.

Elementum primum propter antiquitatem, amœnitatem.

mus. Sed errant, errorem confutante hoc ipſo opuſculo, quo Divinæ Scripturæ paſcua, prudentiùs reor, quia cautiùs, Juventuti pandimus, cùm ſynopſin hiſtoricam ſic eidem communicamus, ut abſtruſiora, Eccleſiæ Judicio, reſervemus, nec cujusvis lippi, vel tonſoris arbitrio relinquamus.

Tradendi modus ab Hybnero diverſus.

III. Tradendi modum quod ſpectat, præter morem ab *Hybnero* (circa rerum analyſin ſemper felici) paululùm recedemus. Tradit ille quinquaginta duas Hiſtorias è veteri, totidem è Teſtamento novo ſelectas: uſurpat Scripturæ verba, linguâ, ùt Acatholici ſolent, vernaculâ: ſubin prudenter, ut Ætatis tenellæ *memoriam* juvet, dividit Scripturæ ſenſum per appoſitas quæſtiones, **deitliche Fragen.** *Pro Intellectu* ſubnectit cuivis Hiſtoriæ tres Doctrinas Morales, **nuzliche Lehren/** eo pietatis ſenſu, ut à *Beato Luthero* (ſic enim nominat pro devotione privata hunc quintum Evangeliſtam) plerumque abſcedat plurimùm, Veritati catholicæ ſæpe accedat multùm. Denique *Voluntati* ſuggerit quoque propoſita, & affectus, **Gottſeelige Gedancken /** quos illigatos metro, Juventuti ſuæ, canticis aſſuetæ, inſtillat ſuaviter. Qua in methodo, ſi Ætati ſolummodò tenellæ, catecheſis inſtar, inſtillanda foret ſacra Hiſtoria, & ipſe ſequerer Ducem, in Juventute erudienda non infelicem. Sed quia univerſalis Hiſtoriæ proponenda mihi Idea, & quidem pro ſtudio præcipuè Academico, præplacet methodus, quam tenet alibi, cùm Populi electi deſcribit fata: cujus epochis inhærendum utcunque, ſic tamen, ut quæ ille attingit citando, nos Juventutis gratiâ fuſiore calamo deſcribamus, ut ne querela Acatholicis ſuperſit,

Hiſt. univerſ. l. 1.

perſit,

persit, quasi Divinum Verbum adultis celaremus, Juvenibus prohiberemus.

Idea Elementi primi.

IV. Hinc Ideam opusculi sic habeto: dabitur 1. Historica series, chronologicâ methodo per septem epochas, vel si mavis, ætates Mundi divisa, ad usque Gentis Judaicæ dispersionem. 2. S. Scripturæ verbis, *Hybneri* exemplo, non referemus historicam seriem, cùm ob reverentiam Divini eloquii, tum ad evitandam prolixitatem: sic nempe Juventuti accommodandus est calamus, ut ne sterilitate, nimiùm succinctâ, absterreatur, nec rerum copiâ obruatur. Sunt Academici Auditores, quibus non displicebit paraphrasis fusior: sunt & in Gymnasiis nonnulli, quibus propitia magis ridet in capitolio Pallas; habebunt isti, quod optant, pleniorem nempe notitiam, quàm quæ Ætati huic *communiter* & sufficere posset, & etiam deberet. 3. Instructionibus singulis, more nostro, subjungemus observationes politicas, polemicas, & morales, ea tamen sobrietate, quæ *Historiæ finem, legendíque modum* doceat breviter, meliori indagine à quovis fusiùs assequendum. 4. Subjungetur quædam notitia è Geographiæ, Genealogiæ, ac Chronologiæ principiis petita, sive ad intelligendam meliùs, sive ad fortiùs retinendam sacram Historiam. Addetur specialis selectus pro Juventute Gymnastica, quem pro artificiali memoria in ligatam epitomen, exemplo P. Buffier, contrahemus.

Modus utendi pro Instructione Juventutis Gymnasticæ.

V. Illud obiter monitum Lectorē velim, finē duplicem esse, quo exarata hæc elementa: 1. Ut pro studio Academico serviant. 2. Ut ad usum Juventutis Gymnasticæ à quovis sint facilè accommodanda. Hinc maluimns fa-

ȼta referre integra, nec minutis quæſtiunculis, identidem interpolata: nam uſus docet, quòd narrationis filum, ſæpius abruptum, adultiorem Ætatem vel confundat, vel ſaltem fatiget. Quòd ſi cuipiam placeat memoriæ tenerioris Ætatis per repetitas quæſtiones conſulere, is nullo negotio hiſtoricam ſeriem, quæſtionum pluralitate, velut anatomicè eviſcerabit.

Quæſtiones Dividendæ in quæſtiunculas.

Exemplo ſit prima Quæſtio de Mundi Creatione, ubi quæret Melander: *A quo, & quomodo creata hæc viſibilis machina, quæ uno verbo dicitur Mundus?* *Reponet* Leuchoteus: *1. à DEO: hic enim Deitate unus, Perſonis trinus, Patre nempe, Filio, & Spiritu Sancto, 2. ab æterno per ſe ipſum ſubſiſtens, & in ſeipſo exiſtens. 3. Creavit in tempore Cælum & Terram, ac quidquid continet hic viſibilis Mundus. Et creavit quidem 4. ex nihilo, ſolo VERBO, 5. puta Divino Filio, non temerè 6. ſed infinitâ hac Sapientia 7. ad ſuam Gloriam. Creavit non neceſſariò, non in momento, & ſimul, quod potuiſſet, 8. ſed liberè, 9. ſex diebus. 10. & eo ordine, quem judicâr at fini huic convenientem.* Jam ſi Inſtructorum quiſpiam Diſcipulo, enucleatiùs imprimere cupit hanc quæſtionem, ille facilè dividet in decem, & plures quæſtiunculas clariores (quas *Hybnerus* deutliche Fragen) ſacróque contextui ſubjungit, ſimili methodo: 1. à quo Creatus hic Mundus? 2. An non Deus ante hunc Mundum, & ubi? 3. Quando creavit, & quid? 4. Ex quo creavit, per quid? 5. quid intelligis per Verbum? 6. quomodo creavit? 7. & cur? 8. an non neceſſariò? 9. an in momento? 10. Quo ordine? Quas quæſtiuncularum minutias ſi, multorum more, explicatiùs hic appo-

apponerem, Elementum hoc saperet Catechismum Historicum, quæ legendi, discendique ratio *Juventuti Academicæ* si non molesta, saltem minùs foret accommoda.

Hunc ipsum ob duplicem finem & illud quoque advertas velim, fusiore calamo apponi plura, solis Academicis propria. Quæstiones subtiliores, magisque controversæ, animadversiones Politicæ, Polemicæ, & quidquid ultra prætextam, illicia sunt, quæ Academicis parata, ab incapacibus sunt omittenda, utpote nullo in margine versiculo notata. Imò cùm variis conveniant varia, & propè singuli diverso vasculo hauriant *Castalim*, pro singulorum capacitate selectum tutiùs Instructorum arbitrio relinquemus,

Rerum copia Discipulorum capacitati accommodanda.





CAPUT PRIMUM

DE I. EPOCHA

Ætas I. Status Patriarcharum ante Diluvium.

A Creatione Mundi, usque ad Cataclysmum per annos 1656.

INSTRUCTIO PRIMA

Universalis Notitia de Libris S. Scripturæ Veteris Testamenti.

Libri Initiò Quales?

MElander. Qualis initiò liber Protoparenti à DEO datus, ut legeret Creatoris Divinitatem, sibique colligeret regulas ad vitam rectè instituẽdam accom̃odas?

Aspectabilis Mundus

Leucotheus. Duplex: *Exterior* unus, *interior* alter. Illum aperuit in hoc, quem oculis cernimus, universo terrarum Orbe, cui veluti amplo volumini, characteres suæ Divinitatis sic impressit, ut D. *Augustino* teste, cæcus sit, qui non legat debita Creatori suo obsequia. Hunc scripsit in corde, rationis lumine sic illustrato, ut quivis facilè legat conscientiæ bonæ dictamina, quibus totidem veluti regulis, vitam suam ad rationis normam componat.

Lumen rationis.

Mel.

Mel. An erat sufficiens homini hic duplex liber, ut duceretur ad Creatorem, essetque beatus semper?

Quales post lapsum?

Leuc. sufficiebat abundè, si modò mansisset in statu gratiæ, in quo erat creatus. Sed postquàm peccando excidit originali Justitiâ, Intellectus mox obscuratus est ignorantiâ, Voluntas fracta infirmitate, ut adeò ad discutiendas has tenebras nova librorum luce fuerit opus.

Mel. Quinam hi libri?

I. Scripturam

Scriptura Sacra quid?

Leuc. Comuni vocabulo *Scripturam sacram* appellant. Est hæc, teste *M. Gregorio*, (*a*) Divina prorsus Epistola, per suos Interpretes à DEO scripta ad Hominem, in qua voluntatis suæ beneplacita manifestat, normam vitæ præscribit, stabilitque nostræ fundamenta Religionis. Verbô est epitome, quæ docet nos bene vivere, rectè eredere, beatè mori. Dicitur *sacra*, quia assistentiâ Divini Spiritûs dictata, scriptáque per Organa, diviniore afflatu animata, Prophetas nempe, atque Apostolos. Dicitur βίβλιον, hoc est *Liber* per excellentiam, quia hujus intuitu, nullus in Orbe liber, quem dignum hoc nomine judicemus.

II. Sacram

Cur Sacra?

III. Seu Biblia

Biblia quare?

IV. Testamentum, & vetus atque novum veteri jam nomine dicunt.

S. Scripturæ Divisio prima

Mel. Quæ præcipua Scripturæ S. divisio?

Leuc. Illa, quæ facta ab Apostolo Gentium, *in Testamentum vetus*, & *novum*. (*b*) *Testamentum* vocat, quia continet fœdus, quod DEUS pepigit cum *Abrahamo*, ejúsque Posteris, quos sibi selegerat *hæredes*: cùmque illud *testatum* voluerit per circumcisionem, & sacrificia, dudum abolita, *Testamentum vetus* meritò appellatur.

V. Quinque Libri & Quadraginta, noto ordine classes effor-

Mel. Quot libri Veteris Testamenti?

Leuc. Quadraginta quinque, quos in quatuor classes dividere Authores solent. I. Continet

 Legem.

(*a*) *l. 4. ep. 39.* (*b*) *Gal. 4. 24.*

mant Quatuor. Libri S. Scripturæ VI. Nam Legem prima. I. libros quinque. Dicitur Lex, seu Pentateuus. Memoratu digna De libro Genesis Quæ? Liber Genesis ordine 19.

Legem. II. *Historiam.* III. *Dictamina Sapientiæ.* IV. *Prophetas.*

Quot? Classes Quatuor.

Mel. Quinam pertinent ad *I.* P*artem* Testamenti Veteris, quam dicunt *Legem?*

Leuc. Primi quinque: nempe *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*, quos uno nomine *Pentateuum* Græci, hoc est *quintuplex volumen*; *Hebræi Thora* seu *Legem* simpliciter appellant, eò quòd lex *Moisi* data in *Sina* monte sit pars illorum præcipua, ut adeò tota denominatio à lege meritò desumatur.

Mel. Quæ memoratu digna de libro *Genesis*?

Leuc. I. Nomen: Græcis dicitur *Genesis*, seu *Origo:* Hebræis *Berescht*, hoc est *In principio*, Genesis quidem, quia narrat Mundi Natales; *In principio*, quia hæc initialia verba, quibus Hebræi pro more libros suos baptizant.

Divisio. synopsis.

II. Devisio in 3. Partes, earúm-que *synopsis*. Nam prima Historiam continet à Mundi origine usque ad Cataclysmum. Secunda à Diluvio usque ad *Abrahamum.* Tertia ab *Abrahamo* usque ad *Josephi* fata in *Ægypto*. Quæ omnia periodum annorum constituunt 2400. circiter.

Author Moyses. Circà A. M 2514

III. *Author* est Moyses, qui in deserto primus Mundi Historicus, *Philoni* primus Legislator, intellige Legislatoris primus Interpres: nam unus Legislator est DEUS *Augustino* teste.

De Mundi exordiis Notitia unde? à D. Spiritu.

Mel. Unde *Moysi* notitia de Mundi primordiis, cùm post viginti, & quinque sæcula primùm scripserit Sacram Historiam?

Leuc. Notitiam habere potuit, 1. ex *Assistentia D. Spiritûs:* si enim hoc inspirante prædixit futura, cur eodem dictante non potuerit exarare præterita? Habere potuit 2. per *Traditionem:* nam *Amram*, Pater *Moysis*, annos

Atque traditione.

plures

plures etiamnum vixit cum *Levi* Atavo: *Levi* cum *Isaac* annos triginta tres: *Isaac* cum *Sem* quinquaginta, *Sem* cum *Mathusalem* nonaginta octo; *Mathusalem* cum *Adamo* centum quadraginta tres, ut in genealogicâ tabula *Salianus* demonstrat.

Mel. Quæ observanda in libro Exodi? *liber Exodi. ordine II. Nomen.*

Leuc. Itidem *Nomen*: *Exodus*, seu *Exitus* dicitur, quia pars libri hujus præcipua, *Israëlis exitus de Ægypto.* *Hebræi* à primis verbis *Veele Semoth*, hoc est; *Et hæc nomina* appellant.

Divisio Synopsis.

II. Divisio in 3. Partes, earúmque *Synopsis.* *Prima* continet ea, quæ præcessêre exitum *Israëlis* 2. Modum liberati Populi 3. refert legem, & ceremonias pro Tabernacuii cultu. Verbô: quadraginta capitibus *Moyses* prosequitur Historiam Genesis à morte *Josephi* usque ad Tabernaculi erectionẽ per centum, & quadraginta sex annorum periodum.

III. *Author*, qui itidem *Moyses*, actorum pars magna, & oculatus testis. *Author Moyses.*

Mel. Quid de libro *Levitici* memorandum? *Liber Leuitici ordine III. Nomen.*

Leuc. 1. *Nomen: Leviticus* dicitur, quia Levitarum describit officia, & functiones: Hebræi *Thoracabim, legem Sacerdotum,* vel *vaicra, Et vocavit,* à primo vocabulo appellant.

Dixisio Synopsis.

II. Divisio in 3. partes, quarum 1. commemorat diversas Sacrificiorum species à cap. primo usque ad octavum. 2. Conditiones requisitas in offerentibus, & oblatis. 3. Agit de tempore Sacrificiis destinato; de Festis, ceremoniis, votis. Universim *Moyses*, sacer Historicus, enarrat ea, quæ contigêre sesqui mensis spatio anni secundi ab exitu de *Ægypto.* à c. 8. usque ad 23. à 23, usque ad 37.

Mel. Quid de libro *Numeri?*

Leuc. *Nomen* sic dictus à Populi lustratione, & enumeratione virorum, ad tractanda arma habi- *Liber Numeri ordine IV. Nomen.*

habilium. Et Hebraicè *Vajed abber, & locutus est.*

Divisio. à c. 1. usque ad 8. Synopsis.

II. Divisio in duas partes, quarum prima continet Populi lustrationem, aliáque præcepta & ceremonias. Secundus prosequitur Historiam annorum triginta novem, narrando ea, quæ Populo contigêre in itinere de Monte *Sina*, usque ad campestria *Moab*, in confiniis *Chanaan.*

Liber Deuteronomii ordine V. Nomen.

Mel. Quid de *Deuteronomio?*

Leuc. Nomen: Hic liber, *Deuteronomium* Græcis, Latinis *Lex secunda*, Hebræis *Ellehadebarin*, quod idem ac: *Hæc sunt verba*, ab libri initio appellatur: *Lex* dicitur *secunda*, non quòd duplex à DEO data, sed quòd eadem alio tempore iterata: nam 1. data in Monte *Sina*, renovata denuò in campestribus *Moab*, juxtà *Jordanem* è regione *Jericho*, bimestri ultimo ante *Moysis* fata. Conveniebat siquidem, ut moriturus hic Populi Pater, fœdus cum DEO in monte *Sina* sancitum, renovaret denuò, præcipuè cùm Populus fuerit propemodùm novus, Patribus per tot fata in deserto jam è medio sublatis.

A. M. 2584.

Divisia Synopsis.

II. Divisio in tres partes, quarum *prima* usque ad caput VI. Populo in memoriam revocat DEI beneficia, Patribus exhibita, illorum fata, ingratitudinē. *In secunda Moyses* per viginti quinque Capita exhortatur Populum ad fidelitatem DEO servandam, dátque præcepta varia. *In tertia* per tria capita cōmemoratur præparatio *Moysis* ad mortem, Successoris *Josue* confirmatio, Legis traditio, Canticum, & benedictio data Populo. Caput ultimum denique, nempe trigesimum quartum, continet mortem *Moysis*, & Sepulturam. Cæterùm tempus, cujus historiam enarrat hic liber, vix sesqui mensem adimplet, nempe ab initio

mensis

mensis undecimi usque ad septimum duodecimi anno ab exitu ex Ægypto quadragesimo. Exo. 24. Deut. 31.

III. *Author* hujus libri, uti & *Pentateui* totius, est *Moyses*, si tamen excipias *Deuteronomii* clausulam, quam de sua morte ipsus vix scripserit: hinc veriùs tribuitur *Josue*, vel *Eleazaro* Sacerdoti summo, quos *Moysi* ad culmen Montis *Phasga* comites vult *Josephus*. *Author Moyses.*

Mel. Quosnam libros continet secunda Classis, seu Pars II. Testamenti Veteris, quam *Historiam* appellant? *II. Classis Libros continet 17. Dicitur Historia.*

Leuc. Continet libros septendecim, quibus Populi electi fata sub regimine Ducum, Judicum, Regum, Majorumque, Historico calamo, describuntur. Sunt autem liber *Josue*, liber *Judicum*, liber *Ruth*, libri *Regum* quatuor, duo *Parallippomenon*, duo *Esdræ*, quibus accedit liber *Tobiæ*, *Judith*, *Ester*, *Jobi*, & denique duo *Machabæorum*. *VII.* Secunda Historiam.

Mel. Quid de libro *Josue* hìc memorandum? *Liber Josue ordine VI.*

Leuc. Itidem tria, *Nomen:* quod sortitur à *Josue*, utpote cujus facta commemorat. *Nomen.*
II. Synopsis: nam liber iste, ordine VI. viginti quatuor Capitibus enarrat totum, quod contigit spatio annorum septendecim, quibus, post fata *Moysis*, *Josue* subegit *Chanaan*, Terram scilicet promissionis: adeóque continet DEI promissa, effectu ipso completa, quæ data toties *Abrahamo*, ejúsque Posteris. *Synopsis.*

III. Author Josue creditur, si res postremas exipias, quas à Propheta *Samuele*, vel *Esdra* sacerdote adjunctas ferunt. *Author Josue.*

Mel. Quid de libro *Judicum*?

Leuc. I. Nomen, quod à Judicibus traxit, qui post *Liber Judicum ordine VII. Nomen.*

Synopsis. post fata *Josue* rexêre Populum *Israël.*

II. Synopsis: hic liber, ordine *septimus*, qui *Heptateuum* juxtà aliquos claudit, per capita viginti & unum, ob oculos ponit statum *Israëlitici* Populi post mortem *Josue*, quo adepti terram promissionis ingrati denuò, & sæpius DEUM derelinquentes, sunt derelicti, & resipiscentes iterum sunt assumpti, ac horum Judicum virtute à jugo hostium liberati.

Author Samuel. *III. Author Samuel* creditur, cui hunc Historiæ partum adscribunt septuaginta Interpretes.

Liber Rhut ordine VIII. Nomen. *Mel.* Quid liber *Rhut?*

Leuc. Est *complementum* potiùs libri Judicum, à quo eundem Veteres non distinguebant. Sortitur *nomen à Rhut*, piissima Fœmina, quam sub Judicibus *Sangar*, & *Debora* vixisse autumant.

Synopsis. *II. Synopsis* Historiæ in duas partes divisæ, quadruplici capite describit. 1. hujus Fœminæ fata, afflictiones, & tædia. 2. secutam felicitatem per sponsalia cum *Booz*, quibus facta est Avia Christi JESU.

Author incertus. *III. Author* incertus: hi *Ezechiam* Regem, illi *Esdram*, alii meliùs *Samuelē* assignant, utpote qui scripturus Regum Historiam, hoc præambulo, *Davidicæ* Stirpis originem, Mundo voluit demonstrare.

Libri Regum Nomen. *Mel.* Quid de libris Regum?

Leuc. I. *Nomen* trahunt à Regibus; sed quia *Samuelis* Historia ingressum parat, primus & secundus, à non nullis *Samuelis nomine* indigitantur.

Divisio Synopsis II. Qui ordine IX. II. *Dividuntur* in quatuor libros, quorum hæc *synopsis*. Primus per unum & viginti Capita Historiam continet annorum quadraginta supra centenos, ennarrando nempe *Heli* fata, *Samuelis* virtutes, *Saulis* regimen, infau-

II. ordine X. stam mortem. Secundus capitibus viginti quatuor enarrat Historicam seriem eorum, quæ con-

contigêre ſub regimine *Davidis*, per annos octo ſupra triginta. Tertius & Quartus, ille viginti duobus, hic viginti quinque Capitibus continuat hiſtoriam Regum, exarando *Salamonis* elevationem in ſolium, Regimen, Regni diviſionem, & fata, ac quidquid ſub viginti Regibus *Juda*, & novemdecim in *Iſrael* contigit, annorum ſpatio viginti ſeptem ultra quadringentos.

III. ordine XI. & IV. ordine XII.

III. Authores quatuor librorum quod attinet, controverſa plurima, incerta omnia. Librum 1. usque ad Caput vigeſimum quintum communis Authorum *Samueli* Prophetæ tribuit, in reliquis, uti & in libro 2. adjutores eidem tribuunt *Nathan*, & *Gad* Prophetas, qui in libro *Parallippomenon* etiam *Davidis* Scriptores Hiſtorici appellantur. 3. & 4. librum ex ephemeridibus Prophetarum à *Jeremia* collectum, conſcriptumque Authores affirmant.

Authores incerti.

Mel. Quid de libris *Parallipomenon*?

Leuc. Græcis *Parallipomenon*, Latinis *ſupplementũ*, Hæbreis *Dibrè hajamin, Verba dierum*, ſeu *chronicon* appellantur, eò quod *ſuppleant* nobiliores circumſtantias, in libris Regum omiſſas, eventúsq; per modum ephemeridum referant.

Libri duo Parallipomenon. Nomen.

II. Diviſio: Hebræis ſunt liber unicus, Latinis duo, quorum primo viginti novem, alter triginta ſex capitibus, velut in epitome totam Hiſtoriam referunt ab *Adamo* uſque ad finem *Babylonicæ* captivitatis. *Synopſis* 1. *originem* refert Regni Iſraelitici, deſcribendo Genealogicam Familiarum magìs memorabilium ſeriem ab *Adamo* uſque ad *Davidem*: inſuper ejusdem Regni in *Saule fundamenta, incrementa* in *Davide*, unius ſupra ter mille viginti annorum periodo. 2. Proſequitur Regni *Iſraelitici gloriam* ſub *Salomone*; *diviſionem*,

Diviſio.

Synopſis I. ordine XIII.

II. ordine XIV.

ſionem & *decrementa* ſub *Roboamo*, *ruinam* ſub *Sedecia* usque ad tempora *Zorobabelis*, quadringentorum & nonaginta novem annorum ſpatio.

Author Eſdras.

III. Author: cùm in fine *Parallipomenon*, & initio *Eſdræ* appareat idem Senſus, & eadem propemodùm verba; poſterioris Author, probabili conjecturâ colligitur quoque Author eſſe prioris, ſcilicet *Eſdras*, quamvis alii, Prophetis illorum temporum, hunc partum adſcribant.

Liber Eſdræ, ordine XV.

Mel. Quid de libro *Eſdræ?*

Nomen Diviſio.

Leuc. Hic liber ab Authore nomen ſortitus, decem Capitibus Hiſtoriam octoginta duorum annorum comprehendit. *II.* Dividitur in duas partes, quarum prima, gemino capite deſcribit Populi reditum in *Judæam*. *III.* ejusdem Populi poſt ſeptuaginta annorum exilium, novam in Patria erectam Rempublicam.

Synopſis.

Liber Nehemiæ ordine XVI.

Mel. Quid de Libro *Nehemiæ?*

Leuc. Hic liber cùm Hebræis à priore non diſtinguatur, anſam Patribus dedit, ut *Eſdram* ejus quoque Authorem crederent. Sed & ſtylus à priore diverſus, & initium libri *Nehemiam Authorem* produnt. Dicitur tamen 2. *Esdræ*, quia Viri hujus imperio ſcriptus, Hiſtoriam quoque ab illo cœptam continuat. *In ſynopſi* Hiſtoriam continet triginta annorum circiter, narrátque è cineribus ſuscitatam *Solymam*, reſtitutum denuò Templum, cum Templo cultum quoque Divinum, ac denique Populum contra hoſtes finitimos defenſum.

Author Nehemias.

Synopſis.

Liber Tobiæ ordine XVII.

Mel. Quid de libro *Tobiæ?*

Nomen

Leuc. Nomẽ conjecturâ probabili ſortitus liber ab *Authore*, utroque *Tobia*, ſeniorem ſenectutis ſuæ Facta, Juniore peregrinationis ſuæ ſeriem, Patris-

Patrísque mortem per quatuordecim capita fideliter enarrante: clausulam tamen finalem, quæ mortem, & sepulturam *Tobiæ* Junioris breviter indicat, aliena manu adjunctam facilè judicamus. *Synopsis.*

Mel. Quid de libro *Judith?* *Liber Judith ordine XVIII.*

Leuc. Nomen dedit Heroica Fœmina, cujus victrici manu liberata Urbs *Bethulia*, anno Regni Manassis quadragesimo secundo.

II. Capitibus sedecim Historia *divisa* legitur in duas partes. *Prima* lamentabilem *Judæorum* statum exponit, quo vivebant tunc temporis. *Secunda Juditham* proponit Heroinam, Patriæ Servatricem. A. M. 3346. *Synopsis.*

III. Probabilior Patrum sententia libri hujus *Authorem* statuit *Eliakim*, sive *Joakim* Sacerdotem summum. *Author Joakim.*

Mel. Quid de libro *Esther?* *Liber Esther.*

Leuc. Nomen trahit ab hac Regina, Cæli favore electa, ut Populum suum ab Hostium insidiis liberaret in manu forti. *ordine XIX.*

II. Historia, quæ tempore captivitatis *Babylonicæ* contigit, sedecim capitibus, in duas *divisa* est partes, quarum *prima* refert ea, quæ pertinent ad *Estherem*, ejúsque elevationem in solium. *Secunda* describit ea, quæ spectant ad Populum, *Amani* fastum, insidias, lapsum, *Judæorum* salutem, atque vindictam ab hostibus sumptam. *Synopsis.*

III. *Authorem* libri *Mardochæum* assignat Patrum communior, cui ab *Esthere* confisa intima, quique ipse pars magna fuit in hoc Theatro historico. *Author Mardochæus.*

Mel. Quid de, libro *Job?* *Liber Job ordine XX.*

Leuc. Hunc librum à *Jobo* vel Actore Tragœdiæ, vel scriptore Historiæ sic dictum volunt: nam sunt, qui à *Jobo* lingua *Ara-* *Author incertus.*

bicâ ſcriptum, & à *Moyſe*, poſt centum circiter annorum lapſum, in idioma *Hebraicum* translatum, aſſerunt. Alii *Iſaiæ*, aut uni ex Prophetis hunc librum attribuunt: verbô, quàm certa Hiſtoria, tam incertus Hiſtoriæ *Author*.

Synopſis. II. Liber iſte, quadraginta duobus capitibus, Tragœdiam refert, circa *Joſephi* morientis tempora jam Orbi exhibitam, *diviſámque* in duas partes: *prima* ob oculos ponit ſtupendam cataſtrophen, qua *Jobus* è faſtigio felicitatis ſummæ in Hæredum, bonorumque omnium copiâ, in imam miſeriarum abyſſum eſt deturbatus. *Secunda* eundem exhibet è patientiæ palæſtra in prius faſtigium gloriæ, rurſus ſubitò reſtitutum.

Libri Machabæorum ordine ultimi LIV. & LIV Nomen. *Mel.* Quid libri duo *Machabæorum*?

Leuc. *Nomen* ſortiti hi duo libri ab iis, de quibus agunt Heroibus *Machabæis*, ſic dictis, quod militari vexillo inſcriptas circumferrent has quatuor litteras M. C. B. I. Initiales verborum, quæ in *Moyſis* cantico legimus: *Mi Camoca Bealim Iehova? Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* è quibus quatuor litteris *Machabæi* nomen conflatum ajunt.

Synopſis. primus 16. ſecundus 15. Capita. *II. Synopſis* continet *Danielis* oracula, veriſſimè adimpleta, eventus ſcilicet, fata, factáque heroica *Machabæorum*, totámque hiſtoriam eorum, quæ contigêre trecentorum circiter annorum ſpatio, quo hi Duces *Aſſamonæi* Religionem, & libertatem electi Populi fortiter vindicârunt.

Author incertus. *III. Authores* adſtruunt *plures*, quorum nomina Poſterorum memoriam fugiunt; ſunt, qui *Hircano*, filio *Simonis* Sacerdotis utrumque partum attribuunt.

Tertia Claſſis librorū quinque Sapientiæ *Mel.* Quoſnam libros continet tertia Claſ-

ſis,

ſis, ſeu Pars tertia Teſtamenti veteris, quam *Salomonis Sapientiam* appellant? *ſeu Pars tertia Teſtamenti Veteris.*

Leuc. Continet libros quinque: nempe librum *Proverbiorum*, *Eccleſiaſtis*, *Canticorum*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici.* *VIII.* Sapientia tertia.

Mel. Quid de libro *Proverbiorum*?

Leuc. *Proverbiorum* nomen huic libro præfigitur, quia continet ſententias graves, ſublimes, atque Divinas, quas Græci Proverbia, Hebræi *Misler*, parabolas, ſeu ſimilitudines appellant. *Liber Proverbiorum, ordine XXII. Nomen.*

II. Author eſt *Salomon*, qui DEO plenus, primis ſeptem capitibus nos exhortatur ad Sapientiam: hanc ipſam loquentem inducit capite octavo, nono inſtruit, à decimo denique uſque ad finem 32. docet nos per parabolas, quæ cuncta dictamina Sapientiæ, virtutes omnes, vitia, omneque hominum genus graphicè deſcriptum, inſtructúmque referunt. *Author Salomon.* *Synopſis.*

Mel. Quid de libro *Eccleſiaſtis*?

Leuc. *Eccleſiaſtis*, ſeu *Prædicatoris* titulum præſefert hic liber, quia *ſcriptus* à *Salomone* pœnitente, ùt autumant, ubi *Vanitatem Mundi* ſat cognitam, Orbi prædicat Orator, & velut in tabula vivis coloribus adumbrat. *Liber Eccleſiaſtis ordine XXIII. Nomen.*

II. Liber, decem capitibus comprehenſus, ſermonem methodicum repræſentat, ubi factam in exordio propoſitionem; *Quòd omnia vanitas* Orator probat, factâ inductione rerum omnium in hoc Orbe. *Synopſis.*

Mel. Quid de libro *Canticorum?*

Leuc. Liber iſte phraſi Hebraica *Ser-haſirim*, ſeu *Canticum Canticorum* dictus ob *eminentiam*, qua reliquis canticis præcellit: conſiſtit autem *ſublimitas* in allegorico ſen- *Liber Cantici ordine XXIV. Nomen.*

ſu, quo *Salomon* ſpirituale conjugium Chriſti cum Eccleſia, penicillo prophetico, adumbrat.

Synopſis. *II. In Synopſi per octo capita obſervandum primò* triplex tempus: *Primum* ante Incarnationem, quo Sponſa, Juſtorum nomine, adventum Sponſi ſuſpirat: *ſecundum* Vitæ Chriſti, ubi Myſteria omnia præfigurantur: *Tertium,* fundationis Eccleſiæ cooperante miniſterio Apoſtolorum, & Succeſſorum Pontificum. *Obſervandum ſecundò* triplex *Schema* Sponſi & Sponſæ: *primum Regis*, & *Reginæ. ſecundum Paſtoris, Sponſæque paſtoritiæ. Tertium Hortulani*, aut *Vinitoris, ſociæque* in colendo agro & vinea, quæ figuræ ad amuſſin *Chriſto*, ejúsque *Eccleſiæ* applicantur.

Author Salomon. *III. Author* eſt *Salomon*, quem poſt lapſum ſcripſiſſe ferunt hoc Canticum.

Liber ſapientiæ ordine XXV. Nomen. *Mel.* Quid de libro *Sapientiæ?*

Leuc. Sapientiæ titulo hic liber inſcribitur, quia mirabilem prorſus Ideam *Sapientiæ increatæ* depingit, imò & *creatæ* per ſuos effectus, atque proprietates, unde à *D. Auguſtino* liber *Chriſtianæ Sapientiæ* appellatur.

Synopſis. *II. Dividitur* commodè in duas partes, quarum *prima* per decem capita inſpirat ſummam erga DEUM reverentiam, & rerum creatarum contemptum: docet Potentum pericula, nobisque adumbrat horribile, vivúmque malorum Principum ectypon. *Secunda* per novem capita demonſtrat, qua viâ duxerit D. Sapientia Patriarchas antiquos ab *Adamo* uſque ad *Moyſen*, plagásque *Ægypti* novis circumſtantiis, & obſervationibus illuſtrat.

Author incertus. III. *Author* antiquis Patribus viſus eſt *Salomon*, quod tamen ob differentiam ſtyli negant

negant Recentiores, librúmque *Salomoni* ideò inscriptum volunt, quòd Author, qualiscunque demum, à *Salomone* lumina, atque sententias hauserit.

Mel. Quid de Libro *Ecclesiastici?*

Leuc. Ecclesiastici nomine gloriatur hic Liber, vel quòd in *Ecclesia* legi solitus, *Augustino* teste, vel, quòd verè *concionatorius* instruat per præcepta. *Liber Ecclesiastici ordine XXVI. Nomen.*

II. Uno, & quinquaginta capitibus continet doctrinam moralem, prorsus universalem: nam cuncta vitia oppugnat, virtutes omnes commendat, formátque mores omnis ætatis, ac sexús, ut adeò à *Græcis* virtutum omnium epitome, uno verbo *Pan-aretos* meritò appelletur. *Synopsis.*

III. Author est *JESU* filius *Sirach*, qui ducentis propemodùm annis vixit ante *Christi* adventum, nec *Salomoni* tribuitur, nisi ob energiam styli, *Salomone* dignam, quia ejus stylo simillimam. *Author Jesu.*

Mel. Quosnam libros continet IV. Classis, seu Pars IV. Testamenti Veteris, quam *Prophetarum* nomine appellamus. *Quarta Classis Librorum 18. Prophetæ seu quarta Pars IV. Testamenti Veteris.*

Leuc. Octodecim: quos inter, primus *Liber Psalmorum:* sequuntur duplicis generis Prophetæ: *Majores* quatuor ob majora oraculorum volumina: *Minores* duodecim, ob minora. *Majorum ordo* in sacro Codice: *1. Isaias. 2. Jeremias,* cui junctus *Baruch*, quia eidem ab arcanis, & commentariis. *3. Ezechiel. 4. Daniel. Minorum ordo: 1. Oseas. 2. Joël. 3. Amos. 4. Abdias. 5. Jonas. 6. Michæas. 7. Nahum. 8. Habacuc. 9. Sophonias. 10. Aggæus. 11. Zacharias. 12. Malachias.* *IX.* Quarta Prophetas continet. *Ordo duplex Majorum. Minorum.*

Mel. Quid de Libro *Psalmorum?*

Leuc. A *psallo*, tango, seu *psalterio* cythare *Liber Psalmorum ordine XXIX. Nomen.*

ræ *nomen* trahit, ac ethymon, Hebræis *Sepher-Tehillim*, ſeu *Liber Hymnorum*, ac *laudis Divinæ* appellatur.

Author David. II. Hujus *Authorem* pars potior SS. Patrum facit *Davidem*, etſi huic non niſi pſalmi ſeptuaginta tres, expreſſo nomine, inſcribantur, reliquis aliorum nomina præſeferentibus, quos tamen Cantores potiùs dixeris, quibus pſalmos ſuos, modulis muſicis illigandos tradiderit Pſaltes Regius. Quidquid ſit, pſalmos, quos quidem invénit reliquos, numero centum & quinquaginta, ſub nomine *Davidis* in librum, ſed ſine ordine, congeſſit *Eſdras*.

Synopſis. III. Horum ſynopſin ſi petas, cùm ratione materiæ, tum ratione finis, in ſex ſpecies meritò divides. 1. Continet inſtructiones merè morales. 2. Oracula prophetica de *Chriſto*. 3. Motiva conſolationis, exhortationis ad pœnitentiam, aliáſque Virtutes. 4. Modos varios DEO agendi grates pro beneficiis. 6. Speciem denique mixtam ex his omnibus.

Memorabilia de Prophetis Quæ? *Mel.* Quæ de Prophetis memorabilia?

Character. *Leuc. I. Character* Sanctitatis, & Veritatis cum Spiritu prophetico futurorum eventuum.

Oracula. *II. Oracula*, è quibus fuêre multa de Regum fatis, plura de malis Populo, obſtinato in ſcelere, eventuris; plurima de *Chriſto*, ejúſque Eccleſia: particularem ſynopſin dabunt ſingulorum Vitæ per Hiſtoriæ decurſum.

Modus. *III. Modus* explicandi Prophetas eſt ſenſus magis reconditus, & ſpiritualis, qui ſæpe latet ſub figuris, aliíſque expreſſionibus myſti-

mysticis, dum loquentes de præsenti, in mente designabant futurum.

IV. *Numerus*; nam prophetiis octodecim quadraginta quinque libros S. Scripturæ conficiunt. *Numerus.*

V. *Ordo temporis*, quo vixêre. *Primus Jonas*, qui prophetavit sub *Jeroboamo II.* Rege *Israël*. *Secundus Oseas*, qui sub Regibus *Ozia*, *Joathan*, *Achaz*, & *Ezechia*, Regibus *Juda*. *Tertius Joël*, qui coætaneus *Oseæ*. *Quartus Amos*, qui cœpit anno *Oziæ* vigesimo tertio. *Quintus Isaias*, qui anno ejusdem *Oziæ* vigesimo quinto. *Sextus Abdias*, qui synchronos *Isaiæ*. *Septimus Michæas*, qui sub Regibus *Joathan*, *Achaz*, & *Ezechia*. *Octavus Nahum*, qui sub *Osea*, postquàm cum 10. tribubus hic abductus fuit in *Mediam*. *Nonus Jeremias*, qui cœpit anno *Josiæ* Regis *Juda* decimo tertio. *Decimus Baruch Jeremiæ* comes. *Undecimus Sophonias* & *Duodecimus Habacuc*, qui *Jeremiæ* coævi. *Decimus tertius Daniel*, qui etiamnum puer cœpit clarescere *Babylone* sub *Nabucodonosore*. *Decimus quartus Ezechiel*, qui quinto anno captivitatis; *Decimus quintus Aggæus*, qui post captivitatem *Babylonicam*; *Decimus sextus Zacharias*, *Aggæo* contemporaneus; *Decimus septimus Malachias*, qui tempore *Nehemiæ* floruit. Hi Prophetæ omnes, longo tempore, præcessêre Sapientes *Græciæ*, utpote è quorum oraculis *Pythagoræ*, & *Platones* multa lumina mutuârunt. *Ordo temporis.*

Mel. Omissa singulorum librorum analysi, da breviorem veteris Testamenti epitomen. *Succincta epitome totius Veteris Testamenti pro Parvulis.*

Leuc. Hanc è digitis vel ipsi Parvuli numerabunt, si modò quinque partes observent,

I. Exhibet *mirabilem Providentiam*, qua

X. Hæc tota est Scripturæ.

DEUS erga homines usus est, à Mundi exordio usque ad *Abrahamum*, ab *Abrahamo*, speciali fœdere sibi obstricto, usque ad sera tempora erga Populum à se electum.

II. Continet *Legem*, in signum fœderis, à DEO datam Populo huic, qua veluti morum normâ, & Religionis colendæ regulâ vitam duceret beatam.

III. Ob oculos ponit *prodigia*, propemodùm infinita, quibus planissimè demonstravit, & Populi hujus Gubernatorem se providum, & Protectorem potentem.

IV. Describit *Prophetarum oracula*, tam de fatis, rebelli Populo eventuris, quàm de *Messia*, velut promisso Patribus Redemptore.

V. Denique enarrat *Historias*, & in Historiis eventus vel maximè memorabiles, quæ partim electo Populo, partim illius Ducibus, à Mundi exordio evenêre.

Particulares Historiæ Universali immixtæ Cur?

Mel. Cur Historiæ sanctæ, quæ Populi electi fata describit universè, immixtas historias particulares legimus de *Rhut*, *Esthere*, *Tobia* &c?

Leuc. Rationem afferunt, quòd hæ particulares Historiæ circumstantiis abundent, quæ lucem affundunt Vniversali, & mirificè illustrant illius temporis eventus. Nam Historia *Rhut* pertinet ad tempora Judicum; *Tobiæ* ad annos captivitatis in *Ninive*; *Judith* ad Regnum *Nabucodonosoris*; *Estheris* ad tempora *Assueri*.

Certitudo Scripturæ.

XI. Certa Synopsis

Mel. Cùm tam incertus sæpe librorum Sacrorum sit Author, an tamen certa, quæ continent?

Leuc. Certissima, & fide quidem Divinâ ad usque singulos apices: nam qualescunque demum Authores fuerint, unus fuit omnium

cala-

calamus, nempe uno, eodémque Diviniore Spiritu directus. *S. Greg.*

Mel. Quinam libri Canonici, & Cur? *Libri Canonici qui, & Cur?*

Leuc. Suprà enumerati omnes. Declarat hoc Orthodoxis Ecclesia, dum omnes agnoscit Canonicos, quia in sacrorum librorum *Canone*, seu *Catalogo* contentos, etsi non omnes simul, & eodem tempore sint recepti. Nam *Protocanonicos* vocant, qui ab initio statim, ùt Sacri sunt agniti, locatique *in Canone* etiam *Hebræorum*. *Deuterocanonicos* nominant, qui non contenti in Hebraico canone, Patrum tamen, & Conciliorum Authoritate, successu temporis, in sacrorum librorum ordinem sunt recepti. Tales sunt liber *Tobiæ*, *Judith*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *Baruch*, & juxta multos duo libri *Machabæorum*. Hinc libri Canonici esse possunt *canonici secundùm se*, quin sint canonici, seu veriùs *canonizati secundùm nos*. Illud habetur à DEO, librum dictante; hoc ab Ecclesia, librum *ùt talem* agnoscente, atque recipiente. *In Tridentino.* *Protocanonici.* *Deuterocanonici.* *Canonici secundùm se* *Et secundùm nos.*

II. Librorum porrò Canonicorum catalogus habetur ex *Tridentino*, quem per traditionem recepit ab *Innocentio I. qui vixit circa annum Christi 402.* Hic verò habuit à temporibus Apostolorum, quem, ùt ab Apostolis traditum sic declaravit explicitè, ut à Patribus nonnullis, quibus ob persecutiones ignota priùs erat Apostolica hæc traditio, etiam libri quidam, illis hactenus dubii, reciperentur. *Catalogus librorum Canonicorum unde? à Tridentino.* *Traditione.*

Mel. Quales ergò libri Hebræis Canonici? *Hebræis Canonici quot?*

Leuc. In sacro librorum catalogo, post captivitatem *Babylonicam* confecto, numerabant solummodò libros viginti duos: *Viginti duo.*

partim quia non dividebant quosdam, ùt facit editio vulgata Canonica: partim quia aliquos rejiciebant, quorum nempe Autographa *Hebraico* idiomate non invenêre: tales ſunt ſeptem libri, quos ſupra *Deuterocanonicos* diximus.

Ab Acatholicis rejecti qui?

Mel. An omnes libros ùt *Canonicos* venerantur Acatholici?

Varii.

Leuc. Minimè: quos volunt, recipiunt; rejiciunt, quos nolunt; nolunt, quos ſuis principiis agnoſcunt minùs faventes. *Lutherus* rejecit omnes, quos rejecêre *Hebræi*, ut videas, quo Spiritu Eccleſiam reformârit. Sunt inter illius ſequaces, queis diſplicet Liber *Tobiæ*, & *Judith*: ille propter antilogias quasdam, ùt ipſi autumant; iſte ob quamdam tragœdiæ ſpeciem, quæ licita, ùt ajunt, docet incitamenta luxuriæ, mendacia, & homicidia. Sunt, qui rejiciunt utrumque librum *Machabæorum* non alia de cauſa, quàm quòd preces, & eleemoſynæ pro defunctis, contra *Lutheri* dogmata ibidem, luce clariùs ſtabiliantur.

Editiones S. Scripturæ Authenticæ quæ? Autographũ Hebraicum. An unquam perditum?

Mel. Quid de tot S. Scripturæ editionibus ſentiendum?

Leuc. Teſtamenti Veteris libri ſaltem *plerique*, à ſuis Authoribus, idiomate *Hebraico* ſunt conſcripti: horum autographum non quidem perditum, & ab *Eſdra* de novo ſcriptum, ut viſum eſt nonnullis, ſed poſt captivitatem *Babylonicam* in ordinem viginti quatuor librorum digeſtum, ab exemplarium mendis purgatum, & primævæ puritati eſt reſtitutum, quod omninò foret authenticum, ſi ad noſtra tempora perveniſſet.

Traductio Græca 72. Interpretum.

II. Inter *Verſiones*, ùt aiunt, varias, olim Authoritatis primæ erat *Autographum græcum*

cum ſeptuaginta duorum Interpretum, utpote aſpirante Divino Spiritu conſcriptum, ut colligi fas eſt ex methodo: nam *Ptolomæus Lagus*, vel juxta alios *Philadelphus*, (a) ut hoc theſauro Bibliothecam *Alexandrinam* ornaret, è quavis *Judææ* tribu ſex petiit Scribas utriusque idiomatis peritiſſimos. Hi *Alexandriæ*, ſeparatis cellulis incluſi, ſeptuaginta duorum dierum ſpatio, ſic in idioma græcum tranſtulêre *totum* Teſtamentum vetus, ut ſeptuaginta duo exemplaria ſibi penitus correſponderent. Ita *Juſtinus M.* *Quomodo facta?*

Alii aliter: nam teſte *D. Epiphanio* concluſi cellulis bini, & bini, ut triginta ſex exemplaria prodierint ejusdem prorſus tenoris. Si *D. Hieronymo* fides, omnes convenêre in Aula quadam magnifica, ibique quot diebus usque ad horam nonam *Judaciam*, collatis conſiliis, unum ſolummodò partum eniſi ſunt. Sed & iſta Traductio partim *Judæorum* malitiâ, ac exemplarium varietate, teſte *D. Hieronymo*, tandem *corrupta eſt*.

III. Hinc ſupereſt altera *traductio latina*, *vetus, vulgata, communis*, ſic dicta quòd conſtet translatione, & emendatione *latina D. Hieronymi*, ſitque deſumpta ex antiquiſſima quadam editione latina, quam hic Doctor *communem vulgatam*, *D. Gregorius veterem* appellat. Hæc ſola à *Tridentina* Synodo declarata authentica, ut haberemus regulam, qua tot *editiones & verſiones* Acatholicorum *vulgares*, ſpurias, mutilatas, depravatas, ſuis erroribus accommodatas diſcerneremus. *Editio vulgata Latina.*

Mel. Quæ obſervationes Politicæ ex lectione ſacræ Hiſtoriæ? *Obſervationes quò adſtatum Politicum.*

Leuc. Plurimæ, ſi Politicæ nomine pruden-

(a) Ante Chr. circiter 280.

dentiam notas, qua Principes decet rotare sceptra, juxta sanctæ Religionis scita, ac in commoda subditorum. Nam 1. suppeditat *Ducis* ideam in *Moyse*, *Regis* in *Davide*, *Herois* in tot Judicibus. 2. Docet dictamina Christianæ prudentiæ, ùt monstrabimus per decursum. 3. Monstrat exempla prudentiæ mundanæ & spuriæ, inque suis sæpe consiliis confusæ, dum vel invita servit Divinæ decretis Providentiæ.

12. Observationes Christianæ.

Mel. Quæ observationes Christianæ ex Lectione Sacræ HIstoriæ?

Utilitas S. Scripturæ quò ad mores.

Leuc. Utilitas multiplex: imprimis fundamenta *Fidei* ponit in Mundi creatione: nam unde animam immortalem, unde hominis lapsum, unde peccatum originale, aliáque fidei nostræ arcana didicimus?

II. Notitiam ingerit *D. Providentiæ*, quæ cuncta regit in pondere, & mensura.

III. Præbet exempla *omnis generis Virtutum*: Obedientiæ in *Abrahamo*; Puritatis & Innocentiæ in *Josepho*: Patientiæ in *Jobo*, & *Tobia*, Zeli in *Judicibus*, & *Machabæis*.

IV. *In figuris* ostendit *Christum*, novúmque Testamentum adumbrat, quod sine veteri ritè haud penetrandum.

Observationes Polemicæquæ?

Mel. Quæ observationes Polemicæ?

Hybnerus Luthero in Doctrina oppositus.

Leuc. primò Hybnerus Luthero suo, quem suprà *Beatum* dixerat, *in doctrina oppositus*. *Hybnerus* ait in libello centum & quatuor Historiarum, quas extraxit ex utroque Testamento pro Juventutis instructione, Lectioni Biblicæ præmittendas preces, pro impetrando cœlitùs necessario lumine. *Lutherus* contrà Verbum Dei tam clarum proclamat, ut etiam lippis, aniculísque obvium

Quò ad Scripturæ sacræ Intelligentiam.

velit

velit, nec nisi grandi injuriâ plebeculæ crisibus subtrahendum.

II. Protestatur *Hybnerus*, nil additurum se sacris Historiis, nisi quod Ministerio suo probatum, librisque symbolicis conforme foret: admittit ergò regulam Interpretationis legitimæ. *Lutherus* contrà interpretem facit cujusvis spiritum privatum, dum acclamat illud Apostoli singulis: *Scrutamini scripturas.* Imò Interpretationis novam præscribit methodum, sanè infallibilem, dum docet: (a) *hæc tibi sit regula, ut si Scriptura præcipiat bona opera, tu sic intelligas, ac si prohibeat bona opera.*

Interpretationem.

Mtl. Quid inde colligas?

Leuc. Hoc sanè colligo, Nos habere; *Lutheri* asseclas non habere *infallibilem suæ fidei regulam*, seu quod idem est, non habere *Verbum DEI legitimo sensu expositum.* Nos quippe Ecclesiam Interpretem sequimur, assistente Divino Spiritu infallibilem: illi sequuntur Spiritum privatum, utique incertum, Teste Apostolorum Principe: (b) *eò quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.*

Fidei regula apud Acatholicos incerta.

II. Colligo insuper, Heterodoxos hoc ipso debere in sua fide esse necessariò dubios; & 1. Quidem, quia non sunt certi de libris canonicis. 2. Multò minùs de legitima librorum translatione Germanica. 3. Omnium minimè de interpretatione legitima, quam eodem jure sibi arrogant *Calvini* asseclæ, aliique novorum schismatum Architecti.

Unde ipsi necessariò dubii.

Mel. Cur ais incertos circa libros canonicos.?

Ob libros Canonicos incertos.

[a] Tom. 3. Witt. Ger. fol. 143.
[b] Ep. 2. c. 1. v. 21.

Leuc. Eò quòd nullo ex fundamento ipsis *certò* constare possit, quinam Scripturæ libri sint *verè* canonici, ac Verbo Divino *propriè* annumerandi. Nam 1. De his nihil testatur Scriptura, qua sine Acatholicis nihil certum. Neque 2. Fundamentum aliud suppetit saltem certum: non *Traditio*; quam ubique rejiciunt; non indicia alia, cùm non sint *clara*, & *evidentia*, quod sanè ipsimet palpant. Si enim *certa* sunt ejusmodi Scripturæ crytiria, cur ea non semper, nec pari modo omnes recipiunt? *Argentoratenses* epistolam ad *Hebræos*, epistolam *Jacobi*, & *Apocalypsin* expunxêre à sacro Canone; post quatuor & septuaginta annorum periodum, veluti ab exilio revocata hæc sacra folia, rursus sacro Canoni restituerunt. Sic *Calvinus* D. *Jacobi* epistolam *auream* appellavit, *Lutherus* dixit *stramineam*. Hinc liquet, *indicia* non esse *certa*; liquet, fuisse erratum semel, adeóque errari posse, quódque consequitur, ejusmodi Sectatores in sua fide non esse *certos*.

a. 1598. neue Kirchen Ordnung.

Mel. Cur ais Acatholicos *incertos*, circa *translationem* Scripturæ sacræ *legitimam*?

Ob Translationem illorum incertam.

Leuc. Quia pars potior judicare *certò* non potest, an vernacula, quæ habent, Biblia linguis originalibus concordent. Dubium prudens movere potest Peritorum, quos jactant, dissimilis planè traductio: *Lutherus* certè *Zvvinglianos* Interpretes *Stultos*, & clitellarios vocitat, ac *Antichristos*: *Zvvinglius* contrà *Lutherum* nominat, apertum Divini Verbi carnificem, & corruptorem. Ipsemet *Lutherus* (quis credat tantum in corvo candorem?) fatetur ingenuè sequacibus suis, se B. Pauli sententiæ: *arbitramur enim, justificari hominem per fidem*,

dem, τὸ *solam* pro sua reverentia assuisse. Imò quæritantibus causam reposuit *Lacon.* (a) *Doct. or M. Luther.* wills also haben / und spricht Papist / und Esel sind ein Ding. Hinc translatio suspecta, & quod consequitur, Acatholici non sunt certi in sua fide, si sunt prudentes.

Mel. Cur asseris tertiò Acatholicos non esse *Certos*, in interpretatione legitima, seu quòd *veriùs* interpretentur sententias controversas, quàm Adversarii qualescunque?

Ob incertam interpretationem in controversis sententiis.

Leuc. Quia ejusmodi verba sunt duplicis plerumque sensûs capacia; neque sensum legitimum determinet Scriptura. Si privatum spiritum *Lutheranus* alleget, eundem eodem jure allegabit *Calvini* assecla: si clariores textus, in medium afferat, idem sua opinione faciet Antagonista: sic *Arrianis* visus est textus clarissimus: *Pater major me est*: quam tamen claritatem fictitiam plenis buccis *Islebii* Jure exsibilant. Et quid tandem? lites nascuntur ex litibus, nisi extra Scripturam ad Ecclesiam, tanquam infallibilem Judicem, appellent, extra cujus decisivum tribunal nunquam sunt *Certi*, si sunt prudentes.

INSTRUCTIO SECUNDA.

De Mundi Creatione usque ad lapsum Adami.

Creatus Mundus à quo? à DEO.

M*Elander.* A quo, & quomodo creata hæc visibilis machina, quæ, uno verbo, dicitur Mundus?

[a] Tom. 5, Germ, *f.* 141. & 144.

Leuco-

I. Enihilo creat omne Deus.

Leucotheus. A DEO: Hic enim Deitate unus, Personis trinus, Patre nempe, Filio, & Spiritu Sancto, ab æterno per se ipsum subsistens, & in se ipso existens, creavit in tempore Cœlum & terram, ac quid quid continet hic visibilis Mundus. Et creavit quidem ex nihilo, solo VERBO, puta Divino Filio, non temerè, sed infinita hac Sapientia ad suam gloriam. Creavit non necessariò, non in momento & simul, quod potuisset, sed liberè sex diebus, & eo ordine, quem judicavit fini huic convenientem.

Quomodo? ex nihilo.

Ante Mundum quid? DEUS in se.

Mel. Ubi igitur DEUS, & quid fecit, (a) *antequàm quidquam faceret à principio?*

Leuc. Reponit *Tertullianus: ante omnia erat DEUS, ipse sibi & Mundus, & locus, & omnia.* bellè Poëta:

Dic ubi tunc esset, cùm præter eum nihil esset?
Tunc, ubi nunc, in se, quoniam sibi sufficit ipse.

Illius negotium? inscrutabile.

Negotium si indages, sufficiat tibi, si dicam *annos æternos in mente habuit.* Pressiùs si instes, addo: infernum destinâsse iis, qui curiosiùs scrutantur profunda DEI.

Mundi ætas Quæ? Incerta.

Mel. Quot anni effluxêre à Mundo condito?

Leuc. Incerta nimiùm est Mundi ætas, ut alibi dicetur. Nam inter Chronologos *tanta* opinionum *varietas*, ut solus *Vallemont* sex suprà sexaginta adducat: *tanta diversitas*, ut calculus minimus à maximo differat annis 3277. *Nobis viam tenere mediam visum est; Unde cum P. *Labbeo, Brietio*, *Saliano*, aliisque à Mundi exordio usque ad Christi Natales numerabimus annos 4053. Atque ad hanc periodum eventus omnes, chronologica serie, disponemus.

(a) *prov. 8.*

Mel.

* Quænam sit optima Mundi Epocha usque ad Christum natum? vide QQ. Coll.

Mel. Quo anni tempore creatus est Mundus? *Quo anni tempore creatus est Mundus?*

Leuc. Quæ S. Scriptura dissimulat, incerta omnia: sunt, *Hebræa* præcipuè de stirpe sati, qui favent *Autumno*, utpote in quo maturi fructus, *Evâ* teste: (a) *de fructu lignorum, quæ sunt in Paradyso, vescimur.* Sunt alii, qui probabiliori è tripode *Æquinoctium veris* assignant: suadere id videtur temporis hujus amœnitas, & præcipuè Authoritas Patrum. Imò Concilium *Palæstinum*, sub *Victore* (b) Summo Pontifice, diem *Martii* 25. assignat, quo *Christus* & annuntiatus Virgini, & incarnatus creditur: quo item die post triginta quatuor annorum periodum pro humano genere passus, vel (ut exactiores quidam Chronologi) quo suscitatus à mortuis resurrexit. Illud certiùs, creationis diem fuisse Dominicum, eò quòd septimus ab illo fuerit Sabbathum, quo quievit Creator, quamquàm illo anno, quo incarnatus est *Christus*, vigesimus quintus Martii non inciderit in diem Dominicum, sed in feriam sextam; hac enim tam incarnatum, quàm passum Servatorem; natum verò, suscitatúmque à mortuis die Dominico, ex S. *Athanasio*, *Augustino*, & aliis docet noster Eximius. *Hebræis* facilè reponunt hujus sententiæ Patroni, tertio die non omnes, nec ubique fuisse maturos fructus, quod sacer Codex non asserit, sed in his productos flores, in illis folia, in aliis fructus pro natura arboris, & Regionis cujuslibet conditione.

An in Autumno?

An Vere?

Corn. à Lap.

Mel. Qua ratione modóque creatus est Mundus? *Qua ratione creatus?*

Leuc. E nihilo, sex dierum intervallo, *Sex dierum intervallo.*

[a] Gen. 3. 2. [b] anno 198.

quod ita contigisse asserunt Authores. Ante primum diem, *instanti unico*, *creavit* DEUS è nihilo hanc Universi informem massam. 2. Ex ista subin, velut materia, *successivè*, sex scilicet dierum spatio, *produxit* reliqua corpora, & tot diversas Creaturarum omnium species, quibus ornavit hoc universum.

Creatio in instanti. E quibus colliges. 1. Quod D. *Gregorius* notavit: totam nempe substantiam *simul*, & in instanti creatam, juxta illud Ecclesiastici: *qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Species verò Creaturarum *sex diebus* formatas, ùt scribit *Moyses*. *Generatio successivè.* 2. Non nisi primo instanti *creâsse* DEUM, sex diebus solummodò Creaturas *produxisse*, si excipias animam immortalem. 3. Etsi potuisset creare omnia, & quidem simul ac semel, sex tamen dies huic operi impendisse: *Et Cur? ob D. sapientiam.* 1. Ut præfiguraret sex Mundi ætates, quas sequetur æternum Sabbathum. 2. Ut demonstratâ *per Creationem* potentiâ, per successivam Creaturarum *productionem*, ostenderet libertatem, & sapientiam.

Quo ordine? *Mel.* Quo ordine DEUS creavit hunc Mundum?

II. Creat ordine.

Leuc. Ordinem, memoriæ juvandæ gratiâ, Juventuti proponunt sequentes versiculi:

Prima dedit Lucem, vastum dedit *altera* Cœlum:
Tertia Tellurem plantis, & *Quarta* Planetis,
Stellisque ornavit Cœlos: mare *Quinta* replevit
Piscibus, & volucrẽ dispersit in aëre turmam:
Sexta animal dedit omne, hominémque creavit *Adamum*.

Quid primo die? *Mel.* Quid primo die factum à Protoplaste Divino?

III. Nã lux prima dedit lucẽ.

Leuc. Initio temporis creavit Cœlum & Terram, seu, ùt habet phrasis Concilii *Lateranen-*

ranensis sub Innoc. III. *simul utramque ex nihilo condidit Creaturam, spiritualem, & corpoream, Angelicam, & Mundanam.* Creatum ergò Cœlum empyreum, quieta illa; & immobilis Beatorum Sedes, coruscans splendore mirabili, mortalibus inaccessa. In hoc pulchritudinis amphitheatro creati simul sunt Angelici Spiritus, veluti cives, futurique Actores. Creatus quoque *globus terraqueus*, seu *terra* cum *abysso*, quam dicunt aquarum voraginem quæ terræ infusa, & superfusa, ad usque Cœlum empyreum pertingebat. Hæc porrò *rudis indigestáque moles*, quam Veteres dixêre *chaos*, inanis erat & vacua, ac nativâ tenebrarum caligine involuta, sic tamen

Cœlum empyreum.

Terra. aquæ. abyssus.

Ut sacer extensis impendens Spiritus undis,
Altrices animaret aquas, dans semina rerum,

Marius Victor.

suâ præsentiâ, & virtute auram calidam aspirante, & elementum hoc fœcundante: subin Creator omnipotente Verbo produxit *Lucem*, divisámque à tenebris, motu impresso, ab oriente jussit succedere tenebris, has *Noctis*, illam *Diei* nomine appellans; factúsque est *dies primus* naturalis, Dominicus, caligine primam noctem, duodecim horarum, Luce diē horarum totidem efficiente, ùt habet communior.

Lux.

Primus dies.

Mel. Cur Moyses in Mundi creatione Angelorum mentionem dissimulat?

Silentium de Angelis, cur? ob Judæorum Idololatriam.

Leuc. Ne prudens Historiographus, crassis Fratibus, *Judæos puto*, præberet erroris ansam: hi enim, proni ad Idololatriæ perfidiam, sculptilium loco, non difficulter, Angelos adorâssent pro Diis.

Mel. Quæ igitur Angelorum via, qui terminus?

Angelorum status quotuplex? triplex.

Leuc. Triplicem in Angelis statum Scho-

 lastici

Creationis. lastici distingunt. 1. *Creationis*, in quo à Conditore DEO creati sunt Angeli, *pleni Sapientiâ, & decore*; hoc est, maximis naturæ & gratiæ dotibus ornati, sic tamen, ut retinerent arbitrium liberum, quo per merita, gratiæ Divinæ innixa, obtinerent beatitudinem, tanquam *Justitiæ coronam.* Hinc D. *Epiphanio* teste, propositum illis à Numine quoddam pactum, eo fine, ut huic obedientes acciperent gloriam, inobedientes eâ exciderent, & Divinæ Nemesi subjacerent.

Viæ. *II. Fuit Status Viæ*, in quo Lucifer tentavit Angelorum Collegium, molitus seditionem, cui restitêre boni, consummando meritum, assensêre mali perdendo gratiæ, & gloriæ donum.

Termini. *III. Fuit Status termini*, in quo boni æternùm salvati, mali verò æternùm damnati, * exortóque in Cœlis prælio magno, detrusi sunt in Inferrum.

Peccatum Angelorum quale? non invidia. *Mel.* Quale putas fuerit, *Luciferi*, & Angelorum rebellium peccatum?

Leuc. Sunt, qua *Invidiam* illud appellent, qua *Lucifer* revelatione factâ invidit humano Generi vel eandē cum Angelis beatitudinem, naturæ viribus sublimiorem, vel unionem hypostaticam, *Christo* destinatam. Sunt, qui nominent *fastum*, quo recusavit præceptum *vel fastûs* illud: *& adorent eum* (hominem DEUM) *omnes Angeli ejus.*

Sed Superbia. Sed scripturæ conformiùs loqui videntur, qui primum Luciferi peccatum *superbiam* dicunt, & quidem talem, qua appetiit quamdam cum DEO *similitudinem*, in arroganti *independentia* consistentem. Ut enim DEUS beatitudi-

* An omnes detrusi ad Inferos? Vide *Salianum.*

tudinem ſuam ab altero non emendicat, ſed naturali Jure ſibi debitam poſſidet: ſic *Lucifer* naturali beatitudine contentus, qua debebatur ſibi cognitio DEI, & Creaturarum, inter abſtractivas clariſſima, naturâ ſublimiorem acceptare quidem, ſi offeratur ultrò; eblandiri tamen multis precibus, & ſubmiſſionibus noluit: ſicque voluit eſſe *liber*, *independens*, & *ſui Juris*. Verbô: Altiſſimo *ſimilis*.

Mel. Quando igitur ad Inferni ergaſtula detruſi Rebelles, & quibus addicti pœnis? *Quando damnati? primo die.*

Leuc. Quamdiu Cœlum incoluerint ſeditioſi hi Incolæ, incertum: illud indubitatum, paucis diebus emenſam ab illis viam: imò veroſimiliùs, cùm inſtantaneis, ùt ajunt, actibus operentur, mox primo die, neque diu poſt acceptum creationis beneficium cecidiſſe ingratos, móxque ad Tartara deturbatos.

Ex quo facilè fluit, Infernum quoque, veluti tenebroſum Rebellibus hîſce ergaſtulum, mox primo die, in terræ medio à Divina Nemeſi paratum. Pœnam quod ſpectat, dudum in tribunali Theologico deciſum, Spiritus hos infelices, non torqueri ſolummodò *per alligationem ad ignem*, vel *igne metaphorico*, ſed vero, qui elevatus DEI virtute, ſpirituali qualitate ſic ferè afficit Angelos, ùt materia illa urente animas corporibus incluſas affici experimur. *Infernus primo die fabricatus.* *Pœna Angelorum per ignem verum.*

Mel. Quid ſecundo die? *Quid ſecundò die?*

Leuc. Ex aquis productum eſt *Firmamentum*, ſeu Orbes illi cœleſtes, atque vaſtiſſimi, quibus affixa gyrantur ſidera, quos uno nomine *Cœlum* appellare voluit Creator. *IV.* Vaſttum dedit altera Cœlum.

Porrò diviſæ etiam aquæ ab aquis, & partim infra, partim ſupra firmamentum poſitæ, *Aquæ diviſæ.*

eo fine forsitan, ut hæc crystallina æquora, voluptate liquidâ, Beatorum oculos pascerent.

Quid tertio?

Mel. Quid tertio?

V. Tertia Tellurem pantis. *congregatæ aquæ.*

Leuc. Congregatæ sunt *primò* aquæ sub firmamento, quas non tam littoribus, quàm voluntatis suæ cataractis, sic in profundum Oceanum conclusit DEUS, ut illicò apparuerit *Arida*, quam proin *Terram*, aquas verò *Maria* appellavit. Elevati *secundò* omnipotente dexterâ amœni in Terra colles, altíque montes, ad quorum radices apparuerunt depressæ valles: imò & excavatæ in visceribus terræ ingentes specus, producta metalla, & omnis generis lapides, impleta aquis hydrophilacia, è quibus tot flumina, fontésque scaturiunt. *Tertiò* denique DEUS mandavit Terræ, ut germinaret: & vidisses illicò virentem herbam ubique proserpere, progigni flores, protrudi arbores variis fructibus gravidas: vidisses campos lætâ segetum copiâ fluctuare, fluviorum ripas mira stirpium varietate vestiri, & amœna vireta omnis generis floribus superbire; verbô: vidisses simul omnia proferri cum semine ad conservandam in ævum speciem. *

Montes

Metalla.

Plantæ.

Mel. Quando & ubi creatus Paradysus terrestris?

Paradysus creatus Quando? tertio die.

Leuc. Tertio die creatum Authores dicunt: hinc inter herbas virentes caput floridum extulit Hortus hic voluptatis, irrigatus quatuor fontibus. Illud insuper certum, situm fuisse in aliqua Telluris parte Orientem versus; quódque verosimiliùs circa Mesopotamiam, atque Armeniam, uti suprà insinuatum.

Mel.

* An herbæ venenosæ, & noxiæ, tribuli, rosæque cum spinis? *Vide Coll. Hist.*

Mel. Quale opus Diei quartæ?

Leuc. Quartum Mundi Natalem illuſtrârunt cœleſtia lumina, *Sol & Luna*; is in Ariete, hæc in oppoſito Libræ ſigno producta: Illuſtrârunt *ſtellæ.* ac *ſidera*, quæ velut gemmæ Cœlum diſtingunt. Hinc alterna dierum & noctium diſcrimina; hinc quadripartita anni tempora; hinc tempeſtatum ſigna prognoſtica; hinc rerum ſub terra, ſupráque terram naſcentium progenerationes.

Dies quartus Quid? VI. Et quarta Planetis, Stellísque ornavit Cælos. *Sol & Luna Stellæ.*

Mel. Quale Diei quintæ?

Leuc. Diem quintum *Piſces*, & *Volucres* habuêre natalem: originem ſuam debent aquæ fœcunditati, è quibus ebullire vidiſſes mox cete grandia, omníſque generis piſces; pullulare volucrum agmina, non modò bina è qualibet ſpecie, ſed in maxima copia aërem permeantia, DEO inſuper fœcunditatis benedictionem addente, ut creſcerent, ſe ſéque in ævum multiplicarent.

Dies quintus Quid? VII. Mare quinta replevit piſcibus & volucrem diſperſit in aëre turmam.

Mel. Quid denique Dies ſextus?

Leuc. * Uti quintus Aëri, & Aquæ, ſic ſextus Terræ dederat incolas, jumenta ſcilicet, reptilia, beſtias, omnéſque generis animalia perfecta duplici diſtincta ſexu, ad conſervandam, & propagandam perpetuò ſpeciem. Ultimò, velut creaturarum omnium complementum, aut potiùs compendium effectus Homo eſt, cui Conditor juxta ſuam Imaginem, immortalem animum inſpiravit, miris gratiis decoratum, unà cum pleno in animalia cuncta dominio.

Dies ſextus quid? VIII. Sexta animal dedit omne, hominémque creavit Adamum. *Homo.*

Mel. Da enucleatiùs rei hujus, ſcitu digniſſimæ, ſeriem.

Quinam Ordo & modus in homine creando?

* An Phœnix? an Salamandra? an noxia, & venenata? an quæ ex putri, & duplici ſpecie? *Vide Salianum.*

Leuc. Postquàm ultima manus Universo huic sive creando, sive efformando, ornandóque fuit imposita, vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & suomet Divino Judicio probavit, ùt valde bona.

II. Subin Divina Trinitas de Homine cum dignitate, & potestate amplissima producendo, veluti consilium iniit: *Faciamus hominem:* ut videas operis momentum.

III. Mox manum admovit, ùt ita loquar, non alienam, seu Angelicam, sed Divinam, & propriam, ac extra Paradysum (Agrum nomine *Damascenum* prope *Hebron* fuisse multi divinant potiùs, quàm affirmant) expulvere russo, aquæ mixto, nempe de luto efformavit corpus Plastes iste Divinus tam admirabili sapientiâ, ut illud *Ægyptii miraculorum miraculum* meritò appellârint.

Apud Salianum.

IV. Sic efformato hominis simulacro, denique inspiravit *spiraculum vitæ*, animam puta rationalem, & immortalem, cujus *potentia triplici* animatum hominem verè creavit *ad Imaginem, & similitudinem suam.*

Dotes primi hominis quæ?

Mel. Quænam dotes, quibus Creator ornavit hominem, Divinæ similitudinis ectypon?

In Intellectu

Leuc. Innumeræ: inter præcipuas fuêre *Primò. Dona scientiæ, quibus illuminatus est Intellectus*: hæc tanta, ut non modò haberet infusas scientias, quarum nativo lumine, quantùm nemo mortalium, comprehenderet creaturarum in orbe proprietates, sed etiam supernaturali cognosceret Deum, ùt Auctorem donorum cœlestium, bonorum remuneratorem, finem ultimum &c.

In voluntate.

II. Dona gratiæ, quibus firmaverat voluntatem: hæc tanta fuêre, ut virtutum omnium

um habitus, quos quidem gratiæ comites ſtatus ille habere poterat, pleno veluti alveo infuſas complecteretur.

In toto homine.

*III.** *Dona originalis Juſtitiæ*, quibus totum hominem reddiderat beatum: hæc tanta, ut caro, quæ in diverſa propendens, naturali luctâ, concupiſcit adverſus ſpiritum, aureo quaſi freno coërcita, ſuperiori parti rebellis eſſe non poſſet, quamdiu anima Deo ſubjecta, arbitrii liberi vitio rebellis Creatori eſſe non vellet. Acceſſit inſuper prærogativa immunitatis â mortalitate, atque paſſibilitate, ut vocant, omni; imò acceſſit dominium plenum in animalia cuncta, â quorum inſidiis, uti & periculis aliis partim innata prudentia, partim ſpecialis Dei protectio innocentem hominem præſervâſſet.

Ratione Juſtitiæ originalis.

In corpore.

IV. Ut nihil dicam de *corporis dotibus*, pulchritudine, nobilitate, complexionis vigore, ſanitate, robore, ætatis flore, ac ſtaturæ perfectæ decore, quæ omnes ſimul vix in hominem alium ab Orbe condito confluxêre.

Nominis impoſitio.

Mel. Quid porrò factum cum homine ſic creato?

Leuc? Nomen illi impoſitum, dictúsque *Adam* ab Hebraico ethymo *Adama*, quod *terram rubram*, unde ſumptus erat, ſignificat, ut vel in nomine originis luteæ admoneretur. Mox â DEO, vel Angelo viſibili, vel inviſibili ſpecie translatus eſt in hortum voluptatis, quem Græci *Paradyſum*, Hebræi Hortum *Eden*, Orientem verſus, appellant. Et translatus eſt quidem non alio fine quàm ut horti hujus eſſet feliciſſimus Incola, imò opera-

Translatio in Paradyſum.

* An Adam fuerit cum dono aliquo ſupernaturali conditus? Vide Coll. Hiſtor.

operarius ſimul, & cuſtos. Hìc ubi ſolitarius hoſpes inambulabat, inter delicias loci attonitus, intuens illum DEUS, hæc ſecum verba: *non eſt bonum eſſe hominem ſolum* ſine ſocietatis, & propagationis humanæ ſolatio: hoc quoque ne homini deeſſet, mox ſecum ſtatuit: *faciamus adjutorium ſimile illi.*

Deliberatio de creandæ Eva.

Animalium deductio ad Adamum.

II. Intereà ne ſolum in Orbe ſe crederet *Adamus*, veluti recreaturus hoſpitem DEUS in ejus conſpectum, Angelorum haud dubiè miniſterio, adduxit animalia, bina & bina è qualibet ſpecie, cùm ut agnoſceret ſe ſe omnium Dominum, tum ut impoſitis nominibus, veluti homagium â cunctis reciperet. Vidit ille in hoc theriotropheo ſuccedentes ſibi identidem beſtias, miratúsque ſcenam mirabilem, cunctis impoſuit nomina, naturæ conformia, usque dum interrupto negotio ſive feſſus, ſive immiſſo â DEO ſopore extatico abſorptus, ſub arbore obdormivit.

Impoſitio Nominum.

Somnus.

Creatio Evæ quomodo?

Mel. Qua ratione è dormiente *Adamo* creata eſt prima mulier?

IX. Fingitur Eva

Leuc. Abſque dolore erepta dormenti eſt coſta, in cujus locum ſuffecta caro. E coſta per novam materiam ampliata, DEO Artifice, prodiît pulcherima virginei corporis fabrica, quam immortali Spiritu animatam adduxit ad *Adamum* Divinus ſimul & Plaſtes, & Paranymphus. ** Et enimverò, velut aliquid ſui, mox agnovit, ſociámque vitæ dilexit, mutuóque conſenſu agnitus eſt, & dilectus. Quin & conjugali vinculo acceſſit quoque Numinis benedictio, ſpes propagandæ ſobolis

* An coſta Adamo ſuperflua? ** An Adamo priùs alia uxor Liliſe è qua prognati dæmones per an. 130? Salianus.

lis fœcunda: *Crescite, & multiplicamini.* Dos amplissima, nempe volucres cæli, pisces maris, animalia terræ, totúmque, quà latè patet, hoc Universum.

Mel. An non à DEO datum his Paradysi Incolis aliquod Præceptum? *Praceptum quale?*

X.

Leuc. Datum est, ut DEUS se ostenderet Dominum, & illi se se agnoscerent subditos, ipsóque opere profiterentur. Obedientiam exigebat, obedientiæ prœmium proponebat, *coronam Justitiæ.* Prohibuit nempe tot inter Paradysi arbores unicam, quæ à Scientia mutuaverat nomen, sitáque erat in Horti medio, unà cum ligno vitæ. Declaratum porrò utríque, si fructu vetito abstinerent, in primæva sui statûs felicitate, postquàm plura sæcula, vitali pomo veluti sæpius renati, decurrissent, in Cœlum sine funere transferendos, & deinceps inter Angelicos incolas ævum perpetuum exacturos. * Sin rumperent imperata, quidquid bonorum modò haberent, amissuros protinus, séque in naturalem mortis necessitudinem, exiliúmque à Cœlo, daturos præcipites.

Vetátque malum lex tradita malum.

Firmatum quomodo?

Arbor vitæ qualis virtutis?

Il. Imò huic legi sic stabilitæ accessit insuper *pactum,* quo voluntati *Adami,* veluti *Capitis* constituti à Deo, Posterorum omnium alligatæ sunt voluntates, ea conditione, ut voluntas Patris suo modo jam filiis propria, eandem sortem sive faustam, sive infaustam in illos quasi hæreditaria proprietate transfunderet. * * *Pactum ratione Posterorum quale?*

Mel. Quid his præstitis omnibus egit insuper Creator DEUS? *Die septimo quid?*

Leuc.

*An lignum vitæ perfectam Immortalitatem attulisset? *Vide Coll. Hist.* ** An hæc allagatio ante omnem eventum optabilis Posteris? *Vide Coll. Hist.*

XI. Primáque tum celebrat feriatumSabbatha Numẽ. *Sabbathum.*

Leuc. Sic completo die ſexto, omníque opere conſummato, quievit tandem, vel ceſſavit potiùs, ſanctificans diem ſeptimum veluti *Sabbathum in orbe primum*, ſive *diem quietis primum*, quem ideò feſtum inſtituit, ut ſacro otio, cultúque Divino, maximè in recolendo Creationis beneficio ab *Adamo*, ejúſque Poſteris celebraretur.

Obſervationes Politicæ quæ?

Mel. Quænam obſervationes Politicæ?

Leuc. Boſſouetius,(a)*Meldenſis*Epiſcopus,& Delphini quondam in Hiſtoricis Inſtructor, è primi hominis creatione ſic colligit *Primum Politicæ verioris principium eſto, quòd vivendum ſit homini in hominum ſocietate, adeóque civiliter.* Solitariis proprium eſt, vivere *ethicè*; Politicis converſari *civiliter*: illorum finis *vita honeſta*, vel etiam ſancta; horum ſcopus, vita honeſta ſimul, & *ſocialis*; illi *Sylvarum incolas* agunt; hi ſocietatis humanæ *cives*. Protoparentem conſidera, videbis hominem unicum in homine unico contentum totum humanum genus. Ipſa Conjux, ex eodem producta, fundamentum ponit, quo ſtabilitur conjugii ſanctitas, & totius ſocietas humani generis. Hæc in Reipublicæ humanæ limine legenda epigraphe, *vivendum homini in ſocietate humana*, ut hominis erga hominem officia colligas. Omnes quippe, eodem Parente ſati, ad eundem Authorem, finémque tendimus: vel ideò fratres à DEO facti, ut relegatâ invidiâ, & arrogantiâ, eodem amoris vinculo creſceret, mutuíſque auxiliis conſervaretur humana Societas.

XII. Obſervationes Chriſtianæ quæ?

Mel. Quæ obſervationes Chriſtianæ?

Leuc. Prima monſtrat rerum omnium Creato-

(a) *Dans les diſcours, ſur l'Hiſtoire univerſelle.*

Creatorem, DEUM nempe, primum Principium, simulque Finem hominis ultimum, in cujus possessione sola mortalium consistit beatitudo. *Secunda* ostendit, Creaturas nil esse, nisi merissima media, in tantùm bona vel mala; eligenda sive rejicienda, in quantùm nos ducunt, vel abducunt à *DEO*, Mortalium fine ultimo. *Tertia* demonstrat, grandem esse dementiam, Cor DEI capax, Creaturis satiare velle: nempe *creâsti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Unde colligas, summam esse insaniam, pro dolor! inter homines communem, ut derelicto fonte, sibi fodiant cisternas, & finem ultimum statuant in Creaturis. *Quarta* denique indicat, nil casu contigisse unquam, neque contingere, sed esse DEUM, qui omnia portet *Verbo* virtutis suæ; esse DEUM, qui videt omnia, conservet omnia, disponat omnia juxta Divinæ beneplacita voluntatis. *S. Aug.*

Mel. Quæ observationes Polemicæ? *Observationes Polemicæ quæ?*

Leuc. Errores varios ex una hominis Creatione produxit Hæresis, errorum fœcunda Parens. (a) *Pelagius, Lutherus, Iansenius*, non nisi naturalia in primo homine dona agnoverant, è quo erroneo fonte diversus manavit error. *Pelagius* intulit, per peccatum nil ab Homine perditum, eundémque esse in statu naturæ lapsæ, ac integræ. *Lutherus* cum *Calvino* per peccatum naturale liberi arbitrii donum, deperditum deduxêre. *Iansenius* ex eodem fonte derivavit *impossibilitatem*, ùt habet phrasis scholastica, *status naturæ puræ*, intulitque *gratiam* in statu naturæ integræ ver-

(a) *Bellarminus de gratia Primi hominis l. uni: c. 1. 2. & reliquis.*

verſatilem, in ſtatu naturæ lapſæ *victricem*; atque *neceſſitantem*.

L. Bellaminus l. c.

II. Sed contra errores hosce ſtat Catholica veritas, dum donis ſupra naturam haud ſanè paucis, creatum initiò hominem demonſtrat: ſtat, dum oſtendit *Pelagio*, hominem peccando factum deteriorem, quia donis gratuitis ſpoliatum. Stat, dum oſtendit *Luthero*, hominem etſi peccando factum deteriorem, non tamen naturalibus donis, neque libero exutum arbitrio. Stat denique, dum demonſtrat *Ianſenio*, poſſibilem ſtatum naturæ puræ, impoſſibilem gratiam *inſuperabilem*, *indeclinabilem*, quæ omnia, ſolidius deducenda Collegiis Hiſtoricis reſervamus.

INSTRUCTIO SECUNDA

Ab Hominis lapſu uſque ad Cataclyſmum.

Mora in Paradyſo quanta?

Melander Quanta Protoparentibus in Paradyſo mora? quænam veſtis? qui cibus?

Per octidunm.

Leucotheus. Non deſunt, qui ſextæ diei opera, tanta deproperatione, inter ſe ſe invicem comprimunt, ut eodem die creatos, tentatos, lapſos, ejectóſque è Paradyſo Parentes noſtros ſibi perſuadeant: ſed veroſimiliùs philoſophantur, qui feriæ ſextæ in ſecunda hebdomade, hoc Orbis infortunium adſcribunt, adeóque moram in Paradyſo, intra octiduum comprehendunt.

Salianus.

Quæ veſtis?

II. Veſtis in hoc innocentiæ ſtatu nulla. Nec etiam ſplendore *Clarii* erat opus, quo cir-

circumdatos ſibi fingit: nam ubì nullus concupiſcentiæ fomes, pudor nullus: adeóque nullo opus fuerat tegumento: ſat tegitur, quem innocentiæ nuditas operit,

III. Cibum his Incolis præbebat terra in frugibus, in fructibus arbores: forſan lac pecora, mel apiculæ propinabant: nec ullum eſt dubium, cupedia varia, variásque delicias illis oblatas in hoc horto deliciarum: carnibus tamen ante diluvium abſtinuiſſe mortales ſatis eſt in comperto. *Qui cibus?* Idem l. c.

Mel. Quid toto octiduò egiſſe putas novos hos incolas in Paradyſo? *Adam & Eva in Paradyſo quid?*

Leuc. Vixêre vitam, omni moleſtia expertem, affluentem deliciis, undique beatam. Negotia alia *corpus*, alia *animum* diſtrahebant. Inter prima, opinor, fuerit luſtrare hortum hunc voluptatis, Omnipotentis dextrâ plantatum, & ſive ſitûs amœnitate, ſive auræ temperie jucundiſſimum, ac ſpeciali Numinis Ptovidentiâ, omnis generis deliciis abundantem potiùs, quàm repletum. Vidiſſes par nobile conjugum nunc contemplari vernantium florum areolas, luſtrare frugum, herbarúmque varias ſpecies, nunc arborum blanda fœcunditate, pictáque camporum planitie oculos paſcere. Offendiſſes nunc auſcultantes ludentibus in aëre choraulis; nunc ſedentes ad rivulorum crepidinem, ut aure haurirent ſtridulos ſuſurros; nunc jacentes ſub arborum umbris, ut ſuavi fructuum varietate ſe ſatiarent; nunc inter amœna vireta deambulantes, ut jucundis colloquiis Creatorem, in Creaturis ita mirabilem, ac beneficum deprædicarent. *Negotia corporis.* *Luſtrare Paradyſi delicias.*

II. Nonnunquam attoniti tot animalium occurſu, ſtupebant ſpecierum varietatem, *Imponere nomina animalibus.*

mirámque naturæ indolem, cui pro cœpto nuper negotio consentanea imponere nomina *Adam* continuabat.

Hortum colere.

III. Nec *horti cultum* ab *Adamo* neglectum putaverim, sic tamen, ut hic Paradysi Colonus non tam per manuum laborem, quàm per animi distractionem id faceret, adeòque, nec algeret, nec æstuaret, multò minùs sudaret, sive fatigaretur.

Negotia animi quæ?

Mel. Quæ negotia animum distrahebant?

Leuc. Non desunt, *(a)* qui cum incorporeis Mentibus, *Adamnm*, Angelum ipsum corporeum, sæpe versatum asserunt. Imò cum DEO, Deique Filio, corporibus in assumptis, ei se se conspicuos dantibus, egisse non raró familiariter autumnant. Illud extra dubitationis aleam omnem, hos Paradysi Incolas spiritualibus contemplationis, ac devotionis deliciis delibutos esse non raró, veluti Angelorum concives, & Domesticos DEI.

Contemplatio.

Tentatio Evæ qualis?

Mel. Quando, à quo, & quomodo tentata est Eva?

Leuc. In hac vitæ felicitate Parentes nostri jam egêre diem Mundi decimum tertium, vitæ octavum, sextum secundæ hebdomadæ, qui vix illuxit infausto sidere, cùm ecce infortunium ingens! *Mali origo fuit invidia* Dœmonis: hic enim cùm cerneret non tam præsentem, quàm futuram, qua ipse excidisset, Hominis felicitatẽ, livore tortus, consilio pessimo * *serpentem* induit, quo veluti fraudis accommodo symbolo, quia animali præ reliquis callido, tectus, plenis insidiarum oculis in omnem perdendi hominis occasionem imminuit.

I. Dum malum Eva capit, capitur. *octavo die à serpente.*

Quomodo?

Fortè sic evènit, ut solitario per Paradysum

(*a*) *S. Greg. apud Corn. à lap.*

* Qualis serpens fuerit? utrùm verus, an fictus?

ſum inceſſu vagaretur *Eva*, & malè conſulta conſiſteret ad arborem, *ſcientiæ boni malique* genitricem. Ibi ſerpens, vel potiùs in ſerpente Tentator, ex improviſo *Evam* alloquitur, blandáque ſermonis illecebrâ captans benevolentiam, * tandem ad ſcopum delabitur, per ſubdolam quæſtionem: *Cur præcepit DEUS*? quaſi diceret: haud ego crediderim, DEUM ter optimum hoc præſtantiſſimo fructu, veluti invidum privare ſeriò vos voluiſſe. Sic jacta tentationis ſemente mox ſuperſeminavit mendacii lolia, *nequaquam moriemini*; cúmque Mulieri infirmæ, & vacillanti adderet Divinitatis ſpecioſa illicia: *eritis ſicut Dii*, habuit, quod voluit, infelicitatis ſuæ conſortem, Hominem peccantem, humaníque generis quæſitum interitum.

Lapſus Parentum qualis?

Mel. Dic, quomodo contigiſſe hunc lamentabilem caſum Authores autument? (*a*)

II. Capit inde Maritum.

Per ſerpentem Eva.

Leuc. Eva ſerpentis intuitu minimè territa, quia in innocentiæ ſtatu animalium Domina, illius tamen alloquio primùm attonita, ſuſpicabatur, quod erat; altiori nempe virtute, mutum loqui hoc animal: nil tamen formidaverat, quia peccati immunis, & Divinæ gnara protectionis; hinc factum, ut curioſior auſcultaret, laudibus capta reſponderet, reſtrictam præcepto libertatem, & fateretur, & dubium de illo admitteret, vel diſplicentiam. Tandē per dæmonem excuſſo metu, & ſimilitudine cum Diis allicitur tumida, ** pomum aſpicit curioſa, aſpectu delectatur incauta, concupiſcit inprovida, carpit, comeditque infauſta.

[a] Salianus Cornel, à lapid,

* Quomodo locutus ſerpens? *Menoch.* c. 3. c. 12.

** Qulis fuerit fructus? an ficus, an pomum aſpectu delectabile? *Cor. à lapide.*

Per Evam Adamus seductus.

II. Et quod in malo hoc pessimum, ab accurrente Conjuge oblatum quoque *Adamo* est. Illa quippe cùm serpentis speciosa mendacia exaggeraret, virum blanditiis confundit primò; mox metu mortis nutanti paululùm, cùm se se monstraret superstitem, Divinitatis splendenti fuco sic excæcavit denique miserum, ut consentiret, pomum acciperet, fatalem dentem infigeret, vitam absumeret, æternámque mortem deglutiret infelix.

Peccatum quale? superbia.

III. Quòd si inter plura Conjugū concurrentia scelera capitale indages, (a) eminebit *superbia*, qua per *scientiam boni & mali* appetiêre quamdam cum DEO similitudinem, sic ut *virtute scientiæ propriâ* eligendo quod bonum, cavendóque quod malum se se dirigerent ad bene, beatéque vivendum, & quod consequitur, ad felicitatem penitùs independentem, & consummatam. *

Peccati effectus qui?

Mel. Quæ post lapsum secuta tandem catastrophe?

Rebellio concupiscentiæ.

Leuc. ** Sic *aperti amborum oculi*, ut detractis originalis Justitiæ spoliis nuditatem suam agnoscerent: & ecce! mox caro, spiritui rebellis, insurgere, nefandíque concupiscentiæ motus animum turbare, quos cùm ægrè compescerent, vicinæ ficulneæ foliis pudorem, se verò densioris arbusti latebris occultârant. Sic latitantes, dum amissâ originali Justitiâ peccati maculam agnoscunt; dum

Pudor.

(a) *Authores suprà cit. Salianus Cornelius.*

* An hoc peccatū maximū omniū? an Evæ, an Adami majus? *Men. Cent. 12. c. 49.* ** An Eva peccans vel non adverterit nuditatem, vel originali Justitiâ, utpote gratiâ gratis data, primùm spoliata sit *post peccatum Adami, & utriusque in obedientiam consummatam?* *Sal. Corn.*

dum Numinis ſententiam veram, dæmonis promiſſionem falſam experiuntur: ecce tibi! inclinante jam ſole, & aſpirantibus Zephyris, horridius quid minantem percipiunt ſtrepitum, veluti deambulantis DEI in Paradyſo nuntium, futurique Judicii prodromum. Cohorruêre illicò malè conſcii, dúmque ſtimulante, ut ſolet, metu inter cæcas arborum umbras inane ſceleri latibulum quæritant, à propiore jam Numine evocantur: *Adam ubi es?* Cujus iterata voce protracti, DEO ſub nota hominis ſpecie, ſeſe ſiſtere compelluntur. *Judicis timor.*

Mel. Quale Judicium, latáque à DEO ſententia? *Judicium quale?*

*Leuc.** Quæſtionem Judicis nec ſincera confeſſio, nec vera ſceleris ſecuta eſt retractatio. Excuſationum, quod mireris, prætenſa ſunt plauſtra, quæ dum culpam minuunt, augent, viro ſcelus in fœminam, hac in ſerpentem, vitioſo circulo, crimen rejiciente. Nec diſtulit ſententiam cœleſte Numen, virum, mulierem, anguē, ſuiſquemque ſuppliciis addicit. *III.* Et Paradyſiacis cum Conjuge.

Primò ſerpentem inter animalia maledictum, infamem, hominíque abominabilem declarat, pulveris pabulo, & repente pectoris inceſſu, ** ut ut naturæ congruo, nunc tamen veluti certo infamiæ ſtigmate multat, mutuo Mulieris odia indicit, capútque ab illa conterendum prænuntiat: quæ omnia allegorico ſenſu, utique tentatori Diabolo applicanda, cujus caput contritum *à Matre Virgine* novimus, nemo erit, qui dubitet: adeò *Maledictio ſerpentis.*

* Quomodo illud Auguſt. ſer. 19. de Sanctis intelligentum: *ſi Adam ſe non excuſâſſet, à Paradyſo non exulâſſet? Sal.*

** An priùs inceſſerit erectus ſerpens, ut vult *S. Baſilius? vide Sal. Corn.*

DEUS etiam vindex, misericordiæ non obliviscitur, ut pene citiùs remedium vulneri paret, quàm sauciet.

Evæ dolores in partu.

Secundò *Evæ* multiplicandas conceptuum ærumnas, dolores partûs, & subjectionem dominanti viro, vel ab invitâ sæpe præstandam, annuntiat.

Adami labores.

Tertiò *Adamo* sterilitatem terræ in suo opere, sudorem vultûs, & laborem multiplicem, nec rarò sterilem prædicit: & demum utrique mortis indicit sententiam, *in pulverem reverteris.* Quæ pene omnia naturæ puræ *suo modo* erant conformia, ut colligas, his non tam inflicta à Judice vulnera, quàm ablata dona gratuita, meritóque stupescas severam in puniendo clementiam, & clementem severitatem.

Utriusque Mors.

Pœna peccati duplex.

Mel. Quasnam pœnas secum traxit lamentabilis status naturæ lapsæ?

Natura spoliata donis gratuitis.

Leuc. * *Spoliata est primò Natura donis gratuitis.* Jam non ampliùs exempta fuit & à molestiis, & à laboribus, Terra extra Paradysi vireta persæpe sterili; jam non ampliùs immunis erat à vulnere, dolore, ægritudine, & ægritudinis pedissequa morte; ** non libera à concupiscentiæ rebellione, quæ privilegia, sicut naturæ, ùt vocant, puræ indebita, ita eidem in scelus prolapsæ, meritò sunt subtracta.

Vulnerata in bonis.

Secundò vulnerata quoque Natura *in suis bonis*, non quidem corruptione interna principii liberi, sed ut phrasis habet scholastica, amissione Juris illius ad specialem Numinis Provi-

* An possibilis status naturæ puræ? *contra Jansenium? vide Coll. Histor.*

** An immortalis fuisset homo innocens? *Vid. Q. Q. Colleg.*

Providentiam, qua ſuppeditata fuiſſent auxilia, Naturæ innocuæ debita, ad finem ultimum facilè conſequendum: ut adeò pateat, Naturam lapſam longè debiliorem eſſe Naturâ innocente, ſiquidem talis, etiam in ſtatu ad ſupernaturalem finem haud elevato, Creatori obediens permanſiſſet.

Mel. Enucleatiùs monſtra infirmitates, originali labe à primis Parentibus contractas, & in miſerabiles Poſteros transfuſas. *Pœnæ ſingulæ.*

Leuc. Vix bene vetitum momordit fructum infelix Pater, & mox eodem momento evanuit Divinæ gratiæ nitor, ablata cœleſtia dona, Numinis amicitia periit. His illicò ſucceſſit tetra animæ macula, penuria, contumelia ſtirpis, mancipatus Diaboli. *Jugum dæmonis.*

II. Vidiſſes intellectui mox *cæcitatis* offuſas tenebras; voluntatem malè prona in omne ſcelus prurigine debilitatam. Vidiſſes *originali Juſtitiæ* ſuccedere *nuditatem* infamem, *cupiditatum rebellionem* tantam, tantámque *in reſiſtendo debilitatē*, ut homini ſolius naturæ viribus fulto neceſſe ſit felicitate ſua excidere. *Cæcitas intellectûs.* *Voluntatis infirmitas.* *Rebellio concupiſcentiæ.*

III. Vidiſſes Hominem, *ſpeciali Numinis protectione* deſtitutum, mox, facto veluti agmine, obrui ſexcentis animi tædiis, curis, laboribus, penuria, fame: vidiſſes in illum irruere bella, morbos, dolores, calamitates, innumeros animi, corporiſque cruciatus, quódque miſeriæ caput, mortem ipſam, terribilium omnium terribiliſſimam. Vidiſſes denique hanc originariam labem, ac luem, ſic in poſteros transfuſam, ut peccati relicto fomite plerumque præbeat ruinæ ſive cauſam, ſive impulſum, quo veluti naturæ fato in gehennæ ſupplicia plerique ſe ſe agant præcipites, æternùm miſeri, *Miſeriæ corporis & animæ.* *Mors temporalis.* *Translatio pœnarum in Poſteros.* *Mors æterna.*

quia Parentis miſeri infelices nimiùm Nepotes. O malè carptum malum, ex quo malorum omnium Ilias!

Ejecti è Paradyſo Quomodo?

Mel. Quomodo Parentes ejecti è Paradyſo?

Leuc. Latâ â DEO ſententiâ, Angelorum haud dubiè miniſterio, veſtiti ſunt miſeri animalium ſpoliis, ut ante oculos haberent hoc mortis ſymbolum, & miſeriarum vile tegumentum. His laciniis indutos cùm aſpexiſſet Creator, ſarcaſmo ironico, inanem meritò exprobravit ſuperbiam. *Ecce Adam, quaſi unus ex nobis*? Ut ſciret bonum & malum comédit ex ligno *ſcientiæ*: & verè cognoſcit modò, quàm bonum fuiſſet obedire Numini; cognoſcit, quàm malum ſit & amarum, dereliquiſſe Dominum Deum ſuum: habet quod voluit, quæſitam cum Deo analogiam. Nunc ergò, ne comedens de ligno vitæ, immortalitate quoque ſe ſe nobis ſimilem faciat, exturbandus eſt Paradyſo. *(a)*

IV. Pellitur hortis.

II. Hæc dixit DEUS, & illicò par conjugum infelix Angelorum ope vel ducti, vel rapti ſunt è loco hoc voluptatis, poſitíque è regione Paradyſi, ut illius intuitu lugerent ſæpiùs quòd ſemel infeliciter perdidiſſent. Atque ut omnis præcluderetur ſpes reditûs, Cherubino bifidum, flammeúmque gladium rotante præcluſus eſt aditus ad lignum vitæ, & Paradyſum, usquedum & iſte univerſali diluvio, nativo decore ſpoliatus probabiliore conjecturâ interiît. *

Paradyſus munitus Quo?

Deſtructus quando?

Acta ab Adamo ejecto Quæ?

Mel. Quid porrò actum ab *Adamo* è horto Paradyſi ejecto?

Pœnitentia.

Leuc. Ingemuit non rarò ſortem, quam tunc

(*a*) *Gen.* 3. *v.* 22.

* An etiamnum ſuperſit Paradyſus? *Vide QQ. Colleg.*

tunc demum expertus infaustam nimiùm: nec Paradysi situm aspexit unquam, quin effusas solveretur in lacrymas. Nam in mentem illicò venerat, quòd ab arbore mali, factus ipsemet sit arbor mala, cujus fructus omnes eodem maledictionis stigmate notandi essent.

II. Sic cùm colligeret pœnitentiæ fructus, animum erexit sæpè Divina Promissio, venturi è Mulieris semine Redemptoris, qui contriturus esset serpentis caput: qua fide in Messiam venturum, veluti unico fulcro, in tanta carnis infirmitate, & substitit ipse, & posteros subsistere docuit, Cœlo è prævisis jam *Christi* meritis auxilia gratiæ efficacia elargiente. *Ejus Religio.*

III. Demum propagandi humani Generis desiderio, *Adam* cognovit conjugem suam, dixitque *Evam*, hoc est *Matrem viventium*, quæ ubi peperit filium, nominavit *Cain*, hoc est, *possessio*, dicens: *possedi hominem per DEUM.* Rursùmque concepit, & genuit *Abel*, quod idem, ac *vanitas*, utpote qui præmaturo fato ostendit brevì, *quòd universa vanitas omnis homo vivens.* *Humani Generis propagatio. A. M. 2.*

Mel. Cur, & quomodo à *Caino* fratre occisus *Abel?* *Cædes Abelis.*

Leuc. Causam præbuit *morum disparitas:* erat *Caino* indoles aspera, immorigera, contumax, ac in omne scelus, si non projecta, saltem prona, & monstrans originalis peccati lolia, quæ mox magno Parentum luctu adolevêre. Contrà *Abeli* erat genius comis, ingenium æquè mite atque tractabile, mores ad rationis leges exacti, magna in fratrem majorem natu observantia, in Parentes reverentia major, in DEUM religio maxima. *V. Cæsus Abel moritur. Causa, morū disparitas. a. M. 10.*

 II. Hinc

Occasio, DEI favor. A. M. 100.

II. Hinc sicut dispar Divinitatis cultus, ita dissimilis fuerat Cœli favor, qui occasionem fratricidii præbuit. Nam *Abel*, quoties DEO per victimas supplicabat, selegerat optima quæque è gregibus, frugibusque: *Cain* deteriora, melioribus in suas delicias reservatis: hinc ignis Cœlo delapsus absumpsit munera *Abel*, intacta reliquit despecta munera *Cain*, & hæc innocua flamma tantum livoris & odii ignem in *Caini* mente accenderat, ut insuper habitis DEI, spectabili tantisper corpore se offerentis, monitis ad fratris interitum animum obstinaret.

Modus proditorius. A. M. 130.

III. Modum patrando sceleri delegit *Caino* dignum, quia proditorium: nam amicitiæ specie nil suspicantẽ in agros pellectat: *(a)* cúmque inter colloquia in Authorem Naturæ multa criminaretur blasphemus, nunc providum negans, nunc justum, causam DEI defendentĩ Germano ligonem in cerebrum, pectúsque adegit latro, effuso sanguine indignantem terram rigante, & clamore tacito ultricia sidera feriente.

An at. 129. M. 130.

Pœna, Interitus Caini Qui?

Mel. Quæ pœna, qui interitus *Caini?*

VI. Nemesin trepidante Caino

DEUS primis hominibus loqui solitus: quomodo?

Leuc. Ad vocem sanguinis vindictam clamantis, non dilatum est à Cœlo judicium: affuit DEUS, *(b)* & vel per se, vel per Angelum visibili forma, seu voce solummodò intelligibili, seu mentis illustratione interna, rationem exegit commissi sceleris, convictúmque maledictionis fulmine percussit.

II. Neque putes hanc maledictionẽ constitisse in subitanea morte, nam majorem pœnam exigebat atrocitas sceleris, sed in vita, quæ morte

(a) Salianus, Cornelius à lapide. *(b) Idem.*

te gravior, morique cupidum pœna multiplici contabescere compellebat. *Pœna multiplex.* 1. Erat sterilitas in opere. 2. Conscientiæ vermis. 3. Intemperies animi, inquietudo, timor, sanguinis effusi voce aures identidem fulminante: *omnis, qui invenerit me, occidet me.* 4. Tremor corporis, positus â DEO in signum, ne vindictæ victima caderet, & ampliùs non timeret. 5. Exilium & fuga: *vagus eris, & profugus super terram.* Hinc desperationis furiis actus, instabilis diu, consedit tandem in terra *Eden* seu *Nod* ad orientem, filiisque procreatis, ædificavit primam civitatem, â Primogenito *Henoch* dictam *Henochiam (a)** velut asylum timoris, ut videas originem urbium fuisse, non tam horrorem culpæ, quàm pœnæ. *A. M. 150.*

III. Habet multorum traditio, *(b) Cainum* jam admodùm senem, cùm tædii levandi ergò in sylva fessus consideret sub arbore, tremore corporis feræ latentis speciem faciente, â *Lamecho* Abnepote imprudenti telo esse confossum. Hic cùm cerneret, se armigeri sui (*Tubalcaini* filium asserunt) credulo nimis errore inductum, iracundiâ efferus, errorem novo scelere cumulavit, Juvenémque nequicquam quiritantem arrepto, quem nemus fortè obtulerat, fuste repetitis ictibus lividum trucidavit, dignus *Caini* Abnepos, qui dum in *Abavo* homicidium puniit, homicidio nepotis, ejusdem pœnam novus jam homicida promeruit. *Mors incerta.*

Mel. Quis erat animus *Adamo*, cùm vidit *Abelem*, cruentam fraternæ invidiæ victimam? *Adami luctus*

(*a*) *Tertulianus.* (*b*) *vide suprà cit. Interpretes.*
* Qualis Urbs? *Men. c. 12. c. 8.*

Leuc. Legit in filii sui exangui cadavere mortis in se latæ sententiam, ac tunc primùm, nec sine lacrymis, agnovisse dicitur horrendum ex pœna scelus. Luctum non nihil absterśit cœleste Numen, cùm præter numerosam aliam sobolem ei indulsit denuò filium, nomine *Seth*, qui fraternæ pietatis hæres, proseminavit Posteros, quos sacer Codex DEI *Filios* nominat, sicuti *Caini* nepotes, proprio malitiæ paternæ titulo, *Hominum Filios* appellavit.

Filii.

a. M. 131.

Mors. IV. post adæ mortem.

II. Cæterum Protoparens noster, postquàm nongentos triginta annos emensus, nepotes vidit, per generationes novem jam quaquaversùm dispersos, sicuti de propagatione humani Generis lætus, ita de lamentabili morum corruptione mœstus, diem ultimum obiît, vel in ipso culpæ infortunio felix, utpote quæ pœnitentiam tam salutarem, tantùmque nacta est Redemptorem. Decennio pòst secuta Conjux, si fides *Hebræis*, viro vel ideò superstes, ut ejus exemplo disceret bene mori. *Adamum* alii sepultum volunt in *Hebron*, alii ejus ossa arcæ illata, & inter Filios distributa à *Noëmo* asserunt, *Setho* cranium in monte Calvariæ sepeliente: sed credant hoc, quibus volupe falli cum Viris etiam magnis.*

a. M. 930. ante Diluvium 726.

Mors Evæ. a. M. 940.

Sepulchrum Adami.

Mel.

* *Adamum* damnatum esse, ac reprobum voluerunt *Tatiani* Discipuli, & *Encratitæ*: quos arguunt merito SS. Patres, & ob id in crimen vocant. Audaciùs ergò, ne quid dicam gravius, asseruit *Rupertus*: *Id à multis liberè negari, à nullo satis firmiter defendi &c.* Qui enim jam id diceret, minimùm temerarius esset: & vero huic labem temeritatis allinas sapienter, quem S. *Irenæus* blasphemum appellavit. Utrùm autem *Adamus* sepultus sit in monte *Calvariæ*, adeò ut in ejus cranium Christi morientis in Cruce sanguis deciderit, non credo, nec mecum cre-

Mel. Quænam *Adæ* Posteritas, & quàm longa Patriarcharum primorum vita? *Adæ posteritas, ejúsque vita quàm longæva?*

Leuc. Generationes 10. numerat hæc Mundi ætas. *Adam, Sethus VIII.*

I. Adam vixit annos 930.

II. Sethus 912. in quo cæsi *Abelis* pietas non modò refloruit, sed etiam aucta est. Dictus ab *Eva Sethus*, quod est basis Posteritatis sanctæ, quæ D. *Augistino* dicta est *DEI Civitas*. Superis Seth plantat amatam stirpem.

III. Enos annos emensus, quinque ultra nongentos, vitam vixit Religioni Numinis tam addictam, ut eo Authore *cæptum sit invocari Nomen Domini*: cultu nempe *novo*, & *publico*, quo Fideles & ad preces publicas, & ad sacrificia, cultúmque DEI, novis solenniorem ritibus, convocârat. *Enos.*

IV. Cainan annis 910. *Malalaël* 895. *Jaredus* 962. superstes legitur. Hujus filius *Henoch* postquam annis 365. vitam duxit in terris angelicam, Cœlo dignior è Mundi consortio translatus, sepositusque est ad ultima tempora, Legis â natura inditæ futurus Testis, & pœnitentiæ tavmaturgus Præco. (*a*) *Locus*, quem incolit, non desunt, qui Paradysum assignant, eúmque ligni vitalis fructu vitam alere autumant. (*b*) Illud verosimilius, translatum esse in Paradysum, usque dum hic aquis mersus evanuit; vel si mavis in alium locum amœnum, quem Paradysi nomine *Ecclesiasticus* innuit, ubi unà cum *Elia* socio, sine cibo, potúque in contemplationis deliciis cœlestem tran- *Cainam, Malalaël Jaredus Henoch. Ejus Translatio. A. M. 987. Locus. Vita.*

diderunt Patres emunctæ naris, & qui id scripsêre, nomine Gigantis *Adamo* cognoninis, in fraudem inducti videntur esse: neque semper cum magnis Viris falli lubet. Ita Brietius *ad a. M. 930.*

(*a*) *Bellarminus.* (*b*) *Salianus Cornelius à lapide.*

transigit vitam, beatis Mentibus invidendam.*

Mathusalem V. *Henochi* Filius *Mathusalem*, Mortalium omnium maximè longævus, annum ætatis attigit 969, Orbis interituri ultimum *(a)* ad cujus

A. M. 1656. exordia, die scilicet septimo, ante diluvium, concessit fatis, ne bonus senex tot imminentia mala haurire oculis cogeretur.

IX. Mathusalem summo memoratur ab ævo. *A. M. 1507.*

VI. Ejus filius *Lamech* explevit annos 777. cui denique successit *Noë*, *Janus* bifrons, qui una vitâ geminam Mundi ætatem emensus est. Patriarcharum vitas claudat ænigma triplex, *Theodoro, S. Pachomii* discipulo, â quodam Philosophastro propositum. *Quis non natus, & mortuus? quis natus, nec mortuus? quis mortuus, nec corruptus?*

Anni primorum Patrum nostris similes.

Mel. Putásne Patrum istorum annis, eadem quæ hodie, fuerit dierum, mensiumque periodus?

Leuc. Æqualis fuit, duodecim nempe mensium. Ut nobis testis est sacer Codex. si enim, velut deliris quibusdam visum, annorum illorum periodus non nisi menstrua fuisset, *Malalaël*, & *Henoch*, quos anno ætatis sexagesimo quinto *(b)* Patres fuisse legimus, mense sexagesimo quinto, hoc est, anno ætatis sexto, juxta nostræ chronologiæ computum, jam generâssent, id quod naturæ vires, & fidem superat. Imò sequitur, omnes diem obiisse ante annum octogessimum secundum, quam ætatem etiam hodie non pauci exsuperant.

Vita adeò longæva Cur?

II. Ætatis porrò tam provectæ rationes plu-

(*a*) *Salianus.* (*b*) *Gen. c. 5.*

* An cum Elia semper in statu viæ meritorio vivat, sic ut meritis superet Sanctos omnes?

plures affert *Pererius*. 1. Quòd Natura necdum fuerit tot peccatorum miseriis attrita. 2. Primæva bonitas complexionis. 3. Sobrietas tanta, ut carnibus abstinerent, & vino. 4. Primus vigor terræ, & fructuum. 5. Scientia *Adæ* nepotibus communicata, qua ipsis cognitæ erant herbarum virtutes medicæ. 6. Benignus siderum influxus. 7. DEI providentia, Naturæ vigori cooperantis, ut citiùs propagaretur humanum Genus. Id tamen animadversione dignum, neminem attigisse annum millesimum, ut videas, etiam longissimam vitam in hoc mundo, ne quidem punctum esse intuitu æternitatis: cùm mille anni coram DEO, *quasi lux hesterna.* (a)

Mel. Quænam artes inventæ in prima Mundi ætate? *Artes inventæ quæ?*

X.

Leuc. Variæ. *Abeli* alendorum pecorum artem adscribunt: *Sethum* Hebraicas litteras esse commentum, testis est *Suidas:* Astronomiæ inventionem eidem tribuit *Josephus*. *Enoch* omnium primum libris quidpiam mandâsse colligitur ex *Juda Apostolo*. *Josepho* si fides, *Sethi* soboles, ab *Adamo* certior reddita, Mundum aquis, & igne interiturum, duas cœpit erigere columnas, lateritiam unam, lapideam alteram, vel ùt alii volunt, aheneam, eo fine, ut ista contra aquarum eluviones, illa contra ignis furores munita perennaret. Hinc illarum uni liberales artes, præsertim doctrinam de DEO, rebúsque astronomicis; alteri promissionem de *Christo Adæ* factam, opere cælario incidit, ut oblivioni superstites Posteritati transmitterentur. Sed nec muliebre ingenium rude omninò

Per Jubal atque Tubal artes exordia sumunt.

Pastoritia, Astronomia.

A. M. 1001.

(a) *Psal.* 89. 4.

nò fuit, ac ſterile: tractare lanam *Noëma*, *Tubalcaini* ſoror, muliebrem ſexum edocuit.

Lanificium.

II. Imò nec *Caini* Poſteritas, etſi propago Superis exoſa, naturæ dotibus orbata legitur: ſic *Caino* adſcribitur agricultura: *Jubal* Muſicam, *Tubalcain* artem armorum ferrariam inveniſſe traditur, ſic diſponente Numinis Providentiâ, ut vita in bellum & pacem diviſa, ex hac caperet delectationem, ex illo ſecuritatē.

Agricultura Muſica Ars fabrilis. Numinis.

Mel. Quibus denique ſceleribus corruptum hoc aureum ſæculum?

Aureum ſæculum corruptum, quomodo?

XI. Fit per famoſos Tellus ſcelerata Gigantes.

Leuc. *Caini* progenies, veluti ſcaturiginis purulentæ propago peſtilens, quid aliud poterat Mundo invehere, niſi ſcelerum ſordes? *Lamechus* mœchus, (a) ruptis honeſtatis â DEO præceptæ repaguiis, Polygamiam induxit, ducens uxorem geminam *Adam*, & *Sellam*. (b) E prima natus *Jabal* & *Jubal*: è ſecunda *Tubalcain*, & *Noëma*, ex utraque liberi ſeptuaginta ſeptem *Joſepho* teſte.

Polygamia.

II. Subin & Filii DEI (*Sethi* ſobolem innocentiâ vitæ Cœlo gratam intelligo) malorum, ùt ſolet, conſortio depravati contraxêre Veneris peſtilentem luem. Nam primò *curioſitate* duce viderunt *filias hominum* (*Caini* progeniem hac phraſi notat S. Scriptura) móxque perſtricti illarum formâ, illecebríſque capti, liberiora iniêre conſortia: demum, ùt lubrica in pejus ſemita, inſuperhabitis Majorum monitis, vetita miſcuêre connubia, quibus corrupti, frénum laxârant in eandem cum *Cainitis* licentiam. Ex ſceleſtis ejusmodi *Hymenæis* quid aliud ſperari poterat, niſi propago impia, è malis corvis ova peſſima, Nepotes in omne flagitii genus pro-

Luxuria.

(a) *Gen. 2. v. 24.* (b) *Circa tempora* Lamechi *pii 1042.*

projecti? Verbô: Scriptura nominat *Gigantes*, hoc eſt, DEI & Hominum contemptores, homines monſtroſa ſtaturâ, & robore famoſos, latrociniis, & tyrannide infames, imò non homines, ſed pudendis flagitiis abominanda hominum monſtra, quæ cataclismum, ſcelerum vindicem, in Mundum hunc attraxêre.

Mel. Quænam obſervationes Politicæ? *Obſervationes Politicæ, Quæ?*

Leuc. Ex dictis facilè colliges *Dignitatem humanam* in primæva ſua origine, quæ non in otio, tripudiis, luxu, vel Aulæ pompis, ſed vitâ paſtoritia ætatem omnem exegerat. *Dignitas humana.* Deprehendes Mortalium genium originali labe turpiter depravatum; & peccata unicam eſſe Reipublicæ peſtem, ac corruptelam. Videbis Regimen inter filios DEI paternum, ut Patriarcha quivis ſuam familiam rexerit; ut filii hominum incoluerint oppida, uſi forſan regimine non niſi ad rudem formam civili,

II. In *Caino* cernes invidiæ índolem, in *Enochia* urbe videbis urbes, ſcelerum non rarò aſyla, nî illas condat Societatis humanæ concordia, mutuúſque conſervet amor. *Invidia.* Denique in proborum, & reproborum promiſcua confuſione deprehendes Gentium corruptelam, & ſecretiores cauſas omnis diſſidii, violentiæ, ac belli inter Mortales.

Mel. Quæ obſervationes Chriſtianæ? XII.

Leuc. Colliges I. Hominis in primo ſtatu felicitatem, ſi modò hoc uti voluiſſet, ùt potuiſſet. Obſervationes Chriſtianæ quæ? Cernes invidiam dœmonis, naturæ etiam integræ conditionem, arbitrio libero labilem, imò cernes lapſum terribilẽ, pœnámque lapsûs in Poſteros transfuſam, quam relevare non poterat, niſi Redemptor DEUS. *Felicitas hominis Invidia dæmonis.* Inde deſumes, peccatum eſſe malum in Orbe unicum, *Peccati infanda malitia.*

cum, imò malorum omnium fontem, & miseriarum Iliadem: videbis jam à Mundi primordiis Innocentiam persecutionibus pressam, malitiam sceleribus inaniter triumphantem, conscientiæ malæ terrores, despoticam affectionum malarum tyrannidem, & stupendam humani Cordis ad quævis mala proclivitatem.

Societatis pravæ contagia. Colliges II. Malitiam hominum cum hominibus sensim multiplicatam, Filiorum DEI à filiis hominum diversitatem, societatis pravæ contagiosam luem, è qua denique universæ carnis est secuta corruptio. Imò videbis jam inter primos *Adami* filios, radices egisse geminam stirpem, in *Caino* reprobam, in *Abele* probatam: hanc à DEO electam, illam suo demerito à Conditore rejectam.

Figura Christi in Abele. Colliges III. *Abelem Christi*, *Cainum* verò *Judaici* Populi fuisse ectypon. (a) Et *Abel*, & *Christus* in ætatis flore occisus, uterque innocenter, ac per invidiam; uterque à fratre, ille à *Caino*, hic à Judaico Populo. Utriusque sanguis clamavit in Cœlum teste Apostolo(b) utriusque Fratricida, ad pœnitentiam revocatus est frustrà, & in sua obstinatus perfidia vagus fuit, & profugus, ejectúsque à facie terræ.

Ecclesiæ primitivæ fundamenta. Colliges denique IV. *Omnipotentiam* DEI in stabilienda jam tunc primitiva sua Ecclesia; *Sapientiam* in regenda; *Bonitatem* in protegendis probis; *Justitiam* in puniendis reprobis; & *Majestatem* prorsus infinitam, quæ citò offenditur, nec nisi infinita satisfactione placatur.

Observationes Polemicæ. *Mel.* Quæ observationes Polemicæ?

Leuc. *Hybnero* teste, *Adam* non nisi duos initiò

(a) Salianus. (b) *Ad Hebræ.* 12. 14.

initiò filios habuit, & inter duos unus tamen erat ſceleſtus, ut colligas jam ab origine fuiſſe reprobos veluti lolia probis commiſtos. Agnoſcit, & experitur hoc ſancta Mater Eccleſia, imò teſtatur *Chriſtus*, dum ait: *oportet eſſe Hæreſes.* An *Caino*, an *Abeli ſimilior* ſit *Lutherus*, problema eſto, quod ducto parallelo alii dudum jam deciderunt, ipſomet ſuum addente ſuffragium, dum dixit: **Er ſeye ein von GOtt auferweckter Deüffl.** (a)

Oportet eſſe Hæreſes.

II. Hybnero Authore, etſi nemo ſeduxerit *Cainum*, factus nihilominùs eſt homicida, ut colligas, inquit, radicem ſcelerum homini ipſi intrinſecam. Aliter ſentit *Lutherus*, dum malitiam hominis DEO adſcribere non veretur, dicens: **Daß GOtt die Menſchen zur Sünd antreibe/ und alle Laſter in ihnen wircke.** (b) Mireris ſanè *Hybnerum* ſat malè providum, dum eodem ore, quo *Lutherum*, Beati inſtar, adorat, ſcelaſtam ejus doctrinam refutat, atque condemnat.

(a) *Tom. 6. Jen. Ger. f. 360.* (b) *Tom. 6. Witt. fol 522. 523.*





Ætas secunda: status Patriarcharum, qui viderunt Gentium dispersionem.

CAPUT II.
DE II. EPOCHA
A Cataclismo usque ad Abrahamum ejú que fœdus cum DEO per circumcisionem a banno Mundi 1656. usque ad annum 2039. intervallo annorum 383.

INSTRUCTIO UNICA.

Causa Diluvii quæ?

I. Diluvii Causas.

A.M. 1235.

MEľander Quæ causa Diluvii?

Leucotheus: Peccata Mortalium, carnis præcipuè lues, quæ universali contagio jam jam corruperat humanum genus. Nihilominùs tot inter spinas & tribulos prominebat adhuc unicum lilium, Noë, vir Justus, qui Cœli vindicis minas auguratus, nihil non egit, Zelosus Præco, ut contribules sui pœnitentiam agerent: sed frustrà; nam ubi caro dat stimulos, in interitum est præceps cursus.

DEI Sententia.

A.M. 1557.

A. 1537.

II. Continuò latiùs serpente venerea lue, DEUS dolore tactus intrinsecùs *Noëmo* insinuat fatalem sententiam: *Delebo hominem â facie terræ*, nî tempore resipiscat. Tandem, ut iminentis exitii propiora præludia ob oculos poneret, centum omninò annis ante diluvium, â *Noëmo* jubet construi Arcam, partim pœnæ decretæ nuntiam, partim mediatricem, quæ tabulam offerret miseris, si modò pœnitentiæ lacrymis prius se mergerent, quàm undis ultricibus mergerentur.

Mel.

Mel. Quæ arcæ materia, figura, & forma? *Arcæ materia.*
Leuc. Ab Architecto Numine præscripta *materia cedrina*, ex ligno *Gopher* lævigato, & undarum humoribus resistente.

II. Forma ædiculæ quadratæ potiùs, quàm navi similior. *Forma.*

III. Illius porrò interior constructio cùm sacer Historicus sileat, ad mentem aliorum Interpretum sic adumbratur. (*a*)Pars infima, si *Origeni* fides destinata sentinæ, ac saburræ, ob librandum Arcæ pondus fuit cubitorum quatuor: hujus tabulato superstructa erat contignatio triplex, sic ut prima, decem cubitos alta, in varia stabula, relictis opportunè viis divisa, quadrupedibus deserviret. Media, octo cubitis erecta, commeatum servabat cum variis ambulacris ad apothecas frumentarias, fœni repositoria, aquæ dolia &c. divisa per scalas, & tubos ad demittendum commodè alimentum. Suprema, octo cubitos altitudine comprehensa, mediam partem cubiculis distinctam, pro familia *Noë*; extimam volucribus feris; alteram *cicuribus* destinabat: porrò spiracula, & fenestellas, in quavis contignatione plures, & aëri, & luci recipiendæ accommodas, conjecturâ probabili Authores adstruunt. Has inter suprema erat unius cubiti è speculari lapide hominum usui destinata, cui imminebat tectum, obtuso admodùm angulo, sic ut tota fabrica *trecentos* cubitos longa, lata *quinquaginta*, alta vero *triginta*, bitumine ubique illita, contra aquarum furores, & eluvionum impetus optimè muniretur. (*b*)

Constructio? interior quæ?
(*a*) *Cornelius à lapide, Salianus, aliique Interpretes.*

Mel. An Amplitudinem Arcæ pro tanto animalium numero sat spatiosam existimas? *Amplitudo Arcæ an sufficiens?*

E 2 *Leuc.*

(*b*) *Cubitus continet* 1 & $\frac{1}{2}$. *pedem*: pes 12. *digitos.*

Leuc. Id negabant Hæretici veteres, sed absque fundo. Nam si trecentos longitudinis cubitos in quinquaginta latitudinis ducas, prodibunt quindecies mille cubi, seu quadrata cubica, quæ si multiplices per 30. altitudinis cubitos, computus dabit totam Arcæ capacitatem in cubitis 450000. in pedibus verò quadratis 675000. quæ utique ampla satis. Hæc Eruditis.

15000.

II. Arcæ spelæa.

II. Cæterùm id scire sufficiat, quòd contignatio prima potuerit dividi in stabula trecenta triginta tria, quorum singula sex cubitos longa, & lata; alta verò decem: jam cùm Zoographi vix triginta supra centenas quadrupedum species numerent, insectorum verò, serpentum, atque reptilium vix triginta, liquet, multa stabula mansisse residua, in quibus locata commodè animalia, quæ in cibum carnivoris servirent.

Præparatio ad ingressum in Arcam quando?

Mel. Quando, & quomodo ad ingressum in Arcam parata â *Noë* omnia?

A.M. 1656.

Verno tempore.

Leuc. In hujus ædificii fabrica jam penè effluxerat sæculum, in ventum dilapsis sive pœnitentiæ monitis, sive imminentis exitii minis, quibus â Popello in flagitiis jam excæcato, repositæ nil nisi sannæ; quasi delirus Propheta, & emotæ mentis senecio præcipitia in plano, in sicco naufragium cerneret, ac formidaret. Cùm Ecce! appropinquat annus supra millesimum sexcentesimum quinquagesimus sextus, Mundo necdum pœnitenti fatalis.

Qualis? arca commeatû instructâ.

II. *Ruperto* teste vernum tempus læta præseferebat tunc anni exordia; vernabant campi; florebant horti; nemora frondebant; amœnis avium cantibus personabat aër, jucundo *Cynthio* ridebat Cœlum, in amoribus mutuis lasciviebant Mortales, instanits fati immemo-

memores potiùs, quàm ignari. Hinc illis aurem fortiùs vellicatura jam propior Nemesis, mensis secundi, Maji scilicet, die decimo eripit perituro Orbi *Mathusalemum*: mox *Noëmum* jubet vasa colligere, commeatu Arcam instruere, ex affuturis animalibus immundis bina, è mundis, & avibus septena seligere, par nempe conjugum triplex propagationi, septimum masculum, sacrificio Eucharistico, mox ùt cessâsset diluvium, reservandum. *Salianus.*

Mel. Quando, & quomodo animalia, & *Noachi* familia Arcam ingressa? *Ingressus in Arcam qualis?*

Leuc. Jam ex omni parte, velut ad commune asylon, instinctu proprio, sive Angelico ductu animalia sensim approperabant * Vidisses hìc leones, & tygrides, feritate ad tempus mitigatâ, accurrere: ibi adrepere serpentes, & colubros planè innoxios; illic advolare cygnos & aquilas, ubique tam multiplici varietate, ut reptilium viginti quinque; animalium centum supra quinquaginta, totidem volucrum species circiter, bina & bina Arcam successivè ingrederentur.* *A. M. 1656.* III. Noëmi ingressum. *Animalium.* *Arias Montanus.*

II. Ad hoc spectaculum attoniti quidem, nil tamen moti Mortales, velut ad comœdiam ludicram, jocante Cœlo exhibitam accurrebant: imò in sua fata jam obstinati tripudiabant: edendo atque potando, jocando atque ludendo eludebant auguria; choreas ducendo, festáque celebrando floralia ætatem auream conterebant. Verbô: quid quid corrupto genio lubebat, licebat, dum denique die decimo septimo *Noë* *Octo hominum.* *Ætatis A. 600.*

 cum

* An vulturum par, an avis Paradysiaca, an Syrenes, an mures, muli, an amphibia in Arca servata? *Menochius cent. 3. q. 93.*

cum sua familia, *uxore* nempe *tribus filiis, eorúmque Conjugibus* ingressus est Arcam, januam claudente Numine, & bitumine illitam signante, hac velut epigraphe: *multi vocati, octo salvati: jam clausa est veniæ janua; cæteris pereundum.*

Diluvii exundatio qualis ac quanta?

Mel. Quomodo aquis Diluvii demersa sensim terrarum moles?

Leuc. Completâ tandem peccatorum mensurâ, & elapsô pœnitentiæ termino, in nubes repentè coire Cœlum, turbari elementa, venti fremere, micare fulgura, simul è terræ abyssis proruere torrentes, simul de Cœlo decidere imbres, & ruptis veluti cataractis Urna cœlestis tota effundere flumina, simul Oceanus, littore perfracto exæstuans, terram penitùs inundare.

Ruptis cœli cataractis.

Interitu lamentabili.

II. Sensêre tandem Mortales, non jocandum cum Superis, jámque sapere lubebat, sed non licebat. Vidisses luctuosum spectaculum, cùm inter ventorum fragores hi bacchantium ritu discurrerent, illi inter ejulatus cum occurrentibus aquarum turbinibus inaniter luctarentur, ipsique infantes, implorata nequidquam Parentum ope per horrendos undarum vortices absorberentur. Vidisses lamentabilem faciem, cùm illos in ædium tecta, hos in montium juga fugitivos aquæ vindices persequerentur, sensímque ereptos non modò mergerent, sed etiam sepelirent profundè adeò, ut sepulchrum hoc aqueum quindecim cubitis etiam altissimos montes transcenderet, & superaret. * Ajunt, non paucos, necessitate in virtutem conversâ, arripuisse pœnitentiæ tabulam, & cum vitæ jactura, ad æter-

* An omnes damnati? *Men. Cen. 11. C. 36. Cornel. Salian.*

Septentrio.

Occidens.

Oriens.

Meridies.

Mons Acra

Salem Filia Sion seu Urbs inferior.

pars Urbis Inferioris

Civitas Nova

Bezetha Mons

Arx Sion

Mons Gihon

Getsemani

Bethania

Fol: 70 Con.

Ichnographia Urbis Jerosolymitanæ.



a. Mons Oliveti, è quo Romani primò conspecti. b. Tumulus Ioannis Pontificis. Castra Titi. c. Porta, è qua prima Iudæorum eruptio. d. Mons Moria, seu Filiæ Sion. e. Templum. f. Palatium regium. g. arx Antonia. h. Cancellaria à Rebellibus succensa. i. palatium Pilati. k. Mello, seu vallis dividens urbem superiorem ab inferiore. l. domus Añæ. m. Caiphæ. n. S. Ioañis Evang. post Passionem. o. palatium Herodis. p. domus Anani à Zelotis succensa. q. palatium Antiochi ab ysdem succensũ. rrr. murus intimus cum 60. turribus. sss. vallum à Tito erectum per 39. stadia cum 13. turribus. u u u. murus extimus habens 90. turres. w w w. Via Christi Patientis. x. Vallis Cedron, seu Iosaphat. z. Sepulchrum Christi.

æternitatis beatæ littus feliciter enatâsse, id quod etiam Apostolorum Principem sensisse credimus. (*a*)

Mel. Quamdiu *Noë* mansit in Arca, quando, & quomodo est egressus? (*b*) *Mora & habitatio in Arca qualis?*

IV.

Leuc. Post 40. dierum imbres in altitudine sua *diu* hæsêre stagnantes aquæ, sic ut diebus 150. faciem terræ oppleverint. Subin & siccante spiritu, & vario refluxu in suos vortices sensim sic decrêvere, ut post *10.* dies Arca hæserit in monte *Lubac Ararat.*, seu *Armeniæ*, quem proin altissimum meritò judices, cùm non nisi *post elapsum bimestre* apparuerint reliquorum cacumina montium. Atque moras. *27. die mensis. 7.* *10. Mense die 1.*

II. Ineunte 10. Mense, exspectati *Noëmo* alii 40. dies, quibus elapsis emisit corvum, qui cadaverum olente prædâ detentus, non rediit ampliùs. * Post 7. dies dimissa columba, quæ pedem figere nescia, brevì rediit, in Arcam recepta denuò. Elapsâ septimanâ iterum exploratum dimissa columba, viam relegit sub vesperum, olivæ folium referens, veluti pacis à Cœlo datæ caduceum. Nihilominùs & alios septem dies tardare visum est, post quos dimissa columba, cùm ampliùs non rediret, indicium fecit, tristes evanuisse tandem Cataclismi reliquias. *Quanta?*

III. Hinc *paulò pòst*, *redeuntibus jam anni melioris auspiciis*, (*c*) tandem aperto Arcæ tecto, prospexit *Noë*, vidítque terram aquâ vindice liberatam. Quia támen limosa adhuc, *Egressus quando?*

 secun-

(*a*) *1. Pet. 3. v. 20.* (*b*) *Noë ingressus an. æt. 600. M. 1656. mensis secundi die 17.*

(*c*) *Post dies 35. æt. Noë 601. Mundi 1657. die 1.*

* An menses numerandi sint â diluvio, an ab ætate *Noëmi*, vel anno? An lunaris annus vel mensis? *Salianus.*

Mensis secundi die 27. secundi mensis diem 27. exspectare oportuit, quo exsiccata penitùs tellure, à DEO egredi jussus est, post moram annuam & dierum decem, utique satis longam, quia satis miseram, & ærumnosam.

V. Egressum *post annum integrum & 10. dies.*

Mel. Quid *Noë* post egressum ex Arca?

Post egressum quid?

Leuc. Dimissis ex ordine animalibus cunctis, iis solummodò reservatis, quæ sacrificio destinârat, ædificavit altare Conservatori DEO, & holocausta pecorum, aviúmque mundarum offerens sacrificavit. Quo piamine sic delectata Divina Majestas, ut infirmitatis humanæ, ad malum pronissimæ miserta, benedixerit *Noë*, datisque in usum animalibus cunctis, * in clementiæ, & eluvionis æternùm avertendæ pignus Iridem cœlestem in nubibus suspenderit. 2. *Noë* subin cum sua familia agriculturæ operam navare cœpit, ne per otium succrescerent scelera, undis vindicibus extincta. 3. Sed iis fomentum mox aliud præbuêre Mortales, cùm aliis usi sunt alimentis, quàm terræ fructibus, herbísque: hinc & decrevit hominum ætas, ut scias, inimicam vitæ, jam à Mundi initiis intemperantiam.

VI. Opprobria vitis. *Sacrificium. A. M. 1659.* *Agricultura.*

Mel. Quæ causa maledictionis *Chami*, & *Canaan*?

Maledictionis Chami causa quæ?

Leuc. Accidit, ut *Noë* exculta vite, primus legeret vindemiæ fructum, cujus vim liquidam inexpertus senecio dum liberaliùs gustat, confusis ebrietate spiritibus in somnum delabitur, è somno in nuditatem minùs modestam, calore, ùt solet, membra indecentiùs denudante. Vidit fortè parvulus *Chanaan Avi*, in tentorio jacentis, indecorum spectaculum,

VII. Diras in Chanaan. *Irreverentia in Partem.*

* An esus carnium ante diluvium prohibitus, an usitatus? *Sal. Men. C. 10. C. 74. & alii.*

culum, & procaci cachinno mox Patrem *Chamum* advocat ſannio, qui mali ovi peſſimus corvus, tantùm abeſt, ut caſtigârit irreverentiæ proterviam, ut etiam fratres, *Japhetum* & *Semum*, invitârit ad ſceleſtum ludibrium, ipſi naturæ abhorrendum.*

II. Sed hi paternæ reverentiæ memores, injecto humeris pallio, & averſa fronte retrogradi, operuêre nuditatem Patris, non minore pietatis laude, quàm illi impietatis dedecore revelârant: & verò vix ad ſe rediît Pater, cùm utriſque habuit mercedem juſtam, *Semi* & *Japheti* progeniem precatione fauſtâ; *Chami* & *Chanaanis* ſobolem imprecatione infauſta proſecutus, ut Poſteritas diſceret, infelices illos, quorum hæreditas eſt maledictio Parentum. *Correcta à fratribus.*

Mel. Quot annos diluvio ſuperſtes vixit Patriarcha Noë? *Ætas Noë quanta?*

Leuc. Trecentos & quinquaginta, quibus ſi addas ſexcentos, quos expleverat ante diluvium habebis computum ætatis nongentorum annorum, & quinquaginta: unde nil mirum, quòd Nepotum creſcente numero, latiùs ſe ſe diffuderit humanum Genus. *An. 950.*

II. Ajunt, ſub *Phalegi* exordia, Divino conſilio, factam â *Noë* Terræ diviſionem, *Semo Aſiam*, *Japheto Europam*, *Africam Chamo* attribuente: ſed quia dilata longiùs ſeparatio, dilatârunt ſe vitia, usquedum arrogans faſtus in Turri *Babel* occaſionem præbuit, qua tandem in totum terrarum Orbem diſpergerentur. *Terræ diviſio A.M. 1788.*

Mel. Quæ cauſa, ratio, & ſucceſſus erectæ turris *Babylonicæ*? *Turris Babylonicæ*

Leuc. Authorem ſuperbi moliminis *Nembordum* volunt, qui *Chami* infelix nepos, ſpu- *Author quis?*

* An hæc ebrietas mortalis? *Vide QQ. Coll.*

VIII. Confusæ culmina turris in Babel. *Causa.*

spurium maledicta è stirpe lolium, viribus potens, vitiis impotens, hominum, Divumque contemptor, ut viam sibi ad Tyrannicum solium sterneret, persuasit suis antequàm in vastum Orbem se se dividerent, Urbem, in urbe turrim molirentur, sideribus æmulam, seu perpetuum gloriosæ memoriæ munimentum, seu securam contra secundi diluvii timores *Pharum*, seu superbum pro vitiis propugnaculum: adeò cataclismi memoria terruit, nec â vitiis tamen absterruit.

A. M. 1909. *II.* Et verò sine mora mox cœpit fervere opus & Arx quadriformi figurâ, (*a*) cujus muri unius, circuitus verò stadiorum duûm, quin- *Modus.* gentorum millium operâ manúque surgere. Jámque per vicennium, & ampliùs, turres fuerant impositæ turribus; jam superbus vertex ad duo passuum millia astris propè erat insertus, cùm Numen audaci proterviâ irritatum, septuaginta duabus linguis confudit arrogantes ausus; * móxque in vanum vana cecidêre molimina, & imperfecta stetit hæc gigantum turris, & turrium gigas, vanitatis humanæ symbolum, quod â confusione *Babeli* terra, ubi stetit, â linguarum divisione *Senaar* est appellata.

Successus inanis.

Dispersio Gentium.

Mel. An sic divisi Mortales juxta factam â *Noëmo* Orbis divisionem?

IX. Et sparsas per Mundi devia Gentes.

Leuc. Vix pependerant *opera interrupta, minæque murorum ingentes, æquatáque machina Cœlo.* (*b*) Mox dilapsi Mortales, suique idiomatis secuti Familias abiêre in gentiū dispersionem.

Lingua Hebraica cur?

(*a*) *Kircherus.*

(*b*) *Æneid* 4.

* An Hebræa fuerit lingua originaria? *Petrus Annatus.*

nem. Sola substitit Familia *Heber*, in quâ cùm permansisset lingua originaria, * *Hebræi* ethymon est sortita.

III. Subin *Nembrodus* (quem *Belum* profana Historia) crescente hominum numero, & ipse viribus crevit, vi, & armis viam sibi sternens ad solium: unde primus tyrannus primam Monarchiam instituit, *quam* ab *Assur*, seu *Nino* Filio, *Assyricam* dixit Posteritas. Hujus Imperii Metropolis fuerat *Babylon*, quia â *Belo* exstructa: cui temporis lapsu accessit Civitas *Ninive*, quæ nomen â *Nino Nembrodi*, seu *Beli* successore sortita est.

Monarchiæ Primæ fundatio.
Metropoles. Babylon Ninive.

Mel. Unde originem trahit Idololatria, & fabulosa Numinum superstitio, quæ huic Epochæ tribuuntur?

Idololatriæ origo quæ?
A. M. 2000.
Vel ut alii. 1850.

Leuc. Alii *Belum*, alii *Ninum* Authorem volunt: ille enim ædificata *Babylone*, Ignem adorari jussit: hic, cùm Divinitatem sibi arrogare non esset ausus, saltem Numinis Filium se facturus, *Belo* Parenti, tanquam DEO, statuam erexit, quam reis Asylon voluit, sicque Numinis instar Divinos eidem tribuit honores. Hoc Idolum Judæis dictum est *Baal*, Gentibus *Saturnus*, cui infantes pro victimis immolabant: alii dixêre *Baalin*, alii *Belphegor* nominabant.

X.
Numina Vana.

Mel. Quæ ergò post Populorum divisionem fuit in Orbe Religio?

Religio post separationom hominum quæ?
A. M. 2606.

Leuc. Pars pleraque derelicto vero DEO & unico, secuta Idololatriam, ut planè mireris, proclivem hominum in quævis sacrilega facilitatem. Nam postquàm *Noëmo*, pleno dierum, tandem vitæ lumen extinctum est, apud Nepotes extincta sensim est Creatoris memoria, si modò scintillas qnasdam exci-

XI.
DEI verũ per crimina cultum vix non extinctum, Mundi altera continet ætas.

* Quomodo facta confusio? *Salianus.*

excipias, quæ in *Semi* familia remansêre. Hinc Deus massã hanc Mundi impiã avesatus, sibi virum selegit ex familia *Thare*, *Abrã* nomine, cujus Posteritas ipsi esset in populum, qui collapsã propemodùm Religionẽ erigeret præscriptis Deum ceremoniis coleret, cultúque debito adoraret.

Genealogia Patriarcharum qui vidêre gentium dispersionem.

Mel. Quæ Patriarcharum usque ad Gentium dispersionem genealogica series?

Leuc. Hanc exhibet genealogica Tabula inferiùs ponenda: cæterùm trino hexametro referri possunt.

1 2 3
Semo, *Arphaxadus*, cui Lucâ teste, *Cainan*
4 5 6 7
Est genitus, tum *Salem*, *Heber*, *Phaléque Reúque*
8 9 10
Hos *Sarug*, *Nachor*, *Tharéque*, *Abrámque* secuti.

Thare, *Abrami* parentem quod spectat, habuit ille tres filios. *Primogenitus Haram*, qui fuit Pater *Lothi*, geminæ; filiæ, *Saræ* nempe uxoris *Abram*, & *Melchæ* uxoris *Nahor*, è qua *Phatuel* Pater *Labani* & *Rebeccæ* natales traxit. Secundogenitus *Thare* filius fuit *Nahor*, *Phatuelis* Pater, avus *Labani*. Tertiò genitus extiterat *Abram*, qui â Scriptura Primus ponitur ordine dignitatis, non nativitatis.

Mel. Quæ observationes Politicæ?

Observationes politicæ quæ?

Rerum divisio

Leuc. Huic Epochæ debemus *primò* originem civilis vitæ: nam exortis, sedulos inter ac desides hinc inde jurgiis, sive de terræ cultura, sive de frugibus, ut ne bona, communi Jure possessa, facilè, quod solet, negligerentur, *facta est rerum divisio*, unde dominia, contractuum varia ratio, bella, & servitutes, vel communi hominum consensu, vel *Noëmo*, aut alio, primos inter Mortales, instar Principis eminente. Huic eidem debemus.

Secun-

Secundò Orginem Politici ſtatûs: * Nam pro hominum, urbiúmque diverſitate, induća Regnorum, atque Regiminis varia ratio, his Democratiæ, illis Ariſtocratiæ, aliis Monarchiæ rudia jacientibus fundamenta. Sic Authore *Belo* creverat *Babylon*, primum in orbe Regnum. ** Mox *Niniviticum* Authore *Nino*: ſubin & alia in Regionibus variis apparuêre ſolia, quæ vel erexit tyrannorum ambitio, vi, & ferro armata; vel Mortalium conſenſus; aut denique Numinis Providentia. Ex hac eadem Epocha colligimus. *Origo ſtatûs Politici*

Tertio Statûs politici peſtem geminam, *ambitionem*, *tyrannidem*, aliáque ſcelera: *Nembrodus* enim *primus Bellator*, primam Mundo aperuit cruentam ſcenam, dum feroci, & arroganti genio adactus, bella movit, primúsque cruentas plantavit victoriæ lauros. Ex bello, quid mirum? quòd aperto veluti alveo, proruperint vitia in Orbem, injuſtitiæ, cædes, rapinæ, ſuperſtitiones in fabuloſis Numinibus, & quæ malorum omnium ilias, infelix Idololatria. *Geminæ peſtes ſtatûs Politici, Ambitio, Tyrannis.*

Mel. Quænam obſervationes Chriſtianæ? XII.

Leuc. In univerſali diluvio obſerva 1. Peccatum eſſe ſcaturiginem illam, è qua Diluvii ultrices undæ, quæ tamen vix ſatis abluere poterant tantas ſordes. Obſerva Juſtitiam Numinis, ſic in puniendis ſceleribus promptam, ut tamen incedat lento pede, nec niſi comite Miſericordia, qua Juſtis parcit, Injuſtis monſtrat, ſe non tam cupere everſionem, quàm converſionem. 2. In *Noëmo*, qui è Diluvio ſiccus, & in cratere mox naufragus *Chriſtianæ Quæ?*

* Quænam forma melior? *vid. QQ. Coll.*

** Ex quo Jure Authorias Regum? an Divino, humano, ſeu vi, & ambitione? *Vide QQ. Coll.*

gus, obſerva cum *Anacharſe* Philoſopho tres vitis palmites, *voluptatis*, *ebrietatis*, *inſaniæ*, ut adeò non malè Veteres, vitem à *Noëmo* rigatam finxerint cruore ſimiæ, leonis, porci & agni, cùm animalium horum proprietates tam bellè cum vino influant, ac inſtillentur. (*a*) 3. In turri *Babel* obſerva vanam infirmitatis humanæ ſuperbiam; in linguarum confuſione confuſam, in hominum diſperſionem diſperſam, ac diſſipatam: adeò non eſt conſilium contra Dominum! 4. Obſerva denique mirabilem Numinis Providentiam in conſervanda, & propaganda ſua Eccleſia, cujus typum Mundo dedit in Arca. Hæc ubi invaleſcentibus vitiis, plusquam diluvii undis eſt agitata denuò, & vix non demerſa, ſuſcitavit Navarchum, *Abramum* intelligo, qui in ſuis Poſteris Religionem veram, & reſtauraret denuò, & propagaret.

Polemicæ quæ?

Mel. Quæ obſervationes Polemicæ?

Leuc. Memoratu digna linguarum confuſio in Turri *Babel*, quam *Lutheri* aſſeclis propriam eruditus nemo facilè ignorârit. Alia *Luthero*, alia hodiernis illius aſſeclis lingua eſt, & nî vehementer fallor, vix ulla authori ſuo *ex toto* conformis. Audies ſanè, quòd illi duo, hi tria adſtruant ſacramenta: quòd alii Miſſam, ſaltem in linquâ vernacula probent, alii reprobent, & ſic de aliis, ut nec de ipſo libro Concordiæ ſatis concordent. Nempe neceſſaria eſt linguarum confuſio, ubi S. Scripturæ tot ſunt Judices, quot loquentes. Contrà in *rebus fidei* Catholici ſunt labii unius: aliter qui loqueretur, jam ulularet cum lupis. Nec mirum; cùm omnes in controverſiis fidei, Eccleſiæ judicio acquieſcant.

CA-

(*a*) P. Pexenfelder



CAPUT III.

De Ætate seu Epocha Tertia.

STATUS PATRIARCHARUM

Quibus factæ à DEO promissiones: Ab Abrahamo circumciso, usque ad Moysen per Annos 505.

INSTRUCTIO PRIMA.

Ab Abramo nato, usque ad Jacobi fugam in Mesopotamiam.

Abram natus quando? è quo? à Thare. a. M. 2039.

M*Elander*. Quando natus *Abram*, & quæ illius electio?

Leucotheus. Primam lucem aspexit anno Mundi 2039. *Thare* Parente ætatis annum 130. jam egresso. Patria illi *Ur* Chaldæorum, *Mesopotamiæ* civitas flagitiis potiùs vallata, quàm mœnibus, Idololatriæ scelere dominante. Nec â pestifera lue *Thare* fuisse immunis dicitur, utpote è pictore factus homulorum plastes, quem velut Deorum figulum admirati concives, mox luteas illius statuas, veluti totidem Numina adorabant. (*a*)

Electus à Deo Cur? ob fidem.

Abram quid? Pater excelsus.

II. Vidit Numen cæcitatem Mortalium, & ne fidei lumen in *Semi* Posteris quoque deficeret, *Abramum* elegit, hoc est *Patrem excelsum*, ut vel ex nomine colligeres omen, hunc super candelabrum â DEO ponendum, ut fidei luce has Mundi tenebras dissiparet.

(*a*) *S. Epiphanius.*

Mel.

Vocatus quando? *Mel.* Quando, & quomodo à DEO vocatus est *Abram*?

I. *Leuc.* Septuagesimum annum jam egerat *Abram*, cùm primò (a) vocatus à DEO, ut relictâ Patriâ sequeretur spes magnas, quas illi Cœlum promitteret. Hinc *Arano* fratre, opportunè defuncto, permovit Patrem, ut cum tota familia ex *Ur* in *Charan* concederet, aliam nempe *Mesopotomiæ* urbem, *Euphrati* finitimam. Hic DEO volente, cùm jam quinquennium substitisset, *Thare* Pater ad Patres abiit, postquàm ad veri Numinis cultum, Authore filio jam rediisset. Mox *Abram* *Secundò* vocatus à Numine: & promissis ingentibus cùm Nominis, tùm posteritatis futuræ gloriâ animatus, cum suis superavit *Euphratem*, unde *Chananæis Hæbræus*, hoc est, transfluviatilis dictus est. *Chananitidem* ingressus, aliquanto tempore *Sichimis*, *Samariæ Metropoli* consedit. Inde progressus in vallem *Save*, aliis *Mambro*, quæ ob fertilitatem dicta *Illustris*, cùm DEUS jam visibilis tertiò hanc terram semini suo promitteret, Largitori tanto erexit altare: Mox iter denuò prosecutus, tabernacula tetendit inter *Bethel*, & *Hai*, ubi erectâ iterum arâ, per ingruentes brevi famis angustias in *Ægyptum* descendere est coactus.

Bis DEUS è patriis Abramum provocat oris.

A. M. 2108.

Quomodo? Jagentibus promissis.

Quorsum? in Chanaan.

A. M. 2114.

A. M. 2115.

Abrami fata in Ægypto quæ? *Mel.* Quæ in *Ægypto* Patriarchæ fata?

Periculum Saræ Conjugis. *Leuc.* Suspicatus is Gentem, ùt erat, libidini deditam, ut ne propter *Saram* lectissimam conjugem, discrimen vitæ incurreret, pia fraude sororem dicere statuit. * Et sanè consultò: nam eximius formæ decor sic brevì rapuit *Pharaonem* (nomen *Ægypti* Regibus tunc commune) ut eandem *Abramo* rapere

(a) *Act. 7. v. 2.*

* An mentitus Abram? *flores. Bib. Men. C. 2. C. 71.*

pere non dubitârit. Intereà, dum Aulæ Ginæceo addicitur, *Abram*, veluti frater, amplissimis donis, divitiis, pecorum, frumentique copiâ non tam ditatur, quàm penè obruitur.

II. Sed actum fuisset de conjuge, cunctis opibus chariore, nî DEUS fuisset illi potens Protector. Nam in raptorem tot doloribus sævîit, ut ex Oraculis brevì didicerit, se rapuisse non modò sororem, sed etiam conjugem hospitis, unde apud *Abramum* amicè questus de fraude, eidem sine mora uxorem restituit. Immò & opibus *Ægyptiis* ditatum, Regióque comitatu dimisit rursus in *Chanaan* ubi cessante fame substitit in *Bethel*, DEO ipso pericula in amici commodum convertente. *Discussum à DEO.*

Mel. Quid post Patriarchæ reditum memorabile contigit? *Separatio Lothi Cur?*

Leuc. Separatio Lothi, cui dederat ansam rixa inter utriusque Pastores de pascuis, cui ut præcaveret pacificus *Abram*, Nepoti optionem fecit, terram eligeret, quam vellet: qui proin, malo suo, confinia *Sodomæ* prope *Jordanem*; *Abram Chananitidem*, vallémque â *Mambre* Principe dictam elegit, non procul *Hebron*. *A. M. 2116.* *II.* Loth se disjungit *Propter Pastorum rixas.*

II. Post *Lothi* discessum, veluti Superis exoptatum, mox quartò spectandum se se DEUS *Abramo* obtulit, & liberaliore benevolentiâ promisit terram omnem, quam oculis cerneret, ejus Posteris subjiciendam, quos instar arenæ multiplicandos asseruit. Hinc postquàm in gratitudinis monumentum erexisset altare, fœdus etiam iniît cum *Mambre* Principe, ac *Ebronitis*, eò quòd finitimi *Apparitio Numinis quarta.*

Reguli armorum ſtrepitu, *Chananitidem* undique infeſtarent.

A. M. 2118. *Bellum cum Elamitis: Cauſa Quæ? Loth. III Capitur, ſed vincula ſolvit victor Abram.*

Mel. An non & *Abram* bello huic implicitus?

Leuc. Fuit: nam *Elamitæ*, dicti poſteà Perſæ, Duce *Chodorlahomor*, Pentapolim, DEO, ſibique excuſſo jugo rebellem ſubjugare armis contenderat: & verò facilè fuit â viris effœminatum hoſtem prælio ſubigi, deprædare *Sodomam*, cives, atque finitimos, quos inter & *Lothus*, ducere in triumphum. Id infauſtis bénevertit fortuna, quod in tempore capti Nepotis certior ſit redditus *Abram*. Hic quippe mox inſtructo è trecentis & octodecim vernis, aliiſque Fœderatis, tumultuario agmine inſecutus eſt hoſtem, ſui ſecurum obruit, noctis beneficio ſtravit, partam prædam cum *Lotho* reduxit, aſſeruitque priſtinam in libertatem.

Succeſſus victorioſus.

Melchiſedechi occurſus, ſacrificium.

II. Victori obviàm effuſus *Melchiſedechus*, gratulatus eſt palmam, & quia Pontifex ſimul, pravos inter piiſſimus, oblato Numini ſacrificio ex pane & vino, recepit ab *Abramo* partem è præda decimam, unde *decimæ* ſuam traxiſſe originem exiſtimantur. Porrò obvium *Baram*, *Sodomorum* Regem, ſua habere juſſit, dedignatus impii impia ſpolia. Fœderatis tamen *Ebronitis*, *Elamitarum* prædam diviſit, palmæ gloriâ contentus, æquè juſtus ac glorioſus victor.

A. M. 2119. *Abrami ſpes Confirmata de filio quomodo?*

Mel. An nullus adhuc filius Patriarchæ?

Leuc. Nullus niſi in ſpe, quam in viſione quinta, hæredis inopiam quiritanti, fecerat Dominus. In eadem illi repetiit *Chananitidem*, *ſuo tempore* â Nepotibus ſubigendam, ſancito etiam fœdere per ceremonias, tunc temporis ſolennes, DEO in figura lampadis per

Viſione quinta.

per divisa animalia transeunte. Sed cum cerneret *Sara*, spem diutiùs dilatam, sui locò *Agarem* ancillam *Ægyptiam*, marito obtruserat, & quò majore pruritu, eò breviore solatio. * Hæc enim *Abramo* juncta, cùm uterum se se ferre sentiret, insolentiùs cruda, sterilitati Dominæ insultare non horruit. Unde exagitata per *Saram*, relictis ædibus, tam diu vaga erraverat in deserto, usque dum Angeli magisterio didicit, ancillæ officium esse, reverti, obedire, & se se submittere.

A. M. 2124. æt. 86. Agar conjugio juncta.

II. *Ismaele* nato, *Abrami* gaudia cumulavit DEUS, cùm sextò eidem visus, è *Sara* quoque promitteret filium, & quidem talem, qui crescere deberet in Gentem magnam, ut adeò ipse non ampliùs *Abram*, sed mutato nomine *Abraham*, id est *Pater multarum Gentium* â Posteris esset appellandus. Hinc etiam non dedignatus est DEUS inire cum hoc suo famulo fœdus, in cujus signum imperata illi est *Circumcisio*, qua se, suámque posteritatem æternùm DEO obstringeret. Obsecutus est *Abraham*, cúmque & se & suos circumcisionis mysterio Numini consecrâsset, mox novo Cœli favore beari promeruit.

A. M. 2125. Ismaël natus. Visio sexta.

A. M. 2138. æt. 99. Initum fœdus cum DEO per circumcisionem.

Mel. Quis iste favor?

Leuc. Septima Numinis apparitio: sedebat sub meridiem ad tabernaculi ostium bonus senecio, cùm ecce, tres Juvenes conspicit, (cœlestes genii erant) quos peregrinos ratus, magno hospitalitatis honore invitat, majori obsequio excipit, sic ut humanitati tantæ, mutua habituri benevolentiæ studia, successionem masculam in annum promitterent. Risit *Abrahamus* præ gaudio, risit præ diffidentia conjux, cui risum muliebriter negan- ti ite-

A. M. 2138. Apparitio septima, per tres Angelos. Hospitalitas Abrahami.

IV. Superos probus excipit hospes.

* An licita hæc bigamina? *Fl. Bib.*

ti iteratò confirmatum eſt ab Angelis hiſce augurium.

Deprecatio pro delenda Pentapoli.

II. Cùm abitur, officioſus Hoſpes ſe ſe comitem jungit hoſpitibus, audítque ſceleratæ Pentapoli jam jam imminere ultricem *Nemeſin*, quam ubi, miſeratione motus, deprecari conatur oppoſita Juſtorum quali quali bilance, argumento hoc Superis efficaci extorſiſſet benigiorem ſententiam, ſi vel decem inſontes, tot inter ſontes, Divina Clementia reperiſſet: adeò rara eſt probitas, ſi inter reprobos commoretur.

A. M. 2138.
Fata ſceleratæ Pentapolis quæ?

Mel. Quæ ergò fata ſceleratæ Pentapolis?

Leuc. *Abrahamo* reduce, Angelorum unus ad aſtra, duo *Sodomam* properant, ubi â *Lotho* opportunè excepti ſub veſperum, cùm â ſceleſtiſſimis Incolis, cæca rabie, ad flagitium depoſcerentur, cæcitate cæcis immiſſa,

V.
Ab igne vindice Pentapolis fumat.

Hoſpitem cum uxore, & gemina filia (nam generos fruſtrà *Lothus* monuerat) etiam cunctantes educunt, expreſſo mandato, ut ne ſubſiſterent ullibi, vel in peritura mox mœnia retroſpicerent.

Segor ſervata.

II. Jámque diſcuſſis non nihil tenebris Urbem *Segor* monſtrabat triſte diluculum, quam ſedem, eodem exitio involvendam, in aſylum ſibi exoraverat *Lothus*, cùm ecce! Cœlum atris nubibus derepentè eripi, inter horrendos turbines, fulgura, atque tonitrua, reſolvi in imbres igneos, & torrente flammivomo *Sodomam*, *Gomorrham*, *Adamam*, *Seboínque* inundare, atque demergere in profundum. Horrendo ſtrepitu primò perterrita, cùm curioſiùs reſpiceret *Lothi* uxor * in ſtatuam

* Uxor Lothi cur in ſtatuam Salis converſa potiùs quam lapidem? *Fl. Bib. Men. C. 4. C. 17.*

tuam salis momento conversa periit, ut Posteritas disceret, ab insipienti melius sapere.

Mel. An *Loth* ingressus civitatem *Segor?* *Lothi incestus.*

Leuc. Ingressus quidem, suoque ingressu vindicem avertit flammam: tantùm prodest improbis vel unicum habere probum! sed DEO perfidis malè fidens, cum filiabus fugit in montem, & cavernæ se se includens, ut securus esset à pœna, securus vel inter filias non potuit esse à culpa. Hæ enim, secundum Orbis exitium advenisse ratæ, cùm mallent esse incestæ, quàm steriles, ex Parente fecêre sibi maritum, *Hymenæum* agente *Baccho*, seu vino, quod scelerum liquida jam tunc origo. Nam ex ebrio, insciòque Patre postquàm conceperant, enixæ sunt duos filios, è scelere sceleratos, quia gemini populi Authores, quorum Nepotes ab impietate notos *Moabitas*, & *Amonitas* dixit Posteritas. *Salianus*

Mel. Quando, & ubi natus est *Isaac?* *Isaac natus quando?*

Leuc. *Abraham* è terribili fumo ubi collegit funesta Pentapoleos fata, stationem deseruit, profectùsque *Austrum* versus, in *Geraris* cum *Abimelecho* Rege eandem lusit comœdiam, quam olim cum *Pharaone*; sororis personam sustinente *Sarâ*, DEO catastrophen feliciter evolvente. Hinc donis ditatus denuò tentoria fixit in *Bersabée*, ubi tandem è nonagenaria conjuge suscepit filium, quem à risu *Isaacum* dixit centenarius Pater. *A. M. 2139.* *A. M. 2139.*

II. Quo gaudio sit circumcisus, qua festivitate remotus à lacte, is noverit, qui *Abrahami* noverit amorem, quem spes prolis tantoperè dilata succenderat. Cùm jam jam in puerulum adolesceret infans, accidit, ut cum illo *Ismaël* vel arrogantiùs luderet, vel petulantiùs jocaretur: *Ismaël ejectus VI.* Gemit Ismaël æde expulsus patriâ.

tur: vidit hoc *Sara*, & ſuſpicata, quod erat, audacter â conjuge petiît, Matrem cum *Iſmaële* domo ejiceret, & Hæredi legitimo bona patria confirmaret. Diſplicuit primò petitum, ùt videbatur, inconſultum magis, quàm juſtum: ſed ubi Superis probari cognoverat, utrumque dimiſit, magno *Agaris* luctu, majori *Iſmaëlis* periculo.

Educatus in ſolitudine.

III. Nam cùm infelix mater in *Berſabée* deſerto vagaretur per avia, ſiti *Iſmaël* contabuiſſet, ni Angelus monſtrâſſet fontem, *Agarémque* ſolatus dixiſſet, filium Patrem fore multarum Gentium, quod mox probaverat eventus; educatus quippe in ſolitudine *Pharan* hic ſagittarius, ex *Ægyptia* conjuge duodecim ſuſceperat filios, variarum Gentium Authores: inde enim *Iſmaëlitæ*, *Agareni*, & *Arabes*, qui *Euphratis*, rubríque maris confinia incoluêre.

A. M. 2163. Æt. Iſa. 25. Abrahami fides probata.

VII.

Jam jam caſurus ad aras ducitus Iſacus.

Mel. Quomodo DEUS probavit *Abrahamum* ejúsque fidem in ſacra Scriptura tam celebrem?

Leuc. Ad Patriarchæ vota jam fluxerant omnia, abundabat opibus, & quæ opibus cunctis eſt melior, abundabat benedictione Divina, ſic ut ejus felicitatem etiam vicini ſuſpicerent, quos inter *Abimelechus*, qui cum viro DEI æternum fœdus percuſſerat ad *Berſabée* puteum, priùs Paſtorum jurgiis, nunc verò juráta utriusque amicitiâ celebrem. Cùm ecce! quæ eſt viciſſitudo humana, afflictionem grandem! quam ne quidem timere ſenex optimus poterat. Dum ſuaviter dormit, vox è Cœlo allabitur, tolleret *filium unicum*, & manu *propria* immolaret DEO victimam, in monte, quem monſtraturus eſſet

Inter-

Interprete Genio.* Credidit senex, & quod mireris, contra fidem propriam credidit, contra spem ipsam speravit, quam illi dederant tot à DEO datæ promissiones.

II. Nec mora: de nocte surgit, inscia conjuge accipit filium, nec nisi duobus famulis, & asello ligna portante stipatus, ingreditur iter, tridui spatio tenet montem *Moria* ab Angelo præmonstratum, ** ad hujus pedem, cum agasones jussisset subsistere, ipse cum filio, lignis onusto, ascendit in verticem: ubi, declarato Dei imperio, nil opinantem ligat, lignis imponit, ferrum stringit, jam jamque jugulaturus innocuam victimam, cùm ecce! Angeli voce inhibitus, jubetur filio parcere, & supposito ariete, qui vepreto implexus fortuitò hæserat, salvum recipere unà cum præmio hæroicæ virtutis, *** benedictione scilicet Divina, qua Posteros suos audivit, stellarum instar multiplicandos, ipsumque ex suo semine nasciturum Orbi Messiam. *Isaacus à morte liberatus quomodo?*

Mel. Quid adultiore subin *Isaaco* factum? *A. M. 2175. æt. 127.*
Leuc. Postquàm *Sara* hunc filium unicum, qui tamen multiplex instar centum, bis à Deo jam recepisset, dierum plena concessit fatis in *Hebron*, quò *Bersabêâ* migraverat *Abraham*, quanto mariti luctu, is colliget, qui noverit genium amoris. Hanc ubi terræ mandâsset, in spelunca duplici cujusdam agri, quem emerat ab *Ephron* **** *Hethæo*, curas omnes eò con- *Mors Saræ.*

* Unde Abraham sciverit hoc Imperium *verè* esse Divinum? *Fl. Bib.*

** In cujus colle calvaria juxta S. Hieronimum, juxta Josephum verò templum erectum est.

*** An immolandus, an immolans exercuerit majorem virtutem? *Flor. Bib.*

**** Cur act. 7. 16. dicatur emisse à filiis *Hemor filii Sichem?*

convertit, ut per filii jam quadragenarii nuptias, posteritati suæ prospiceret.

A. M. 2178. Sponsalia Isaaci. VIII. Cui mox proba quæritur uxor.

II. Displicebat *Chananæa*, utpote scelerata progenies; hinc certior factus de numerosa *Nachoris* Germani sobole, mittit *Eliezer*, Procuratorem juratæ fidei, in *Haran Mesopotamiæ* urbem, ut ibidem eligeret Sponsam, dignam stirpe, è qua *Justus* cum tempore progerminaret.

Rebecce electio in sponsam Quomodo?

III. Jámque appulerat ad suburbia *Haran*, cùm subsistens ad puteum, invocato Numine, statuit, illam â Superis esse electam, quæ inter puellas, ad hauriendam aquam sub vesperum egredi solitas, & sibi & camelis potum benevola præberet. Nec mora: cùm ecce! officiosa hac charitate se se prodit *Rebecca*, filia *Bathuel*, quæ proin muliebri mundo ornata, â *Labano* fratre (nam Pater fatis concesserat) in Sponsam concessa, & quod mireris, non invita, mox ad Sponsum ab *Eliezero* est deducta.

Isaaci Nuptiæ.

IV. Excepit illam *Isaac*, iis nuptialibus gaudiis, ut mœroris â morte Matris concepti, propemodùm sit oblitus. Sed in memoriam revocatus hic denuò per fata Patris, qui postquàm è *Cethura*, alia conjuge, suscepisset sex liberos, diem obiît, qualem vixit, in fide miraculum, Posterorum exemplum, verè *Abraham*, id est *Credentium Pater*.

Mors Abrahami Quando? A. M. 2213. æt. 175.

Isaaci filii qui?

Mel. Quinam *Isaaci* Filii, & quænam indoles?

A. M. 2199.

Leuc. Jam ipsos novemdecim annos, thorum sterilem experta erat non sine luctu *Rebecca*, * cùm tandem â Superis exaudita, geminum simul infantem concepisse se senserat. Hi dum in maternis visceribus præmatura inciperent jur-

Esau, & Jacob.

* Cur celebriores Fœminæ Testa. vet. plerumque steriles? *Fl. Bib.*

jurgia, agnovit Mater, se se gerere gemellos, gemini Populi futuros Authores, quibus præter fratris nomen nihil commune; præter nativitatem nil simile. Et verò demonstraverat mox hoc eventus. *Esau* enim, natu prior, rufus erat & hispidus; *Jacob*, natu posterior, pulcher & amabilis totus: ille naturæ incuriâ, hic benedictionis Divinæ prærogativâ primogenitus videbatur. IX Quæ genuit geminos *Indoles Quæ?*

II. Nam accidit, ut *Esau* pro feroci ingenio, genióque silvestri, è venatione domum reverteretur totus lassus, & ùt solet, venatici instar canis famelicus. Vidit â Matre paratam *Jacobulo* suo lenticulam; hac ut gulam satiaret latrantem, quis credat? juratus cedit sua, si tamen sua, Primogeniti Jura, vilique pulmento devorat Principatum familiæ, opimiorem hæreditatis partem, dignitatem Sacerdotii, & quidquid bonorum, cum fausta Patris precatione, primogeniti juribus conjungebatur. Hanc ille venditionem, dum parvi pendit, veluti irritam, aut saltem ferro facilè rescindendam, Mater astu agendum rata, inconsultos impetus rara prudentiâ dum antevertit, evertit. *A. M. 2223. Primogenituræ venditio facta Quomodo?* X. Esau jus nobile cedit fratri.

Mel. Quæ *Isaaci* fata cum suis finitimis? *Isaaci fata cnm finitimis Quæ?*

Leuc. varia: ingruente fame dum Patris exemplo meditatur *Ægyptum*, DEI primò sibi visi imperio subsistit in *Gerara*. Hic ob conjugis formam sibi Patris exemplo timens, pari sororis nomine elusit sua, non tamen uxoris violandæ elusisset discrimina, nisi *Abimelecho II.* de fenestra fortè prospicienti, conjugale vinculum prodidisset familiaritas quædam liberior: hinc piè questus de fraude, ùt ajebat, non satis pia, qua se, suúmque Regnum *Profectio in Geraram. A. M. 2228. A. M. 2229. Conjugis periculum.*

 num

num vir pius adulterii committendi periculo exposuisset.

A. M. 2233.
Odium Philistinorum.

II. Intereà dum Cœlo favente, inter alienigenas, *Isaaci* familia crescit, crevit, ùt solet, illorum livor, adeò, ùt obstructis malignè puteis, discedere virum DEI compellerent.

A. M. 2234.

Sed secum tulit fortunam, dum secum tulit DEI favores, qui secundò illi visibilis promisit denuò promissiones, sæpiùs *Abrahamo* factas. Hinc cùm fortè altare erigeret, novósque puteos foderet, adfuit *Abimelechus*, qui

A. M. 2235.
Fœdus cum Abimelecho.

virum DEI opibus potentem, amicum maluit, quàm hostem, suorum fassus injurias, æternum cum illo sanxit amicitiæ fœdus. Felicitati tantæ supervenit malum domesticum,

A. M. 2238.
Esau nuptiæ.

immorigeri nempe *Esau* protervia, dum, invito Patre, uxorem delegit *Chananeam*, & quidem geminam, *Judith* & *Basemath*, quasi verò ad magis pervertendum perversum unica non suffecisset.

A. M. 2276. æt. a. 137. 44. ante mortem.

Mel. Quomodo â *Jacobo* prærepta Patris est benedictio?

Benedictio Patris â Jacobo prærepta quomodo?

XI.

Et vota Patris materno hic præripit astu.

Causa Mater.
Modus, simulando Esavum.

Leuc. Cùm caligantibus jam jam ætate oculis, propiorem, quàm erat, sibi tumulum auguraretur *Isaacus*, *Esavum* primogenitum vocat, jubétque de præda sylvestri parare cænam, ut eidem juxta morem ultimò bene precaretur. Hæc audiit Mater, dúmque *Esau* concedit in sylvas, illa duos è grege vicino hædulos â *Jacobo* illicò afferri jubet. Horum unum cùm paràsset in cibum, ferinæ similem; alterius detracta pelle cùm manus collúmque *Esavi* hispidum in *Jacobo* esset mentita, hunc primogeniti veste indutum, cum cibis Parenti se sistere, omnémque detegendæ fraudis curam deponere jubet. Paruit *Jacobus*; cujus tamen adventus exspectatione maturior,

vóx-

vóxque gracilis nimiùm, rem Patri suspectam initiò fecerat. Hinc fraudem, quam nequiverat oculis, cùm explorare manibus tentaret, primùm asperiore tactu perplexus, mox iterata filii affirmatione delusus est. * Unde dum gustatis paululùm cibis, in osculo sensisset vestimentorum fragrantiam, benedixit *Jacobo*, eique præter abundantiam frugum, honores primos, fratrum dominium, aliáque primogeniti jura impertiit.

Successus ad vota.

II. Vix bene finita erat catastrophe, cùm adest è sylva redux *Esavus*, reique certior redditus, dolore amens imugiit. ** Cúmque & ipse Parentem, fausta ut precaretur, instantiùs urgeret, tandem inferioris notæ prærogativas, ac vota tulit, gratiis tamen in *Jacobum* transscriptis, ampliùs non revocatis.

Cum ingenti Esavi mœrore.

Mel. Quæ observationes Politicæ?

Observationes Politicæ Quæ?

Leuc. Prima. vix à *Lotho* se se diviserat *Abraham*, cùm mox promissa illi est terra omnis, quam cerneret, ab *Austro* ad *Boream*, (a) ab oriente ad occidentem, ut videas primum *Politicæ Christianæ Principium:* DEI solius esse largiri Regna, eáque dividere, vel auferre: *Illius enim est orbis terrarum.* Ut videas insuper, quòd fœdera, DEO minùs accepta, plus impediant boni, quàm sæpe commodi afferant.

Secunda. terram *Chanaan Amorrhæis* non eripuit protinùs Divina Bonitas, (b) quia *necdum completæ erant illorum iniquitates*, ut colligas *alterum Politicæ Christianæ principium:* Regna transferri solita propter injustitias.

Tertia. non fuisset deleta Pentapolis, si vel decem Incolas cultores Justitiæ numerâsset: sic

* An Jacob mentitus? *Flor. Bibl.*

** Cur benedictio paterna tantopere expetita? *Flores Biblici.*

(a) *Gen. 13. 14.* (b) *gen. 15. v. 16.*

ſic unius *Lothi* preces, id ponderis habuêre, ut Urbi *Segor*, ſeu *Balæ*, hoc eſt *malis inveteratæ*, parceret Divina Nemeſis; *(a) Non ſubvertam urbem*; ut ſcias tertium *Politicæ Chriſtianæ principium:* cives Juſtos ſola urbium, & Regnorum eſſe præſidia, armis, & muris omnibus validiora.

XII. Obſervationes Chriſtianæ Quæ?

Mel. Quæ obſervationes Chriſtianæ?

Leuc. Divinæ Providentiæ mirare oculum ſemper vigilem: *Primò* in *ſtabilienda*, & *protegenda Eccleſia.* E medio Nationis pravæ ſelegit *Abrahamum*, Patrem Credentium, quem roboravit per viſiones, per miracula protexit, ejúsque Poſteros elegit ſibi in Populum, cui æterno fœdere ſe adſtrinxit. *Secundò* eundem oculum mirare vigilem in *vera Eccleſia adumbranda.* In *Abrahamo* quippe adumbravit æterni Patris amorem, in *Iſaaco* Chriſtum, in ejus ſacrificio Chriſti mortem: in *Ismaële* ejecto præfiguravit Synagogam repudiatam, in *Sara* Eccleſiam, in *Eſavo* præſcitos, in *Jacobo* prædeſtinatos, in primogeniti prærogativis, cæleſtes gratiæ, & gloriæ dotes. *Tertiò* demum eundem Divinæ Providentiæ oculum mirare vigilem in *illuſtranda Eccleſia ſua* virtutum exemplis: nam in *Abramo* proponit fidem, in *Iſaaco* obedientiam, in *Sara* ſterili patientiam, in *Lotho* fugienda reproborum conſortia, in *Sodomitis* Divinam Nemeſin, quorum libido præpoſtera flammas de Cœlo traxit, ut hic aduſti fatali præludio, ibi æternis incendiis comburerentur.

P. Pexenfeld. Salianus.

Obſervationes Polemicæ Quæ?

Mel. Quæ obſervationes Polemicæ?

Leuc. Promiſerat DEUS ter Optimus *Abrahamo* plurima, quibus ille fidē adhibuit, *(b)* tam inconcuſſam, ut hoc elogium ſit prome-ritus

(a) Gen. 19. v. 21. *(b) Gen. 15.*

ritus: *credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad Justitiam.* Ergò, Acatholici inferunt, *sola fides justificat Hominem.* Sed falluntur, nil enim hæc verba suffragantur *Lutheri* somniis, id quod *Historici* ad oculum demonstrant. (*a*)

Ex illis verbis: credidit Abraham Deo &c. Acatholici malè inferunt justificationem hominis per solam fidem. Historicè demonstratur.

II. Præterquàm enim, quòd ex Historia pateat, *Abrahamum* jam prius, quàm fidem promissis Divinis daret, fuisse justum, immo Numini familiarem, Sacer Historiographus eandem Iustificationem (quam in *remissione peccati & infusione gratiæ*, seu justitiæ Divinæ Theologi statuunt) non tantùm fidei, sed & aliis virtutibus tribuit. Sic legimus *primò* de *Zelo Phinees* (*b*) *stetit Phinees, & placavit, & cessavit quassatio, & reputatum est ei ad Justitiam. Secundò* sic legimus de *spe: spe salvi facti sumus* (*c.*) *Tertiò de timore: timor Domini expellit peccatum* (*d*) *quartò* de *humilitate: humilibus autem dat gratiam.* (*e.*) *Quintò de misericordia:* sic per eleemosynas legimus purgari, remittique peccata apud *Tobiam* (*f.*) Non igitur, quia per fidem quandoque quis dicitur justificari, ex eo rectè concludes: ergò *sola fides justificat hominem*, cùm idem æquè de virtutibus aliis prædicet Scriptura.

III. Unde colliges *primò*, quòd si quandoque Justificatio fidei tribuatur, id intelligendum esse de fide, vel tanquam dispositione prævia, sic ut inchoativè justificet; vel de fide viva, per *Charitatem* formata, quæ per dilectionem operatur. *Secundò:* quòd *sola* fides, teste *D. Paulo* (*g*) justificet, *Lutheri* figmentum esse, quod fidem meretur nullam, cùm

Sententia illius sensus unicè verus.

(*a*) *Ex Flor. Biblicis Flo. 6. fol. 49.* (*b*) *Ps. 105.* (*c*) *Ad Rom. 8.* (*d*) *Eccles. 2.* (*e*) *1. Petr. 5.* (*f*) *Tob. 4. Dan. 4.* (*g*) *Ad Rom. 3. v. 28.*

cùm hæc particula restringens nec in textu græco, nec codicibus ullis, *Luthero* antiquioribus reperiatur. *Tertiò* Catholicis tenendam D. Ignatii M. Doctrinam: *(a) Principium vitæ Christianæ fides est: finis autem est Charitas: ambæ verò invicem junctæ, & in unitatem factæ, hominem DEI perficiunt.* Tenendam D. Augustini tesseram *(b) Charitas ipsa Justitia est, qua una justi sunt, quicunque justi sunt.*

INSTRUCTIO
SECUNDA.
Res gestæ â Jacobo Patriarcha.

A. M. 2276. Profectio Jacobi in Mesopotamiam causa quæ?

Melander: Quid de *Jacobo* in *Mesopotamiam* proficiscenente memoratu dignū? *Leucotheus: Itineris causa:* cùm enim *Esau* concepto in fratrem odio, mortem *supplantatori* meditaretur, sollicita Mater fugam filio suasit, cùm ut fraterno furori se subduceret paululùm, tum ut è domo *Laban* avunculi, acciperet conjugem, non *Chananæam.*

I. Dum fugit Esavum fratrer.

II. Postquàm igitur bene precatus est illi Pater, ingressus est iter *Bersabeâ Mesopotamiam* versus: cúmque in baculo transiisset *Jordanem*, inclinato jam sole lassum, prope *Luzam* sub dio, nec nisi lapide pulvinar præbente, somnus oppresserat. Cùm ecce! somnianti objicitur scala, ad Cœlos usque protensa, cujus cacumini Majestatem suam inclinaverat DEUS, commeantibus sursum, deorsum

In itinere visio.

II. Mysteria scalæ conspicit.

(a) *In Epist. ad Ephes.* (b) *l. de nat. & gratia c. 63.*



SITUS PARADISI TERRESTRIS.
Fol. 94. Con.
Septentrio.
Ararat
Armeniæ Montes
ASSYRIA
Tigris Fl.
MESOPOTAMIA
Ninus
Occidens
Oriens
Euphrates Fl.
Senaar
Fluvius Regius
Babylon
Terra Chus.
CHALDÆA olim Nod.
Paradisus
Eden
Arabia Deserta.
Terra Hus.
Sabæi.
ARABIA FELIX olim Hevilath.
Phison
Gehon
Meridies
Sinus Pers.

orſum cœleſtibus Geniis. Portenti novitate attonitum erexit DEUS, renovans promiſſiones *Abrahæ* factas, &, quod ſolatio plenum, ipſum ſe obtulit viæ ducem, tam diu illum protecturus, usque dum ſua oracula conſummâſſet.

III. Excuſſo ſopore, liquida voluptate perfuſus, lapidem, cui indormierat, ſtatuit in monumentum, oleóque perfuſum Numini ſacravit, addito voto, quòd, ſi rediret incolumis, daturus decimas, & adoraturus eſſet DEUM ſuum in loco hoc ſacro, cui poſtmodùm nomen *Bethlehem*, id eſt *Domus DEI* adhæſerat. *Erectio monumenti.*

Mel. Quid *Jacobo* accidit in domo *Laban?* *Occurſus Rachelis quomodo?*

Leuc. DEO comite cùm attigiſſet confinia *Haran*, è Paſtoribus obviis percontanti Avunculi ſortem; ecce! inquiunt opportunè *Rachelem* filiam, cum ovium paterno grege ad puteum huc properantem. Claudebat hunc ſaxum tantæ molis, ut junctæ Paſtorum omnium vires vix amovendo ſufficerent; ſed *Rachelis* intuitu hoc ſolus ille revolverat, amoris impetu vires ſufficiente. Adaquanti oviculas, cùm erumpente in lacrymas gaudio, per amicitiæ oſculum cognatum ſe proderet, mox illa currere, Patrique adventum hoſpitis annuntiare.

II. Excipitur peregrinus hic hoſpes.

II. Ab *Labano* ſuetis amicitiæ ſtudiis & exceptus, & in ædes deductus, poſt completa hoſpitalitatis gaudia, aperuit tandē adventûs cauſas, aſylum petiit, & aſyli ſolatium, conjugem filiam, oblato etiam ſponte ſeptennii ſervitio, ſi concederet *Rachelem*. *Jacobi ſervitus quanta?*

III. Annuit ille, ſed exacto ſepetennio *Liam* *A. M. 2283.*

am noctu substituit, quam natales primam, sed luridior forma, lippientibus oculis fecit secundam. Sponso exorta luce, in querelas effuso, dolum excusaverat *Laban*, morem Patriæ causatus. Sed & *Rachelem* spopondit post septem dies *(a)* si tamen sponderet ille repetendum septenne servitium. Annuit *Jacobus*, amore annos ita abbreviante, ut servitute geminâ unam non abnuerit emere seruitutem.

Nuptiæ quales? III. Et uxor offertur duplex.

Mel. Quot & quinam filii *Jacobo* geniti?

Jacobi filii quot? IV. Bis sena Prole beatus.

Leuc. Cùm *Jacob Rachelem Liæ* prætulisset amore, DEUS hoc ipso *Liam Racheli* prætulit fœcunditate. Nam quartum jam *Lia* filium Marito dederat, *Rachele* sterili permanente: cùm tandem ferendo impar opprobrio *Balam* ancillam *Jacobo* substituit, ut quæ fœcunditate non posset, voluntate saltem Mater efficeretur. Tandem cum decem filios, opprobrii sui testes jam maritó natos vidisset afflicta *Rachel*, & ipsa miserante Cœlo genuit *Josephum*, qui unus instar decem, utpote Matris solatium, & Patris jam senescentis delicium.

A. M. 2289. Jac. 91.

Qui & quanam Matre.

II. Porro utraque conjux, ancillam sui vicatiam, obtrusit *Jacobo*, ut ad æmulationem quoque essent fœcundæ: *Rachaëlis* personam *Bala*, *Liæ* verò partes *Zelpha* sustinuit, è quibus omnibus multiplex *Jacobo* prognata soboles, quam memoriæ gratiâ, sequenti metro distinguimus, ac declaramus.

Prodiit è *Lia* Ruben, Simeónque, Levíque, Issachar, & Juda, Zabulon, quêis jungito Dinam.

Racheli Joseph, & Benjamin, ille doloris Filius: at *Balæ* cum Dano, Nephtalis: Aser cum Gado *Zelphæ* donati â Numine Nati.

(*a*) *Gen.* 29. v. 27. 28.

Mel.

Mel. An non *Jacobus* quatuordecim post annorum servitia, tandem reditum paravit in Patriam? *Tentatus in Patriam reditus frustrà.*

Leuc. Paraverat quidem, sed irrito conatu, Oeconomiæ commodis, quæ hoc Archipastore *Labanus* senserat, abitum præcludentibus. Hinc tandem Genero pactus mercedem, ea lege, ut ovium fœtus unicolor suæ, bicolor *Jacobi* caulæ imposterùm cederet, quem in finem astutus Euclio divisit gregem, nec nisi candidos balantes *Jacobi* pedo commisit. Sed bono Genio edoctus modum hic Cœlo fidus Opilio, quo decorticatas ex parte virgas sic in canalibus bibenti, ac coëunti gregi objecerat, ut illarum intuitu primi fœtus semper prodierint distincti maculis, deteriores, quos amotis virgis noluerat *Jacob*, unicolores *Labano* progignerentur. Sors adeò inexspectata tam malè habuit avarum hospitem, ut decies mutaret pactum, decies hoc astu innocuo eluderetur, ingenti suorum in felicem hunc Pastorem conceptâ invidiâ. *A.M.2290.* *Retardatus quomodo?*

II. Unde cùm annus peregrinationis jam vigesimus flueret, tandem alieni soli pertæsus, uxoribus demonstrat *Labani* iniquum oculum, domesticorum odium, DEI nutum, Cæli protectionem; sicque abitum suadet, atque persuadet. Nec mora: cùm *Laban* ad tondendas oves, triduo distantes, opportunè abiret, convasatis subitò omnibus, abscedit sine obstaculo, *Rachele*, etiam Patris Idola aurea, vel lucri amore, vel superstitionis odio, secum asportante. *A.M.2296 æt. 98.* *Discessûs causæ quæ?* *V.* Dum redit in Patriam. *Qui modus?*

Mel. Quæ *Jacobi* fata in reditu? *Fata itineris quæ?*

Leuc. *Varia.* Vix rumor *Jacobi* abitum sparserat, cùm *Labani* furore turbidus, mox persecutus est fugitivum, nec sine valida ma-

A.M. 2296. nu assecutus est in monte *Galaad*, septem dierum itinere, ipsa vindictæ cupiditate alas addente. Et jam inimica consilia coquebat in crastinum, cùm â DEO prohibitus est, ne quid iniquius tentaret. Genero proin exprobrat turpem fugam, plagii arguit, & sacrilegæ rapinæ. *Jacob*, furti ignarus, offert excutiendas illicò sarcinas, quod cùm cerneret *Rachel*, absconditis subter stramenta cameli Diis patriis insidet, morbum Patri causata, quo jam assurgere prohiberetur. Sic delusis inquisitoribus, de calumnia *Jacobus* expostulat; de ingratitudine pro tot servitiis queritur, usque dum sedatis animis fœdus initum ab utroque, quod denique erecto lapide, oblatis victimis, & convivii amicitiâ firmârunt, unde â *tumulo teste* Mons dictus *Galaad*.

Persecutio â Labano qualis?

VI. Labani discutit iras.

II. Dum iter prosequitur *Jacobus* occurrunt in aëre Angeli, Patriæ Tutelares, & gratum hospitem, exercitûs instar, excipiunt, ac comitantur, unde locus *Mahanaim*, idest, *castra DEI.* Sic superato â suis amne, dum solus restitat, precibus intentus, quia fratris *Esavi* timore anxius: ecce! sub diluculum adest Athleta Angelus ad mirabilem luctam provocans Patriarcham. * Sed hic vinci nescius, etsi claudicans percusso femore, ad hoc rarum spectaculum properante tandem Aurora, virtutis præmium tulit, benedictionem Angelicam, Noménque *Israël*, id est *prævalens DEO* est sortitus, ut colligeret, Fratrem *Esau* jam non timendum, cùm fortis *contra DEUM* perstitisset: huic arenæ subin nomen *Phanuel*, seu visionis DEI adhæsit.

Lucta cum Angelis qualis?

Mel. Qualis fuerat occursus Fratris Esau?


Occursus Esau Qualis?

Leuc.

* An corporalis? cujus figuræ? cur Angelus prævalere nequiverit? *Flores Bibl. Sal.*

PRIMA ORBIS DIVISIO, ET POPULORUM ORIGO.

Fol. 98. Con.



Leuc. Jam priùs præmiserat *Jacobus* cum agresti pecorum munere famulos, & ita quidem dispositos, ut successivo munerum apparatu fratrem placarent; tum insecutum est agmē domesticum, in tres turmas divisum, charissimis quibúsque in ultimam receptis, ut, si hostilis animus priores duas invaderet, spes suas, in ultimam fugiendo, salvaret. Et verò in occursum mox venerat *Esau*, 400. comitibus stipatus, qui *Jacobi* humanitate delinitus, pristinis odiis in amorem versis, ruit in fratris amplexus; sic perfuncti mutuis amicitiæ studiis, *Esau in Seir*, seu *Idumæam* reversus; *Jacob* Sacothum iter est prosecutus. Inde brevì digressus, prope *Salem*, *Sichimorum* urbem, tentoria fixit, erectâ Numini arâ cum epigraphe: *Ara DEI fortis in Israel*, ut etiam lapides loquerentur, cujus virtute in terram *Chanaan* denuò rediîsset.

A.M. 2296.

VII. Fratris placatas sentit.

A. M. 2298.

Mel. Quinam eventus Patriarcham turbaverat prope *Salem*, quæ aliis *Sichem*?

Dinæ Casus qui?

Leuc. Accidit, ut *Dinam* urbis vicinæ fœminas, morésque exploraturam, curiositas incautiùs abstraheret à suis. Hinc visa à *Sichem*, *Hemoris* Reguli filio, & eo furore mox adamata, ut reluctanti vitium offerret Procus. Atque ut non tam scelus redimeret, quàm amoris illicium retineret, conjugem à *Jacobi* familia petiit, & suo malo etiam impetravit: nam *Dinæ* fratres, dissimulato paululùm dolore, Sponsam eidem promisêre, si tamen se, suósque circumcidendo, Gentis *Hebrææ* ritus assumeret. Annuit amans hic amens, & quod mireris, emolumenti publici specie Patri, suísque omnibus suasit, ac persuasit conditionem difficilem. Sed cùm tertio die dolor ex vulnere prostrâs-

VIII. Sed Dina Parentem mox iterum turbat.

A. M. 2301. *Dinæ 17.*

ſtrâſſet omnes, *Simeon*, *Levique* cum ſuis in urbem irruunt, *Hemorem* cum filio trucidant, *Dinam* liberant, impunè interficiunt viros, fœminas in vincula rapiunt, bona cuncta diripiunt, totámque ferro vindice vaſtant urbem magno certè *Jacobi* periculo, majore dolore ob temeritatem æquè cruentam, ac inconſultam.

Diſceſſus in Bethel quomodo?
A.M. 2305.

Mel. An *Jacob* longiores moras traxit in terra *Sichem?*

Leuc. A DEO juſſus eſt movere ſe ſe in *Bethel*, quod, ut tutiùs faceret, ſub terebintho defodit priùs Idola, *Sichimorum* aurea ſpolia, unà cum ſpoliis ſpoliantium ſcelera defoſſurus. Sic Numinis timore tutus, infeſtam viciniam tranſiit, & incolumis pervenit in *Bethel*, ubi erectâ arâ vota exſolvit, DEO tam grata, ut ſeptimò illi viſus denuò benediceret, noménque *Iſraël* eidem renovato favore confirmaret. Sed, ùt ſolet, huic ſolatio ſucceſſit mox multiplex luctus: nam primò perdidit *Rachelem*, prô quanto luctu! partûs doloribus enectam, quæ moritura filium vocavit *Benoni*, hoc eſt, *filium doloris*, Pater verò *Benjamin* dixit, id eſt, *filium dextræ*. Vix uxorem ſepelivit in *Betlehem*, cùm novus ingruit luctus, major priore, inceſtus nempe *Rubeni* cum *Bala*; peſſimo filio Patris optimi thorum, *Rachele* jam viduum, cum *Rachelis* ancillâ flagitioſè contaminante. Secundo luctui ſucceſſit tertius omnium maximus, *Ioſephi* jactura, de qua infrà; *Judæ* infelices nuptiæ, & denique Parentis *Iſaaci* mors. Nam poſtquàm *Jacob* in Patriam redux, veniſſet tandem in *Hebron*, invénit Parentem, ſenectutis baculo malè nixum, & aliquot annorum lapſu penitus collapſum,

Mors Rachelis.
A.M. 2306.

Inceſtus Rubeni.

A.M. 2306.

Iſaaci Mors.

quem

quem proin tumulo intulit, etiam *Esavo* fratre paterno funeri parentante. Justis persolutis ob familiæ copiam se se rursus dividere sunt coacti, *Esavo* terram promissionis *Jacobi* Posteris ultrò cedente, séque in *Idumæam* versus montana *Seir* denuò recipiente. *A. M. 2318. Isaaci 180.* *A. M. 2319. Fratrum divisio.*

Mel. Quid de *Judæ* hymenéo memoraveras suprà? *Judæ infelices nuptiæ.*

Leuc. Infaustum dixi, quia invito Patre, Deóque contractum cùm *Chananitide Sua*, *Harani* filia. Et quam dulcedinem speres ex Oleastro? peperit illa tres filios *Her, Orcam*, & *Selam*, unum altero magìs scelestum, quos propter non fanda crimina sustulit Divina Nemesis. Supererat primogeniti vidua *Thamar*, quæ cùm frustrà exspectaret nuptias *Selæ*, maluit esse incesta, quàm vidua. Hinc meretriciis induta habitum *Judæ* incognita, per immane scelus ab eodem est cognita, peperítque gemellos *Phares* & *Zaram*: unde velut adultera dum ab ipso *Juda*, iniquo judice, destinatur ad rogum, illa annulum armillámque cum baculo profert, monstrátque *Judæ*, datum ab illo ipso sceleris patrati pignus, è quo facilè cognovit hic Judex reâ se magis reum, absolvítque scelus, ne se scelestum damnaret: adeò facilis est scelerum venia, quorum sibi conscii Judices Patroni esse debent, ne se se ipsos in aliis condemnent. *A. M. 2306.* *Incestus.*

Mel. In quale tempus incidunt Natales *Jobi?* quodnam illius genus? ac fata? *Jobi Historia.*

Leuc. Jobi ortum *Josepho* agnito; hujus tragœdiam eidem mortuo contemporaneam *Salianus* statuit. Genus alii à *Nachore* velut Parente; alii(a) & verosimiliùs forsan, ab *Esa-* *Natales quando? A.M. 2328. Genus.*

 vo

(a) Origenes.

vo, tanquam Proavo, ſub *Jobabi* nomine *Zaræ* filio deducunt. Illud certum *Huſſitidis* (quæ *Palæſtinam* inter & *Cæleſyriam*) fuiſſe Principem, cujus fata variaverat vitæ conditio triplex. Primò felix: deinde infelix: denique felicitati priſtinæ reſtituta.

Patria.

Fata.

Mel. Quænam primi ſtatûs conditio?

Status Jobi primus & felix, quomodo?

Leuc. Felix, & quod rarum, felix ex omni parte. Abundabat opibus, numeroſa familiæ ſobole florebat, affluebat bonis omnibus, quæ in amaſii ſinum congerere etiam prodiga fortuna poſſet: & quod primæ claſſis prodigiis annumerârim, has inter fauſtæ ſortis blanditias, tantæ erat pietatis in DEUM, æquitatis tam exactæ in proximum, charitatis tam abſolutæ in deſolatum quemvis, ut velut vivum virtutis prototypon, Deique in terris oraculum adoraretur. Tantæ virtutis ſplendor, qui etiam DEUM habere meruit Encomiaſten, liventes Sathanæ oculos ſic uſſit, ut adſtans coram Domino * quondam, viro tanto detrahere, & virtutem non niſi mercenariam criminari haud vereretur. Et verò mox bona *Jobi* omnia poteſtati Sathanæ Numen, virtutis tantæ ſat conſcium, tradidit: addens, exploraret jam calumniator, an *Jobus* pius non eſſet, niſi in DEUM benevolum & blandientem: videret, an detracto cortice inanis virtus ad crudiorem attactum mox elangueſceret.

IX. Nova dum ſpectacula Mundo dat Jobus felix.

Mel. Quomodo hac poteſtate uſus tentator ſtygius?

Status Jobi ſecundus infelix quomodo?

Leuc. Primam Tragœdiæ ſcenam exhibiturus, arripuit occaſionem quam dederat feſtiva ſolennitas, quæ ſeptem *Jobi* filios cum trina

A.M. 2398.

X. Infelix.

* Quomodo adſtans coram Domino? *Men. C. 8. C. 74.*

trina ſorore, in primogeniti ædibus exhilarârat. Hæc enim honeſta gaudia dum ad omnium vota fluere putat ſecurus Pater, ecce! inopinatò mœſtus accurrit nuntius: irruentes *Sabæos*, quingenta juga boum, totidémque abreptas aſinas, cuſtodes ferro vindice deletos aſſerit: hujus verba mox excipit alius, & ſeptem millia ovium cum opilionibus cœleſti igne conſumpta aſſeverat: hujus nuntium interpolat approperans tertius, tria camelorum millia â *Chaldæis* abacta, Paſtores omnes crudeliter cæſos vociferatur: denique nulla interpoſita morâ, anhelo ſpiritu, quartus Primogeniti domum, venti turbine dirutam, prolémque omnem, oppreſſam ſubitò nuntiat, & nuntiare ut poſſet, ſe ſolum fugâ elapſum, inclamat, id quod & reliqui unanimi voce ingeminant. Tum enim verò tot malis obrutus vir DEI, ſciſſis veſtibus in terram corruere, & ſtupente Cœlo, ringente orco, non in lamenta, non in querelas effundi, ſed Numen providum adorare, ſolenni formula, cedro digna: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.*

Mala fortunæ Qualia?

Mel. Quid inſuper in *Jobum* tentavit dæmon?

Mala corporis Quanta?

Leuc. Necdum hac patientiâ confuſus Sathanas rurſus in ſolennibus Cœli comitiis *Jobum* calumniari, pellíque adhæreſcere virtutem tantam haud erubuit affirmare. Hinc â DEO extortâ in bona corporis poteſtate, mox alteram adornat ſcenam, priori longè crudeliorem. Totum corpus horrendo ulcere percutit, & effusâ veluti *Pandoræ* pixide viginti quatuor morbis * ſucceſſivè virum aggreditur,

* Quales morbi hi fuerint? *Men. Cent. 9. c. 47.*

ditur, & in momenta moriturum mori prohibet, ut diutiùs superstes mori sæpiùs cogeretur. Horrendum spectaculum! serpebat lues in viscera, gangræna carnem depascebatur, ebulliebant certatim vermes, putredine consumpta defluebat caro, mephytim tam putridam spirabat hoc vivum cadaver, ut extra urbem (cui *Benaba* nomen) in sterquilinium â suis ejectus, & derelictus, testâ saniem raderet non homo, sed hominis spectrum, pus merum, & vomica *Jobus*. Accessit, quod

Mala famæ. summum tot in malis tormentum, uxor vicaria dæmonis, & nunc sugillans, nunc exprobrans probitatem simplicem, virum allatrabat canis maledica: vix repulit stultam hoc clypeo: *si bona suscepimus à DEO, cur non mala suscipiamus?* cùm ecce! succedunt inimici amici, tentatores potiùs, quàm consolatores, *Eliphaz*, *Baldad*, *Sophar*, & *Eliu*, ac sub solaminis specie, objiciunt probra, nunc damnando ùt impium, nunc arguendo velut blasphemum & turgidum lacessunt nullo in verbulo peccantē, verè virum DEO dignum, quia tot malis obrutum, & sibi tamen constantem.

Status Jobi tertius felix Quomodo?

Mel. Quæ tandem tragœdiæ hujus catastrophe?

XI. Denuò felix.

Leuc. Malis hisce in totum septennium extractis, tandem victus Palæstrita stygius, patientiæ coronam cessit Heroi. Nec segniùs Cœlum invertit fortunæ rotam: castigatis Gerronibus, non sine ingenti laude *Jobum* sanitati pristinæ, honoribus, fortunæ bonis ita restituit, ut quæ abundaverant priùs, ipsam jam abundantiam inundarent. Tandem cùm recuperâsset totidem filios filiásque incomparabilis formæ; cùm rerum omnium

affluxu

affluxu beatus, per centum & quadraginta annos quartam vidiſſet ſuæ ſtirpis progeniem, à bonis terrenis ad cœleſtia eſt translatus anno vitæ ſupra ducenteſimum decimo ſeptimo, ter felix, quia ſemel didicit malam bene ferre fortunam. *A. M. 2544.*

Mel. Quænam Obſervationes Politicæ? *Obſervationes Politicæ Quæ?*

Leuc. *Jacobus* fratris iram, & animum vindicem expaveſcens ad DEUM converſus eſt: hujus favore *Eſavum* illicò vidit è Leone mutatum eſſe in Agnum, quod idem in *Labano* minas ſpirante, orationis ope, expertus eſt. Sunt nempe *Principum corda in manu DEI*, quorum vitia, vel flagella, non niſi propitiato Numine, precúmque adminiculo ſunt exarmanda.

II. In Principis *Sichemi* tumulo hoc epitaphium legunt Politici: (*a*) Principi fugienda luxuria; non *enim faciliùs quàm luxu, atque libidine imperia evertuntur.*

III. In *Jobo* Principe elucet magnanimitas regia, quæ monſtrat, quomodo ferenda fortuna utraque, ut ne nimis elevemur in proſperis, nec in adverſis facilè ſuccumbamus.

Mel. Quæ obſervationes Chriſtianæ? *XII.* Obſervationes chriſtianæ Quæ?

Leuc. Providentia Numinis in *protegenda ſua Eccleſia:* apparet hæc in *Jacobo* electi populi Principe, quem duxit, atque reduxit è *Meſopotamiæ* finibus; quem à *Labani*, fratríſque periculis defendit; quem denique in terra promiſſionis, *Eſavo* fratre ultrò jam de primogeniti juribus cedente, mirabili conſilio ſtabilivit.

II. Elucet eadem Providentia Numinis in *adumbranda vera Eccleſia.* Nam præmonſtravit *Chriſtum* in ſcala myſtica, qui ſcala noſtra ad

(*a*) Idea Polit. Burgersdickij *fol. 33.*

Superos est, utpote *via, veritas,* & *vita.* In *Iacobi* servitute præfiguravit amorem *Christi,* (a) quo deperiît Sponsam Ecclesiam: in luctante Angelo, ostendit *Christum* cum Synagoga luctantem: in Angelis, *Iacobum* comitantibus, datam Ecclesiæ suæ fidelem Angelorum custodiam: In *Jobo* proposuit vivum Christi patientis ectypon.

Salianus aliique Interpretes.

III. Apparet eadem Numinis Providentia in sua Ecclesia, *virtutum exemplis illustranda.* Harum utique vivum exemplar, & illustre patientiæ speculum in *Jobo* nobis exhibuit: in *Dina* monstravit fugienda pravorum consortia: in *Sichimitis* ostendit luxuriam esse commune hominum, urbium, & Regnorum excidium.

Mel. Quæ observationes Polemicæ?

Polemicæ Quæ?

Leuc. In Jacobi Historia *Hybnerus* iterum suis acclamat; *nil in mundo esse fortius fide; utpote qua Jacob luctatus cum DEO victor evaserit:* sed si *solam Lutheri* fidem, charitate orbatam adstruit, & ipse fallitur, & fallit suos, totóque Cœlo aberrat, ùt dictum suprà.

II. Addit *Hybnerus* in *necessitate confugiendum esse ad preces, exemplo Jacobi, fratrem Esau extimescentis:* ubi apertè Prophetæ sui oraculo contradicit, utpote, qui *sola fide* contentus, preces & bona opera, non semel immunda dixit, & vitiosa.

III. Sed nostri temporis Protestantibus, in hanc ipsam *Jacobi* vitam, observationem magìs appositã suggerunt flores Biblici, (b) dum refellunt hanc thesin, plurium mentibus hodiè inscriptam: *potest quivis in sua fide salvari,*

(a) Flores Biblici *flor. 11. fol. 85.*
(b) Flo. 6. editione Bamberg. *a. 1699.*

vari, si modò credat in Christum, humani generis Redemptorem. Sed nempe fallit hæc thestis, quia reclamat Apostolus *ad Ephes. c. 4. unus DEUS, una fides, unum baptisma:* & iterum ad *Hebræos c. 13. doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci:* contradicunt sibi ipsis hi miseri, dum Hæreticos in prima Ecclesia, etsi Christum Redemptorem publicè professos, & ipsi damnant, atque adeò eandem sibi dicunt sententiam.

INSTRUCTIO TERTIA.

Josephus & Ægyptiaca servitus.

Melander. quot partes continet *Josephi* Historia, quam lusit ludens in Orbe terrarum Divina Providentia? *Partes Historiæ de Josepho Quot? tres.*

Leucotheus. Tres: Prima exhibet variam *Josephi* fortunam *ante servitutem.* Secunda in *servitute.* Tertia *post servitutem.*

Mel. Quæ origo Tragœdiæ? *A. M. 2302. ætat. Joseph. 14.*

Leuc. Invidia fratrum. Tres hujus causas Sacra Pagina allegat: Prima fuit *Amor* Patris tenerior, quo prosecutus est filium, & *morum* candore, & innocentiâ vitæ sibi præ reliquis cariorem: inde *favor*, fratribus non communis, nempe polymita, puerile illicium, sed & grave simul invidiæ incitamentum. *Secunda* fuit *Delatio fratrum*, quæ quia fuit de crimine pessimo, pessimè habebat reos. Unde delatorem *Josephulum* alienato jam dupliciter animo aversabantur. *Tertia:* gliscentem invidiam magis magísque sufflaverant somnia, quæ pro suo candore hic

Causæ odii Quot? Amor, & favor Patris.

Delatio apud Patrem.

Somnium duplex.

A. M. 2303. I.

Somnia Josephũ vendunt.

hic Innocentulus candidè: ajebat, visum sibi, in agro cum fratribus se colligare manipulos, sic ut suus staret erecto vertice, per circuitum reliqui, inclinatis humiliter aristis, suum veluti adorarent. Non multò pòst alterum revelavit somnium dicens: visum mihi per somnium, quasi sol, & luna, cum stellis undecim me adorarent. Priore Phantaso fratres; hoc cum fratribus ipsos quoque Parentes in invidiam traxit, utpote qui suspicabantur jam omẽ illud, quod arroganti, ùt putaverant, Parvulo, neutiquàm humilior *Morpheus* suggessisset. Hinc illi non sine stomacho Pater; *Num ego & Mater cum fratribus adorabimus te super terram?* sic in flammas denique erupit livor, efferatique fratrum animi jam nil coquebant præter vindictam, unde innocentem victimam mox violentæ morti pleno calculo destinabant.

A. M. 2304.

Venditus quomodo?

Mel. Quomodo venditus?

A. M. 2306. ætat. Jos. 17.

Occasio, elongatio à Parente.

Leuc. Factum, ut multiplicato pecore, greges divideret *Jacob*, missis filiis ab *Hebron* in *Sichem*, ubi emptus quondam supererat ager: horum sortem ut haberet certiùs exploratam, ablegat *Josephum:* qui cùm abiîsse fratres percepisset in *Dothain*, illuc iter quoque instituit: jámque is procul pascentes, hi procul venientem conspexerant, cùm ille exilire gaudio, hi irâ fremere, & mox coactâ curiâ fatalem ferre sententiam.

Modus, Immissio in cisternam.

II. Sed cruentis consiliis se interposuit *Ruben*, Advocatus cæteris minùs cruentus, siccámque mortem persuasit, quam in cisternam siccam demisso allatura mox esset fames. Consensêre omnes: unde nil opinantem mox canino dente excipiunt, togâ polymita spoliant, deprecantem crudeliter ligant,

gant, nullisque lacrymis moti, collacrymantibus propemodùm saxis, in puteum demittunt immanes Pardali.

III. Sic satiato furore, cùm ventrem quoque satiaturi circumsident, ecce! *Madianiticam* turbam, mercaturæ ergò *Ægyptum* petentem. Arripuit *Judas* occasionem, qui totum fratrem necdum exuerat, & vendendum potiùs, quàm interimendum suadet, atque persuadet. Sine mora extrahitur, venditur à fratribus frater viginti siclis, abducitur in servitutem. *Venditio.*

IV. Intereà dum *Ruben* fratrem morti erepturus, cisternam vacuam lamentatur, illi togulam, hædi sanguine tinctam, mittunt Patri per nuntium: *videret, an hæc tristes Josephuli sui essent exuviæ?* quibus conspectis attonitus inter lamenta: *fera pessima devoravit Joseph!* dolore propè obriguit: nec fratrum adventus, nec solatia ulla afferre id leniminis poterant, ut ne mœrore tabesceret, sibique hunc lessum continuo ingeminaret: *descendam ad filium meum lugens in infernum.* *Patris Deceptio.* *Mœror.*

Mel. Quæ *Josephi* fata in servitute? *Josephi fata in servitute Quæ?*

Leuc. Mira; *Josephi* fortunam per infortunia promovente Divina Providentiâ: in *Ægypto Putiphari* venditum, è mancipatu ad œconomi munus, brevì sustulit virtus. Hanc per undecim annos sibi probatam æstimaverat *Putiphar*, tentaverat *Putipharis* conjux, in omnem *Venerem* projecta mulier. Nam formâ Juvenis capta, sæpe sibi similem voluit, DEO nempe, & *Putiphari* perfidum: sed Caucasum invenit, qui ad *Syrenum* cantus dudum obduruit. Semel ad scelus coëgisset propemodùm, nisi fugâ sceleri se subduxis- *II. In vincula tradit spretus amor.* *A. M. 2316. Tentatus in castitate.*

duxiſſet, relicto etiam in manu adulteræ pallio, veluti victoriæ trophæo.

A. M. 2316. ætat. Joſ. 27. In carcerem conjectus Cur?

II. Sed quæ amoris ſpreti eſt indoles, hoc ipſo in Innocentis exitium uſa, apud conjugem queſta eſt, ſcelus ſibi oblatum, & quidem pallio teſte, quod revera Innocentiæ, hîc muliebris nequitiæ pallium fuit. Aſſenſum protervæ mulieri præſtitit viri temeritas, móxque indictâ etiam causâ Innocentem condemnat, ac in vincula abripi jubet, majoríne accuſantis, an condemnantis vitio, nemo facilè divinârit.

Joſephi fata in carcere Quæ?

III. Captum comendant ſomnia.

Mel. Quæ *Ioſephi* fata in carcere?

Leuc. In infortunio invénit rurſus fortunam, gratiam ſcilicet, qua apud *Putipharem* priùs exciderat, nunc apud Præfectum carceris ſic conciliante virtute, ut in vinculis liberum, in captivitate captivorum Dominum eſſe juſſerit. Sic annum exegerat, cùm Palatini duo ex aula detruduntur in carcerem, quorum alter Pincerna, alter Piſtoribus præerat. Cùm de futura ſorte anguntur miſeri, geminum illis objicitur ſomnium. Archipincernæ à Phantaſo depicta eſt ſpecies vitis cum triplici palmite, gemantis primùm, tum floreſcentis, ac uvas tandem maturas protrudentis, è quibus liquorem in calicem exprimere, Regíque porrigere ſibi videbatur. Piſtor verò per quietem ſibi viſus, tria videre caniſtra, capiti ſuo impoſita, è quorum ſupremo volucres cibos varios, arte piſtoria confici ſolitos, ſurripiebant.

A. M. 2327. Somnia captivorum Quæ? Vitis.

Caniſtra ab avibus ſpoliata.

II. Audivit ſomnia *Joſephus*, & ùt erat diviniore afflatus flamine, hunc elapſo triduo ad ſuſpendium, corvorum pabulum; illum ad priſtinum munus evocatum iri edixit, quem proin, in tam felicis augurii minerval,

Interpretatio Joſephi Qualis?

val, rogavit ſupplex, miſeri, ac innocentis patrocinium apud Regem ſuſcipere ne gravaretur. Et verò auguriis ſtetit fides, non tamen ſtetit fide Pocillator incurius, ſed ùt ſolet, beneficii mox ſucceſſit oblivio, ut adeò duos & ampliùs annos *Joſepho* in carcere hærendum fuerit.

A. M. 2319.

Mel. Qua occaſione liberatus è carcere *Joſephus*, & elevatus in ſolium?

Occaſio libertatis Joſephi Quæ?

Leuc. Accidit, ut ſomniaret etiam *Pharao* duo ſomnia, â diviniore *Morpheo* illi objecta. In primo viſus ſibi ſtare ad *Nili* alveum, è quo emergerent ſeptem vaccæ præpingues, quas remotiora, ſed læta paſcua ſaginabant: his ſuccedere vidit mox ſeptem alias, indidem exortas, ſed adeò ſtrigoſas, ut oſſa traherent; adeò famelicas, ut cùm in ſterili ripa fruſtrà pabulum quærerent, ſeptem pingues ſubitò devorarent. In ſecundo ſeptem ſpicæ uberes, uno è culmo, aſcendere viſæ ſunt, juxta quas totidem graciles, & afflatæ uredine ſurgebant, priores illicò abſumentes. Terruêre *Pharaonem* oſtenta, qui poſtquàm anxius fatigâſſet fruſtrà aruſpicum tripodem, ecce! Pincernæ memoriam ſubiît *Joſephus*, unde Rex certior factus de divinandi peritia, illum velut optatum interpretem protinùs adeſſe voluit.

IV. Tollunt in ſolium

Somnia Pharaonis qualia?

Septem vaccæ pingues & macilentæ.

Septem ſpicæ.

Interpretatio Quæ?

II. Comparet *Joſephus*; ritu *Ægyptio* tumultuariè veſtitus, audit ſomnia, móxque addens oracula, utrique unum idémque omen eſſe affirmat: ſeptem vaccis obeſis, totidémque ſpicis plenis, ſeptem annos portendi fertiles ait, quibus ſeptem alii ſteriles, â macilentis bobus, ac ſpicis præſignati, mox ſucceſſuri eſſent, priorum annorum copiam abſumentes. Suadet proinde, ut ſeptennio fertili

Septem anni frugiferi & ſteriles.

tili impletis providè horreis, mox ſecuturæ
A.M. 2319. inopiæ, viri cujusdam Oeconomi curâ, at-
æt. 30. que induſtriâ Rex provideret. * Conſilium
placuit, nec aptior viſus eſt dante, quem
proin non rei frumentariæ ſolùm, ſed toti
Regno, vicaria cum poteſtate, præeſſe juſſit:
Joſephi in ſolium elevatio Quæ? tam ſubitò carceris ſcenam, in glorioſam cataſtrophen, mutavit Numinis Providentia!

Mel. Quæ Regni adminiſtratio?

RegiaPompa. *Leuc.* Poſtquàm *Ioſephus*, regiis decoratus inſignibus, annulo ſignatorio, purpura, torque, regióque curru ſublimis, triumphali cum pompa eſt circumductus: poſtquàm præconis voce, *Ægypti* Prorex, non niſi ſolo *Pharaone* minor, eſt proclamatus, & veluti *Mundi Servator* flexo poplite adoratus: poſtquàm Hymenæo illuſtri cum *Aſeneth* per Regem condecoratus, *Ægyptiis* cunctis ex ejus nutu pendentibus, ætatis anno trigeſimo huic
A. M. 2320. tanto muneri manus admovit.

Regni adminiſtratio prudens. II. Et verò id adeò magnâ ſapientiâ obiit, ut ſeptennio fertili tota *Ægyptus* in *Pharaonis* horreum; arena ipſa mutata in triticum videretur. Hinc ingruente alterius ſeptennii fame, ad *Pharaonis* horrea convolare coacti certatim omnes, ingenti utique ærarii Regii emolumento. Immò cùm & vicinas Provincias jam preſſiſſet prodroma famis inopia, paſſim omnes, quos inter & deni *Iacobi* filii ex *Chananitide* ad emenda annonæ ſubſidia in *Ægyptum* contenderant.

A.M. 2327. *Mel.* Qua ratione excepti in *Ægypto Iacobi* filii?

Leuc. *Memphin*, aut potiùs *Tanin*, tunc ſedem

* Quantum interſit Reipublicæ, habere Miniſtrum virtute præſtantem? *Imhof. Diſc. 9.*

ſedem Regiam cùm tenuêre, juxta illud *Pharaoni* ſolenne: *Ite ad Ioſeph*, illicò Proregi ſiſtuntur, quem non agnitum (multùm enim & ætas, & habitus fratrem mutaverat) dum procumbentes jam adorant Manipuli, ſubmiſſo vertice ariſtas petunt, frumentum ſcilicet, paratâ pecuniâ coëmendum. *Ioſephus* & notos ſibi, & ſe ſe fratrem diſſimulans, vultu ad ſeveritatem compoſito, exploratores compellat. Illi contrà demiſsè, unius ſe ſe parentis filios eſſe, minimóque fratre domi relicto, ex *Chananitide* pacificos adventâſſe huc aſſerunt.

V. Fratres dum duriùs excipit. *Poſt an. 21.*

II. Mox *Ioſephus* arrepta occaſione: *num verbis fides, probabit frater: quem dum veſtrum unus adducit, reliquos ſervet carcer.* Subin quæſitis variis exagitatos, graviores ſimulans iras, in cuſtodiam abripi omnes jubet, velut per otium dandos in quæſtionem. Hic tandem ſensêre Nemeſin, fratris pœnas per *Beniaminum* fratrem â fratribus jam expoſcentem. Poſt triduum educti è carcere, rurſus ad Proregium tribunal ſiſtuntur: ubi cùm *Joſephus* per interpretem inſtantiùs urgeret *Beniamini* adventum, illi ad invicem linguâ patria (nam idiomatis gnarum Proregem nulla illis ſuſpicio) *meritò hæc patimur, quia peccavimus quondam in fratrem:* tum *Ruben*: *nunquid dixi vobis? en ſanguis exquiritur!* quæ lamenta *Joſepho* lacrymas, brevi tamen abſterſas, denuò expreſſerant: unde converſo vultu, Ite, ait, cum frumento, ſed fratrem adducite, cujus obſidem in carcere hic aget intereà, digito *Simeonem* notans, qui quondam hæc verba: *Somniator venit, occidamus eum:* quem proin vinculis

Beniamini poſtulatus adventus.

constrictum in carceres; in Patriam reliquos redire jubet, ac imperat.

A. M. 2328. *Professio secunda in Ægyptum Qualis?*

Mel. Quomodo in *Ægyptum* profecti denuò, & â *Josepho* Prorege excepti?

VI. Offert se se Beniamin.

Leuc. Reversi in Patriam, frumentum, & quod attoniti spectârant, frumenti pretium (quod in saccis clàm reponi jusserat Prorex) *Jacobo* partim læto, partim sollicito ostentant: tum recensent itineris fata, Proregis severitatem, petitum *Beniamini* adventum, *Simeonis* obsidis vincula, optimúmque senem incredibili mœrore conficiunt. Hanc mœstitiam dum inter lamenta, & lacrymas coquit afflictus Pater, rursum annona absumitur, unde reditum imperat, sed de *Beniamino* comite tamen luctatur imò & reluctatur, etsi *Ruben* duos filios; *Judas* se ipsum oppigneraret: tandem fames, vicit amorem vincentem omnia: cum muneribus, cum priore, novóque duplici pretio, & qui super omnia necessarius, cum *Beniamino* remeant, exceptíque, in *Josephi* palatium deducuntur. Hinc, ut suspicionis res plena est timor, ob pretii nuper reportati errorem, huc inductos se rati, innocentiam suam Oeconomo demonstrant: sed insinuat ille, non supplicii terrores, sed convivii honores hìc illis esse paratos, móxque *Simeonem* quoque adducit è vinculis liberum.

A Josepho excepti magnificè.

II. Igitur absterso timore Proregi munera parant; quibus in terram proni dum venientem excipiunt, mutuis benevolentiæ studiis excipiuntur, *Beniaminus* præcipuè, cujus intuitu prorumpentes ubertim lacrymæ in secretius conclave avocârunt invitum. Inde regressus, lota facie, separatæ mensæ solus accumbit; in altera ætatis ordine fratres attonitos collorat; tertiam *Ægyptiis* Satrapis, & hospiti-

pitibus designat: * sic cibos distribuit, ut cuivis portio lauta, *Beniamino* tamen quintuplo lautior apponeretur. Denique ubi per pocula quoque hospitalitatis honoribus litatum abundè, lætiores solito dimittit, & impletis frumento saccis, altero mane jubet ire in Patriam.

Quo casu è via retracti denuò?

VII. Quem furti ubi crimina turbant.

Mel. Quo illi casu è via retracti denuò?

Leuc. In jussis acceperat *Josephi* Oeconomus, ut frumentariis saccis imponeret denuò pretium, in *Beniamini* verò etiam scyphum argenteum, quasi furto subductum, absconderet. Hinc inter jubila dum viam relegunt, ecce tibi! concitatis equis advolare Oeconomus, cum armata manu persequi, & tandem sistere fugitivos, furti arguere, ingrati animi dedecus exegesi Satyricâ exprobrare. Illi insperato perterriti nuncio, nullius furti se sibi conscios asseverant: excuteret liberè jumentorum omnium onera, penes quemcunque deprehenderet scyphum, ad mortem; omnes in servitutem abstraheret. Accipit ille servitutis conditionem, deponitur frumentaria supellex, exploratur sedulò, sed diu frustrà, dum tandem è *Beniamini* sacco extrahitur scyphus, ** & veluti furti reus in servitutem deposcitur.

H 2 II. Hic

* Seorsim collocati *Ægyptij*, quia abhorrebant ab *Hebræis* ob esum carnium, quibus ipsi ob pecorum latriam abstinebant. alij volunt abhorruisse ab *Hebræis* propter fastum, quo exteros aversabantur. *Ita flor. Bib. flo. 20.*

** *Josephus* non auguratus est è scypho more Ægyptio, de quo *Sirenius: legimus Assyrios, Chaldæos, Ægyptios pelves seu scyphos replere aquis solitos, in quibus argenteas laminas, lapidésque pretiosos certis characteribus signatos ponebant, & qui-*

II. Hic enimverò fratres ſtetêre attoniti, quid cogitarent, ſive reponerent ignari. Mox ſciſſis veſtibus in lamenta effuſi, dum viam relegunt, talionem fati tandem inter lacrymas agnoſcunt. Vix in *Joſephi* venêre conſpectum, cùm corruentes in terram, ſingultus inter & lacrymas, ſervituti ſe ſe ſubjiciunt: ſed cùm ſolum *Beniaminum* in mancipium ſibi depoſceret, tandem *Judas* cœpit exponere Parentis curas, ſollicitùmque amorem in parvulum, è cujus anima ſenis optimi anima penderet: adjecit, ſi *Joſepho* dudum deperdito, hoc unicum *Rachelis* pignus inſuper perderet, canos ejus deductum iri cum mœrore ad inferos: denique addidit, quòd vadem ſe ſe obtulerit parenti, ſe paratum in vincula, nec abſque parvulo rediturum unquam, ne calamitati, quæ oppreſſura eſſet Parentem, & author, & teſtis cogeretur aſſiſtere.

Fratrum luctus.


A. M. 2328. Joſephus â fratribus agnitus quomodo?


VIII. Se prodit Joſeph.

Mel. Quomodo Fratribus agnoſcendum ſe dedit tandem *Joſephus?*

Leuc. Cùm *Judas* lamentis, ſingultibus reliqui, *Beniamin* ipſe innocuis lacrymis peroraret, jam non ampliùs ſui potens *Joſephus*, exeſſe juſſis *Ægyptiis*, elata inter proruentes lacrymas voce exclamat: *Ego ſum Joſeph, fra-*

& quibusdam verbis pronuntiatis Dæmon advocabatur, qui vocem inſtar ſibili formans, ex aquis reddebat reſponſa eorum, de quibus conſulebatur. Sed *Joſephus* vel credebatur ſolummodò augurari, quia ſomniorum interpres, vel hoc ſcypho dum vinum propinabat hoſpitibus, ingenij vi divinabat, hoc eſt, explorabat hoſpitum temperantiam, prudentiam, arcana cordis &c. *Ita flor. Bibl. flo. 21. ubi vide plura, uti & apud Menochium cent. 12. c. 56.*


Fol. ub. Con.
TERRA CHANAAN ANTE DIVISIONEM.
Populus Hemath
Keneſæi
Ptolomais
Cananæi
Gorgeſæi
Heveæi
Hethæi
Ascalon
Gad
Gelboe
Sichem
Salem
Jebus
Bethel
Gilgal
Pherezæi
Mare Galilæum
Jordan
Golon
M. Seir
Dibon
Amorrhæi
M. Galaad
Ammonitæ
Moabitæ
Sodoma
Gomorra
Soar
Iebuſæi
Kenitii
Edomitæ
Arabiæ
Geru


TERRA CHANAAN POST DIVISIONEM.
Gaza
Tribus Simeon
Joppe
Tribus Dan
Tribus Iuda
Bethlehem
Jerusalem
Tribus Benjamin
Tribus Ephraim
Samaria
Mare Mortuum
Jordan
Tribus Ruben
Besor
Tribus Gad
Hesebon
Tribus Manaſse
Tribus Isacar
Jezrael
Nazareth
Tribus Zabulon
Mare Galilæum
Sarepta
Tribus Aser
Tribus Nephtali
Dan
Tribus Manaſse
Jabes Galaad

frater vester, quem vendidistis! cùm ad hoc veluti fulmen terrore propemodùm obrigescerent undeni fratres, ille amabili voce: nolite pavere animis, inquit, DEUS est, qui vestro bono me in *Ægyptum* præmisit; festinate, Patrique nuncium ferte, *Josephum* filium vivere; maturaret cum omni familia iter in *Ægyptum*, quinquennium quippe superesse famis, & *Pharaoni* constitutum esse, ultrà frumentum nullum extra Regni limites vendere. Quibus dictis suavissimè singulos complexus, cum largo fletu in *Beniamini* collum ruit, lacrymas lacrymis miscens.

II. Fama rei, primò per Aulam, mox ad *Pharaonem* perlata, omnes gaudio, hunc etiam jubilo replevit: sine mora jubet expediri currus, jumenta, ad subvehendas conjuges, liberos, omnémque supellectilem necessariam, offerens insuper medullam terræ, omnésque *Ægypti* opes. His munera addidit *Joseph*, singulis dans geminam vestem, *Beniamino* pretiosiores quinque cum trecentis argenteis, totidémque Patri cum asinis decem, sicque ditatos reverti jussit in Patriam. *Aulæ Ægyptiæ jubila.*

Mel. Quomodo Jacob cum familia sua profectus, & exceptus est in *Ægypto?* *Jacobi profectio in Ægyptum Qualis?*

Leuc. Ubi inaudiît Jacob hæc verba: *Joseph vivit, & dominatur toti Ægypto!* optimus senex, post viginti duorum annorum luctum, veluti profundo sopore evigilans, hærebat rei novitate suspensus, ac dubius: tandem rerum percepta serie, visísque donis, ac curribus, revixit spiritus ejus, dixítque, *sufficit mihi, si adhuc vivit filius meus, vadam & videbo illum, antequàm moriar.* Nec mora, convasatis omnibus, ipsáque Numinis vo- *A. M. 2329. æt. Jos. 40. æt. Jac. 130. completo.* X. Josephum invisit Jacob.

luntate ad juramenti puteum exploratâ, sub Divinis auspiciis iter ingressus, venit in *Ægyptum* anno ætatis 130. cum comitibus sexaginta sex, * in censum non venientibus fœminis.

Exceptus quomodo?

II. Audito igitur per *Judam* adventu Patris, *Josephus* curru sublimis, eidem obviàm processit in *Jessen*, ubi excepit Patrem, amplexus inter & oscula, ipsis lacrymis gaudii testibus, dicente *Jacobo: te fili superstite jam lætus moriar*. In Aulam reversus Prorex Fratrum quosdam *Pharaoni* stitit, quibus quia pastoribus (quos horrent *Ægyptii* ob pecorum latriam) assignata est terra *Gessen*, separata illa quidem ab *Ægyptiorum* consortio, sed tamen optima inter regiones *Ægypti*. Tandem & ipse *Jacobus* ad *Pharaonem* quoque adductus est â *Josepho*: Illi quia optimo seni dierum pleno, favores Regios obtulit *Pharao*, ac ad habitandam terram *Gessen* dimisit.

Jacobi commoratio in terra Gessen Qualis? A. M. 2330. 2331. 2332. 2333. Sub Josepho Nutricio optima.

Mel. Quomodo in terra *Gessen* moratus *Jacob*?

Leuc. Quartum annum jam premebat fames *Ægyptios*, cùm illatis in ærarium facultatibus, coacti sunt hastæ quoque subjicere pecora, demum & libertatem, qua nihil charius, offerre venalem, ut sementem acquirerent, ac quintam messis relatæ partem *Pharaonis* horreo inferrent. Ab omni tamen onere exempta semper Poparum est dignitas, quam Regis horrea alebant, ut videas, quàm sacra

* Si *Jacobum* cum *Josepho*, ejúsque duobus filiis annumeres, fuére personæ septuaginta, utì legitur *c. 46. v. 27.* si insuper addas *Josephi* nepotes quinque, personæ fuerunt septuaginta quinque, id quod legimus Actorum *7. v. 14.*

ſacra in ſacris ipſa fuerit Gentilitas. Sed & Paternæ familiæ ſuccurrit *Joſephus*, liberaliùs utique, quia duplex Pater, & *Ægypti*, & ſuorum jam in *Ægypto*, dum tandem ceſſante fame, tam opibus, quàm numeroſa ſobole crevit *Jacobi* poſteritas.

Mel. Quando, & quomodo mortuus *Jacob*? *A. M. 2345. æt. 147.*

Leuc. Jam annum decimum ſeptimum in terra *Geſſen*, quadrageſimum ſeptimum ſupra centeſimum ætatis numeraverat Patriarcha *Jacob*, cùm imminentia cernens fata advocavit *Joſephum*, eúmque de ſepeliendo corpore in terra *Chanaan*, manu ſub femore poni juſſa, ſollicitus adjuravit. *Jacobus mortuus quando?* *Benedictio * filiorũ ultima. Qualis?*

II. Mox gemino filio, *Manaſſi* & *Ephraim*, ſuos inter filios & hæredes jam adoptato, ſic benedixit, ut brachiis in crucis formam transverſis, ſiniſtram imponeret Primogenito *Manaſſi*, dextram Secundogenito *Ephraim*; Patri errorem ſuggerenti repoſuit, nil hîc erratum, minorem quippe majore futurum majorem, & amplitudine terræ, & multitudine colonorum. *Joſepho* denique cùm legâſſet in ſpecialis benevolentiæ pignus *Sichimorum* terram, *Amorrhæi* ſpolium, & reliquos adeſſe juſſit, propheticóque afflatus Spiritu, ultima fudit oracula, ** quæ

 inter

* Hunc ritum adhibitum â Patriarchis fuiſſe ob reverentiam circumciſionis volunt *Hebræi*: ob adumbratum Incarnationis myſterium, & generationem Meſſiæ ex femore, hoc eſt ex ſtirpe Patriarcharum juxta illud *Gen. 22.* Ex ſemine tuo benedicentur omnes gentes, volunt Interpretes alij. vide *flor. Bibl. flor. 22.*

** Quænam horum auguriorum ſit expoſitio? *Vide Flor. Bibl. Flor. 24.*

inter est celeberrimum illud: * *non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium.*

Mors. III. Hæc elocutus, loquendi finem simúlque spirandi fecit, placidissimè extinctus, oculos claudente *Josepho*, lacrymisque ac osculis parentante. Cadaver opobalsamo conditum, post septuaginta dierum luctum, in terram *Chanaan* delatum, & Majorum monumento in *Hebron* appositum est, pompam funebrem *Pharaonis* Aulâ & nobiliore *Ægypti* parte magnificè comitante. **

Josephi acta post Jacobi mortem Quæ? *Mel.* Quomodo, & quando mortuus *Josephus?*

Leuc. Post fata Patris, mox revixit in filiis timor, ne fortè in patrio cinere malè sepulti resilirent igniculi, illatæ quondam *Josepho* injuriæ vindices. Sed metum discussit *Josephus*, quando deprecantibus flexo poplite testatus est animum fraternum, qui nollet vertere malum in malum, cùm DEUS hoc suum malum vertisset illis in bonum. Et fecit fideliter, quod liberaliter spopondit: nam per quinquaginta quatuor annos, quibus adhuc *Ægypti* gubernacula rexerat, monstravit se fratrem, quem vendidissent feliciter, ut longam adeò in *Ægypto* fortunam sibi mercarentur.

Benevolentia in fratres.

II. Tan-

* Quomodo non defecerit sceptrum de Juda? *Petrus Annatus in Apparatu ad Positivam Theol. f. 189.*

** Cur *Jacob* tantoperè desiderârit sepeliri in terra *Chanaan*? rationem dat *Theodoretus*, ut suos doceret, ex *Ægypto* in terram promissionis transferēdos. Aliam assignat *Lyranus*: quia *Jacob* sciebat, in illa terra Messiam nasciturum, moriturum &c. ibíque peragendam humani generis redemptionem.

II. Tandem & ipse communi mortalium subscripsit sententiæ, anno ætatis centesimo decimo piè mortuus, qui piè vixit, id unum grati animi ergò petens à fratribus, ut ne ejus ossa in *Ægypto* relinquerent, sed suo tempore translata in Patriam, Majorum cineribus aggregarent. *Josephi* corpus aromatibus conditum, magno totius *Ægypti* luctu, â suis illatum est tumulo, usquedum elapso centum & quadraginta quinque annorum curriculo, tandem sacra hæc lipsana â *Moyse* in *Chananitidem* sunt translata. *Mors. A. M. 2399. ætat. 110.*

Mel. Quomodo sub servitutem redacti denique *Israëlitæ?* *Israëlitæ sub servitutem redacti.*

Leuc. à *Josephi* obitu jam quinquaginta duo anni effluxerant; jam evanuerat Servatoris *Ægyptii* gloriosum Nomen; jam *Pharaoni* secundo successerat tertius; cognomento *Amenophis*; jam *Israëlitæ* creverant in Gentem magnam, Cœlique favoribus *abusi ad luxum*, flagitiis *Superûm iram*, opibus *Ægyptiorum invidiam* sibi attraxerant; cùm in *Pharaonis* curia cuditur hoc dictamen politicum: *opprimendam esse hanc gentem:* & quare? *eò quòd prævaleat viribus, futura forsitan non tam Regno, quàm Regni hostibus emolumento.* * Nec mora, quod malè conclusum, pejùs datur effectui: primò subtrahitur nervus, emunguntur pecuniæ, exsugitur medulla: mox inopes servituti subjiciuntur, subjecti per operum Præfectos durissimos, coquendo latere, cædendo lapide, omníque onere servili, in erigendis Pyramidibus, urbibus (quas inter *Ramesses*) sic miseri premuntur, ut propemodùm opprimerentur.

A. M. 2451.
X.
Intereà Fratres dum vexat sæva Tyrannis.

Cur?

Quomodo?

* Quanta servitus? *Men. C. 10. C. 18.*

A. M. 2456. II. Sed cùm Cœlo favente, in laboribus crescerent vires, & in ærumnis multiplicaretur progenies, * bello sanè consilio, quod æmulentur Tyranni omnes, simul ac editi essent in lucem, ab obstetricibus *Ægyptiis*, *Obstetricum fraus Qualis? Corn. à lap.* *Sephorâ* & *Phuâ* necari jussit. At harum pietas (multiplici sobole â Cœlo remunerata) crudele imperium officioso mendacio elusit, dum *Hebræas* mulieres, matres simul agere, & obstetrices causata est. Hinc Tyrannus, *Tyranni crudelitas Quanta?* inauditâ immanitate, ipsis parentibus præcepit, mares vix bene natos *Nilo* demergerent, fœmellas *Ægyptiorum* famulitio, & *A. M. 2463.* libidini reservarent, qui secùs fecissent, pietatem capite luerent.

Moysis genus. *Mel.* Quæ *Moysis* origo, & infantiæ fata?

Leuc. *Amram* è tribu *Levi*, *Jachabetâ* conjuge, tres susceperat liberos, è quibus duo *A. M. 2457. 2461.* *Maria*, & *Aaron* (nota Scripturæ nomina) lucem aspexerant, antequàm *Pharao* cunctis masculis interdiceret lucem. Hos secutus est *A. M. 2464. Natales.* tertius infelici utique sidere, ut qui necdum natus, jam destinatus erat ad mortem, quasi ideò nasceretur, ut ad Tyranni imperia mox iterum denasceretur. Sed cùm in vultu infantis tam bellè luderent *Charites*, miserta Mater, tertium mensem abscondit victimam, volens saltem differre fata, si evitare non posset.

Infantiæ fata. II. Et verò, quæ temporis illius iniquitas! cùm jam ædes perlustrarent canes venatici, satellites puto, mandati sacrilegi executores, maluit prolem incerto fato, quàm certæ morti totam domum exponere. Hinc in *undis expositus.* fiscella scirpea, bitumine oblitâ, posuit prolem

* Quàm stupenda fuerit hæc multiplicatio? *Men. C. 6. C. 97.*

lem innocuam, *Nilíque* carectis abſconditam, commiſit fortunæ velis, certam haud dubiè undarum prædam, nî clavum Providentia Numinis arripuiſſet.

III. Accidit, ut *Thermutis*, filia *Pharaonis* cum Gynæcéo *Nili* crepidinem obambularet, & jam jam deſcenſura in flumen, corporis lavandi gratiâ, conſpiceret corbulam, vicinæ cárici adhærentem. Afferri jubet, aperit, cernénsque pulchellulum vagientem, miſeratione mota, de nutrice circumſpicit: cùm ecce! *Maria*, fraterculi ſortem â longè exploratum miſſa, adeſt in tempore, nutricem offert eam ipſam, quæ genuit: ſic Innocentulus, etiam pacta mercede, educatus â Matre, poſtquàm infantiam exuit, Aulæ commiſſus eſt Parvulus, *Thermutidi* tam charum pignus, ut *Moyſen*, hoc eſt *extractum ab undis* diceret, ac in filium adoptaret. *à Pharaonis filia ſervatus.* *A. M. 2468. an. æt. 4.*

Mel. Quæ *Moyſis* fata in Aula *Ori Pharaonis* hoc nomine IV?

Leuc. Adolevit hoc Juventutis prodigium nutrice geminâ: unam dederat Aula, *Pharaonis* filiam; alteram Cœlum, Divinam ſcilicet Providentiam. Clientem ſuum nutriebat illa in Aulæ decorem, hæc in terrorem; illa in ſtirpis regiæ ſupplementum, hæc in excidium; illa in *Ægypti* fulcrum, hæc in flagellum, & in afflicti populi ſolatium, ac levamentum. Et verò monſtravit brevì, quis eſſet, dum fratres frequens inviſeret, ac ſolaretur. *Moyſis fata In Pharaonis aula Quæ?* *Educatio.* *A. M. 2503.*

II. Accidit ut *Hebræus* quidam pauperculus vapularet inhumaniter ab immiti *Ægyptio*: hunc ille, diviniore Zelo adactus, trucidatum ſubitò, remotis arbitris, ùt putabat, ſub ſabulo abſcondit. Altero die cùm inter luctan- *Hebræorum defenſio.*

luctantes *Hebræos* se se denuò ingereret arbitrum, sensit se proditum, etiam in Aula, & ad

A. M. 2503. æt. 40. Exiliū spontaneum.

Talionem quæri â *Pharaone*. Hinc spontaneum elegit exilium, maluitque degere in caula pecorum custos, quàm in Aula tot malorum, quibus fratres opprimebantur, infelix testis.

Moysis fata in exilio Quæ?

Mel. Quæ *Moysis* fata in exilio?

Leuc. E *Pharaonis* Aula in *Madianitidem* profugus, cùm septem Daphnides, *Raguelis* cujusdam (cognomento *Jetronis*) filias, contra petulantem Mopsorum turbam, in adaquandis gregibus, defendisset, invitatur â Patre, qui sacerdos simul, & vir Princeps erat in terra *Madian*: * ab hoc adoptatus

A. M. 2504. Connubium qua occasione?

in Generum, *Sephoram* conjugem accipit, ex hac dum geminam sobolem suscipit, *Gersam*, & *Eliezer*, ipse pastoritio pedo manum, mentem DEO consecrat in solitudine *Pharan*.

XI. Mittitur auxiliū mœstis â Numine Moyses. *Visio Angeli in rubo Qualis?*

II. Jam ipsos quadraginta annos hac vitâ contriverat, cùm greges Soceri quondam ducit in interiora deserti, & ecce! in proximo monte *Horeb* (pars jugi *Sinæi* est) spectabile eidem se offert Numen, in rubo flagrante, nec conflagrante. Cùm jussus esset accedere, detractis calceamentis, audit, lamenta afflicti populi sui penetrâsse Cœlos, se destinari Legatum ad *Pharaonem*, simúlque Du-

A. M. 2543. æt. 80.

cem, qui Gentem, servitutis jugo ereptam, deduceret in terram *Chanaan*, Patribus promissam.

Vocatio ad Ducis officiū.

III. Tanto muneri cùm subtrahere humeros conaretur, sive animi *demissione*, sive nota Gentis *incredulitate* deterritus, animatur pro-

* An vita Pastoritia *Moysi* futuri regiminis schola? *Menoch. Cent. 5. c. 11.*

prodigio gemino: Primo quidem, cùm pastoritiam virgam projici jussam, verti vidit in terribilem colubrum. Secundo cùm manum mittere in sinum jussus, eandem primò coopertam leprâ, mox denuò mundam retraxit, ac integram: addita insuper est prodigii tertii pollicitatio, quo *Nilum* vertere ad nutum posset in sanguinem, si vocationi suæ fides denegaretur. Sed nihilominùs tergiversanti, & *rudis linguæ balbutiem* (quasi verò lingua, DEO animata, sat eloquens non esset) alleganti, commotior Dominus, *Aaronem* facundiâ celebrem, socium jungit, atque interpretem. *Quibus prodigiis?*

Mel. Quomodo in *Ægyptum* reversus, DEI consilia fratribus manifestavit? *In Ægyptum reversus Quomodo?*

Leuc. Adjutore DEO tandem firmatus *Moyses*, â Socero copiam petit, invisendi ad fratres, eòque valere jusso, cum suis pergit, *Ægyptum* versùs. In via *primò* de legationis summa, & *Pharaonis* futura pervicacia â Numine instructus est denuò. *Secundò:* Mox ab ultore Angelo territus, quòd, itineris ergò *Eliezerum* filium circumcidere neglexisset, ritum illicò explente conjuge, mortis pericula evasit. *A. M. 2543.*

III. Denique *Aaronem* fratrem, DEI monitu sibi obvium, amplexus est, quocum collatis consiliis, & domum remissa conjuge cum gemino filio ob legationis suæ pericula, perrexit ad filios *Israël*, congregatisque Majoribus legationem suam exposuit, prodigiis fidem fecit, & invenit, omni populo miserentis DEI consilia, effusis laudibus, celebrante.

Mel. Quæ observationes Politicæ? *Observationes Politicæ Quæ?*

Leuc. I. Principia Pseudo-politica, quibus per æmulationem, invidiam, & gravio-

ra etiam ſcelera, reclamante DEO, Magnates inter ſe ſæpè certant, ut per aliorum ruinas ſibi gradus parent ad gloriæ ſolium, *Joſephus* confutat, & in *Ioſepho* Divina confundit Sapientia, dum ex his ipſis principiis aliud eruit verè politicum: *Non eſt conſilium contra Dominum.*

II. Uti nil probo Aulæ Miniſtro utilius, ita nil ejus ſelectu eſt delicatius teſte *Seneca*: eligendi ectypon eſt *Ioſephus*, * eligentis eſt *Pharao*, qui ſatis probavit ſe Regem, conſtituendo talem Proregem: ſed forſitan rarum cimelion Miniſter, *Ioſepho* ſuppar, qui etſi exterus, ſcientiâ ſuâ ſe ponat extra æmulationem, virtute extra invidiam; qui ſic curet ærarium publicum, ut privati oblitus penitiſſimè videatur.

De Rep. ordin.

III. Si *Saluſtio* fides, crudelia ac ſuperba imperia, acerba magìs, quàm diuturna: contrà ſolent eſſe fauſta, quæ clementiâ temperantur: teſtis eſt *Pharao*, qui tyrannide firmaturus ſolium, eâdem ipſa id ſubruit, ac ſubvertit. **

XII. Obſervationes Chriſtianæ Quæ?

Mel. Quæ Chriſtianæ?

Leuc. Primò Providentia Numinis *in regenda, & protegenda Eccleſia:* ſic *Ioſephum* per infortunia ad fortunam; per ſervitutem promovit ad thronum, ut per *Ioſephum* ſuis ſuccurreret: *pro ſalute veſtra miſit me DEUS ante vos in Ægyptum. (a)* ſic ſuorum ſcelera (nam multi Idolomaniæ dediti colebant *Apim)* per ſervitutem in *Ægypto* DEUS punivit, ut illos permitteret premi, non tamen opprimi: *Moyſen* mirabili fato, educando in

* Quid Principi in Miniſtrorum ſelectu obſervandum? *Imhof. p. 2. c. 42.*

** Videatur Timpius *ſig. 41. de Tyrannis.*

(a) *Gen. 45. v. 5.*

in Aula, ut Aulam vindex everteret: *vidi afflictionem populi mei, audivi clamorem, & descendi, ut liberem eum.* (a)

II. Eadem Providentia memorabilis *in adumbranda vera Ecclesia.* Sic *Iosephus* à fratribus venditus, elevatus in solium, succurrens suis, sanè vivis coloribus, præfiguratum est *Christi* ectypon: sic Ægyptiaca servitus servitutis nostræ est typus, è qua liberati sumus per meliorem Ducem, scilicet *Christum.*

III. Eadem Providentia memorabilis *in illustranda vera Ecclesia* per Christianas virtutes, quarum succinctam epitomen habemus in *Iosephi* innocentia, castitate, timore DEI: *quomodo possum peccare in DEUM meum?* in fidelitate Ministerii, Ministris omnibus æmulanda; in amore vindictæ nescio: virtutum exempla legimus in *Moysis* prudentia, qua recusavit Dignitatis officia, suæ conscius infirmitatis, ad quæ multi, etsi minimè apti, etiam per scelera aspirant. Quæ virtutes, in his Heroibus collectæ, utinam in nobis saltem essent divisæ?

Mel. Quæ observationes Polemicæ? **Polemicæ Quæ?**

Leuc. Hybnerus è *Iosephi* Historia hoc dogma eruit: *DEI gratiâ facilè graviora scelera evitamus: testis est Ioseph, qui nec minis, nec blanditiis ad peccatum pertrahi poterat.* Hæc ille equidem bene, si modò *Lutheri* Assecla non foret. Nam si *beato*, quem ipse vocat, *Luthero* fides, præcepta DEI servatu haud possibilia, illud præcipuè, quod sextum novimus. En linguam discipuli, Magistri linguæ difformem! * *II. Moy-*

(a) *Ex. 3. v. 7. & 8.*

* Evangelisches κατ᾽ ἄνθρωπον oder neue Gedan-

II. Moyses pretiosus Author *Hybnero* est: *Luthero Hæreticus* dicitur. * Et utri fides? Acatholici viderint, num Discipulus sit supra Magistrum.

III. Moysis vocatio miraculis probanda fuit, &

Gedancken/ qui recentissimè A. nempe 1727. procusus, sine Authore, sine editionis loco (ut libelli pretium colligas) sic de *Luthero* loquitur Author nullius nominis: zum voraus aber erinneren wir/ das wir Lutheraner unsere Religion nit gründen auf die Persohn/ oder Lehre des Luthers/ sondern allein auf das Wort GOttes *Fol. 56.* Mox subjungit ex ipso *Lutheri* ore *tom. 1. Jen Ger. fol. 363.* ich gib mich zwar für keinen Engel aus/ aber mein Lehre laß ich nicht schelten/ weil ich weiß / daß sie (additur NB. ab hoc Authore) nicht mein sonder GOttes Wort ist. E quibus sic arguere non nemo posset: *Lutherani* non se fundant in doctrina *Lutheri:* sed doctrina *Lutheri* est verbum DEI: ergo *Lutherani* non se fundant in verbo DEI. M. est illaudati Authoris. m. est *Lutheri* ab eodem citati, ex certa scientiâ. C. est contradictoria in ipsis ejusdem Authoris eodem folio terminis.

* Den *Moysen* (ait Lutherus) hält verdächtig/ als den ärgsten Ketzer/ verbannten/ und verdammten Menschen/ der noch ärger seye/ denn der Pabst/ und der Teuffel selber: er ist des HErren Christi Feind. Tischbrocken vom Gesetz/ und Evangelio Eißlebischen Drucks *fol. 168. a. b.* Franckfurtischen *fol. 119. a. b.* Dreßdischen *fol. 230. a. b. 231. a.* In der verschmideten Auslegung der Epistel an die Galat. 4. Cap. *Tom. 4. Jen. lat. fol. 98. b. Tom. 1. Witt. germ. fol. 215. Tom. 6. Alt. fol. 755. b.*

it, & *Lutheri* vocatio ad reformationis, de tota Ecclesia suscipiendæ, divinum munus, quibus miraculis probata fuit? referant Acatholici, si possunt; sed sine fœtore.



CAPUT IV.

De ætate, seu Epocha Quarta. Status Judicum.

A clade Ægypti per Moysen usque ad Consecrationem Saulis: Intervallo annorum 418.

INSTRUCTIO I.

MElander. Quæ divisio hujus Epochæ? *Divisio hujus Epochæ*
Leucotheus. In geminam instructionem: Prima dabit illa, quæ contigêre sub *Moyse, ante ingressum* in terram *Chanaan.* *In acta ante ingressum.* Secunda, quæ contigêre sub Judicibus cæteris *post ingressum.* *Post ingressũ.*

§. I.

De liberatione Populi, atque Exitu de Ægypto.

MEl. Qua ratione *Moyses* primâ functus est legatione ad *Pharaonem*? *§. I. Primæ legationis propositio Quæ?*
Leuc. Rotabat *Ægypti* sceptra tunc *Pharao V.* cognomento *Cenchris*; huic proin per *Moysen* facta est propositio, *Aarone* in- *A. M. 2544.*

 terpre-

I. Cùm Moysem spernit Pharao.

terprete: *DEUS Israël nos ad te mittit, aítque: dimitte Populum, ut eat per viam tridui in solitudinem, mihíque sacrificet, ne fortè gladio consumantur, aut peste.* Propositioni vix bene factæ, malè data statim repulsa, quia superbè sacrilega: *Quis Dominus, ut audiam vocem?* & sacrilegè superba: *nescio Dominum, & Israël non dimittam.*

Successus contrarius.

II. Atque ut otiosa Populi disturbaret phantasmata, illicò dat in mandatis, pressi hactenus, servili jugo jam penitùs opprimerentur: statos labores, ait, etiam negatis paleis, quot diebus, fideliter afferuntor, secùs crudeliter flagellantor: dictum, factum. Fatiscunt sub onere afflicti, ingemiscunt sub loris miseri, dúmque â *Pharaone* non audiuntur, in *Moysen*, veluti calamitatis novæ Authorem, non Liberatorem querelas effundunt. Quare hic ad *Pharaonem* remissus â Numine, jam non ùt homo, sed veluti *Pharaonis DEUS*, manu quàm linguâ facundior, accessit Aulam: nam legationis characterem evidentiùs demonstraturus jubet projici virgam ab *Aarone*, * quæ illicò versa est in horribilem colubrum; sed cùm magica fraude similia monstra producunt Arioli *Iannes*, & *Mambres*, nil motus est *Pharao*, etsi *Aaronis* coluber, imbelles reliquos devorârit.

Plaga Ægypti Quæ?

Mel. Quæ prima plaga *Ægypti?*

A. M. 2544. *II.* Sua Regna cruentis succumbunt plagis.

Leuc. Hactenus innoxia terrentis DEI præcessêre præludia, sed dehinc tam ponderosa incubuit *Ægypto* Nemesis, ut in Rege Regnum, in Regno Regem etiam prodigiosè attriverit, & tot annorum tyrannidem vindicârit. Decem fuêre plagæ, quas Juventutis

* Quomodo vera miracula discernenda â falsis? *Peripatet: nostri temporis. P. 2. Disc. 3.*

tis Gymnaſticæ commodo ſequentes verſus enumerant.

Prima [1] *rubens unda*, [2] *ranarum* plaga ſecunda,
Inde [3] *culex* triſtis, pòſt [4] *muſca* nocentior iſtis,
Quinta [5] *pecus* ſtravit, [6] *veſicas* ſexta creavit,
Túmque ſubit [7] *grando*, mox [8] *bruchus* demte nefando,
Nona [9] *tegit* ſolem, [10] *primam* necat ultima *prolem*.

Ubi illud tot inter prodigia ſummum prodigium, quòd ſolos *Æpyptios*, non autem *Iſraëlitas*, in medio nationis pravæ habitantes, hæ plagæ afflixerint, ut ſcias non minùs in protegendis probis, quàm in premendis improbis dexteram Numinis omnipotentem.

II. Igitur inambulanti ad *Nili* ripam *Pharaoni* occurrunt *Moyſes* & *Aaron*, DEI imperia repetunt, cùmque renueret, virgâ vindice percutiunt flumen: & ecce! fluvius, tot olim infantium reus, illicò ſe ſe vertit in ſanguinem: cruenta tabes ſenſim in omnes rivos, paludes, puteos, imò & vaſa ſe ſe effudit: contabuêre mox crocodili, & piſces, unde exhalata tam peſtifera mephytis, ut totam ſeptimanam durârit intolerabilis lues, *Ægyptiis* fruſtrà fodientibus puteos, utpote è quibus ipſi nil niſi cruorem, ſoli *Iſraëlitæ* aquam liquidam hausêre. Sed quia experimentum ſimile initiò dederant quoque Magi *Ægyptii*, ad majora mala induruit * cor *Pharaonis*, quæ illicò incubuêre ** Prima rubens unda.

* Quomodo induratum cor Pharaonis? *contra Calvinum. vide Corn. à lapid. Coll. Hiſt.*

** Quæri poteſt primò, unde Magi habuerint aquam,

A. M. 2544.
Secunda plaga Quæ?

Mel. Quænam illa mala?

Leuc. Nova plagarum genera. Nam repetita eſt â DEO legatio, repetita â *Pharaone* repulſa; hinc repetita â *Moyſe* & repulſæ vindicta. Jubetur *Aaron* extendere virgam omnipotentem: & ecce! infinita ranarum copia ex undis undique proſilire, coaxatione, lue, ſordibus omnia inquinare, ne quidem cubilibus, menſis, ſtratisque ab hac peſte immunibus. Pejùs auxerat malum æmula Ariolorum poteſtas, quibus permiſſum eſt augere illuviem, minuere non conceſſum. Hinc *Pharao* jam aliquantulùm mollior, preces *Moyſis* efflagitârat in diem craſtinum, quibus equidem abſtulit malum pœnæ, non culpæ. Nam ob ranarum tumulos, cumulóſque immenſos putreſcente etiam *Ægypto*, ad cordis duritiem rediit *Pharao*, novámque plagam Patriæ accerſivit.

Ranarum plaga ſecunda.

II. Iterum aſſenſu fruſtrà ſollicitato, prodigioſa virga è pulvere juſſa producere infinitam ſciniphum aciem, quæ nubis inſtar volatilis & cooperuit *Ægyptum*, & aculeatis ſtimulis jumenta, & homines ad ipſam uſque

Tertia plaga Quæ?
Inde culex triſtis.

aquam, quam in cruorem converterent, cùm omnis aqua *Exodi 7. v. 19.* jam â *Moyſe* conversa fuerit in ſanguinem? Reſpondet *Toſtatus*, aquam è vicinis Regionibus, Dæmonum operâ, fuiſſe allatam. *2. Theodoretus* mare aſſignat, cujus undæ in ſanguinem non converſæ *Genebrardo* authore. *3.* Divus *Auguſtinus* exiſtimat, aquam è terra *Geſſen* aſportatam, *4. Cornelio à lapide* viſum eſt, aquam â *Moyſe* ultrò Magis eſſe oblatam. *Quæri poteſt ſecundò.* an hæc aqua vetè fuerit converſa in ſanguinem? *Cornelio* â lapide & *Menochio* hæc metamorphoſis non n[illegible] nera illuſio, Dæmonúmque præſtigiæ viſæ ſunt. *Vide Cornel. in hunc locum. Men. Cent. 10. c. 14.*

TABULA GEOGRAPHICA TRIBUS RUBEN, GAD, ISACHAR, EPHRAIM ET DIMIDIÆ MANASSIS CIS IORDANEM.





que rabiem exagitârat: prodigium æmulatura denuò fœderata orco Magia, vires derepentè sensit exhaustas, fateri coacta: *digitus DEI est hic.*

Mel. An nihil motus his *Pharao?* *A.M. 2544.*

Leuc. Obduxerat callum: hinc minùs sensit aculeos imbecilles. Necesse fuit, ut in suppetias venirent omnis generis muscæ, muscarum omnium species, quæ innumerabili copiâ, pedore intolerabili, & venenata proboscide hos vexabant in mensis, illos torquebant in lectis, & animantes & homines, ubique & undique infestabant, ac propemodùm agebant in furias. Ipse *Pharao*, furiis omnibus furiosus magis, furiatæ pesti jam impar, *Moysi* indulserat sacrificium, sed in *Ægypto:* cùmque ulteriùs pungerent muscæ, muscas excussit, & Regni viciniam indulsit. Sed cùm ad *Moysis* preces evanescerent muscæ, evanuêre simul promissa, induítque *Pharao* antiquam cautem.

Quarta plaga Quæ? Post musca nocentior istis.

II. Hinc pecorum secuta est strages, pestifera lue caulas, sed non nisi *Ægyptiacas*, devastante. Mox â *Moyse* sparsi in Cœlum cineres produxêre ulcera in *Ægyptiis* pessima, quibus turgebant corpora, buffonum instar, ut suum virus ipsi venefici ampliùs non ferrent.

Quinta quæ? Quinta pecus stravit.
Sexta? Vesicas sexta creavit.

Mel. Quid ad hæc *Pharao?* *A.M. 2544.*

Leuc. Necdum sapuit, etsi toties ictus. Unde *Moyses* extensâ denuò virgâ, in auxilium evocavit fulgura, tonitrua, fulmina, tam horribili fragore, ac grandine detonantia in *Ægyptum*, ut jumenta & homines per agrorum avia palantes, gravidas arbores, albámq; messem, nunquam viso hactenus furore, contriverint, & devastârint, solis *Hebræis* arridente

Quænam septima? Túmq; subit grando.

te interim hæc inter nubila *Cynthio.* Et tamen quis credat? hoc Cœli tumultu non nisi paululùm excitatus est *Pharao*, ut jam dimittere cogitaret *Hebræos*, sed tantùm viros, reliquis instar obsidum reservatis.

Quænam Octava? Mox bruchus dente nefando.

II. Hinc aggravato *Pharaonis* corde, aggravata est denuò manus Domini misitque locustam, urente vento veluti turbine levatam, quæ innumerabili multitudine, viventis instar pruinæ, opplebat superficiem terræ, radicitùs devorans spem omnem, â grandine reliquam, ut adeò nec virens herbula remanserit *Ægypto* super.

Quænam nona? Nona tegit Solem.

III. Sed vehemente *Zephyro* ejectis in mare rubrum locustis, cùm priùs mollior *Pharao*, in Caucasum obrigesceret denuò, denuò virgam extendit *Moyses* in Cœlum, & induxit tenebras, tam mirabiles, ut in spissa caligine, per triduum immoti starent *Ægyptii*, * *Israëlitæ* verò in pleno meridie ambularent. Dedêre lucidum intervallum *Pharaoni* cæco hæ tenebræ, abeundi copiam fecit: sed mox limitavit ad pecora; denique penitùs revocavit: adeò fluctuantem animo, instantibus flagris pervicaciæ pœnituit, recedentibus denuò, ipsius pœnitentiæ puduit, ac pœnituit, tan-

* Quomodo hæ tenebræ â *S.*Scriptura dicantur palpabiles? sunt qui putant dici palpabiles metaphoricè, quasi cuncta palpanda fuerint, & solo tactu exploranda. *Bonfrerius* sentit, *per auxesin* eas dici *palpabiles*, hoc est, *densissimas*: sed *Pererius*, *Abulensis* & alij existimant in sensu proprio dici *palpabiles*, eò quod caliginosi vapores, instar densissimæ nebulæ, propriè palpari potuerint. *plura vide apud Menoch. Cent. 9. C. 82.*

tanquam ludus aliquis foret iratum variè ſentire DEUM.*

Mel. Quid in plaga ultima memorabile? *A. M. 2544.*

Leuc. Inſtitutio *Paſchæ*, quam *Domini tranſitum* interpretantur. Res ita habet. Primo antequàm ex *Ægypto* Populum ſuum DEUS educeret in manu forti, voluit die decimo Menſis, tunc labentis (quem *Hebræi Niſan*, nos partim *Martium*, partim *Aprilem* dicimus) parari â ſingulis *Hebræorum* familiis hædulum, vel agnum, unius anni, immaculatum, quem decimo quarto die occiderent, & occiſi ſanguine ſignarent poſtes (formâ crucis, ſi D. *Hieronymo* fides (a)) quæ eſſet Angelo ſignum tranſitûs, ne, ſicut in *Ægyptiis* Laribus, ita in *Iſraëliticis* primogenitum omne Divinæ Nemeſi immolaret.

Inſtitutio Paſchæ Qualis? *III.* Sequitur, poſt gaudia Paſchæ.

II. Porrò agnum pro cæna aſſatum, & quidem ex toto, ſine oſſium læſione juſſi erant comedere feſtinanter, accincti lumbos, induti calceis, & viatoriis baculis inſtructi, ut intelligerent cibum peregrinis pro viatico præparatum.

Ritus Quis?

III. Paſchali ſolennitate finitâ, ſub noctis medium pertranſiens *Ægypti* limina ultor Angelus, primogenitum omne pecuſſit peſte. (b) Unde *Ægyptus* tota primò natos, primò denatos ſub auroram ingemuit horrenda inter lamenta: obſtupuit extinctum ſubitò primogenitum omne, tam in hominibus, quàm jumentis, nullo diſcrimine, æquè in *Pharaonis* Aula, quàm caula; tam in Magnatum palatiis, quàm captivorum ergaſtulis. Imò (teſte Divo *Hieronymo*) deſtructa ſunt pariter *Ægypti* fana, in fanis vana Deorum Numina,

Plaga ultima Quæ? Primam necat ultima Prolem.

(a) *In Isa. 66.* (b) *Salianus.*

* An Pharaò Tyrannus? *Hornius in not. f. 177.*

na, ne poſt caſtigata ſeverè adeò ſcelera, indemnis perſiſteret ſcelerum infelix cauſa.

A. M. 2544.
Exitus ex Ægypto qualis?

Mel. Qualis ex *Ægypto* tandem fuerat exitus?

IV.
Exodus.
Quibus ſpoliis?

Leuc. *Pharaonem* hactenus urgebat *Moyſes*, ut tandem dimitteret; jam *Pharao* urgebat *Moyſen*, ut dimiſſus citò abiret. Urgebant *Ægyptii* omnes, ultrò commodantes, quæ DEI juſſu *Iſraëlitæ* petebant, vaſa argentea, aurea, omnémque *Ægypti* theſaurum, ſi modò redimerent vexam, nec ſacrificaturis ipſimet in ſacrificia cedere cogerentur.

Quando? & quomodo?

II. Sic ergo *Ægypti* ſpoliis ditati, anno â promiſſione *Abramo* facta ſupra quadringenteſimum trigeſimo, â ſervitutis jugo nonageſimo tertio egreſſi ſunt inimicis è finibus *Rameſſes*, numero ſexies ferè centena virorum millia, in cenſum non venientibus fœminis, cæteráque turba, prorſus innumerabili, quam tenera, vel provectior ætas armis imparem fecerat: & egreſſi quidem ſani omnes, & alacres, cum armentis, & gregibus, in manu Numinis excelsa, *Ægypto* partim gaudente, partim ringente, & primogenitos deplorante.

Columnæ nubis & ignis officium, proprietates Quæ?

III. Egreſſis mox obtulit ſe ſe Numen, & ubi *Moyſen* pleniùs inſtruxit de celebrando in ævum Paſchate, ſibique conſervando impoſterùm Primogenito, tanquam grati animi pignore, *aëream columnam* ſuſpendit in aëre, quæ de die *duceret*, de nocte exercitum *illuminaret*. Hæc Tabernaculo poſtmodùm inſiſtens, cùm ſe moveret ad primam aciem, ſignum viæ; cùm ſe retraheret denuò, caſtra metationis; cùm fixa ſtaret, quietis indicium dederat. Addita nubes alia plerumque comes, quæ â ſolis æſtu itinerantes protegeret.

Alia nubes Num. 14. 14.

tegeret. Sic prima die perventum in *Socoth*, tertia in *Etham*, ut hujus prodigii mireris prodigium; quòd *æthereo Duce*, non nisi post quadraginta annos, & per stationes quadraginta duas Gens errabunda attigerit terminum: adeò peccata favores DEI vel retardant, vel minuunt, vel tollunt penitùs. *Statio secunda, tertia ubi?*

Mel. Quid in statione quarta memorabile contigit? *A. M. 2544. In statione quarta memorabile Quid?*

Leuc. Ad oras rubri maris castra locaverat *Moyses:* cùm ecce! volante Famâ excitus *Pharao*, *Hebræos*, excusso jugo, non sacrificia quærere, sed libertatem, illicò ingenti exercitu, quem conglobare celeritas poterat, fugitivos persequitur, brevíque assequitur in *Phiba Hiroth* sexto die post Populi discessum, jam ad occasum vergente *Phœbo*. Ad conspectum improvisi hostis *Israëlitæ* mox animis cadere, cúmque â tergo *Pharaonis* exercitu, â fronte Oceano, ad latera montium jugis, *Magdalam* inter & *Beel Sephon*, inclusos se cernerent, mortis victimas se lamentari: hinc primum illud pusillanime murmur: *forsitan non erant sepulchra in Ægypto?* quo *Moysen* non tam Ductorem, quàm seductorem palàm criminabantur: adeò nec probi immunes â probris! Sed solatus ille imbellem Populum adjutorio Numinis, in columna aërea præsentis, quæ, præter morem, inter utrumque exercitum sic collocârat se mediam, ut hostes minaci caligine excæcaret, *Hebræis* miro fulgore viam ostenderet. *V. Ægyptúsque rubro tumulata profundo.* *Primum Populi murmur.* *Auxilium columnæ nubis.*

II. Mox *Moyses*, DEI imperio, super Oceanum extendit virgam mirabilem, & vidisses continuò undas mirabiliter dividi, murorum in formam utrinque suspendi, ac flante *Austro* siccum *Israëlitis* transitum aperiri. *Divisæ Aquæ.*

Viam nullis unquam pedibus tritam ingreditur *Moyses*, sequuntur ordine reliqui: jámque sub horam à noctis medio tertiam evasêre sensim in littus *Israëlitæ*, cùm pleno agmine sequuntur *Ægyptii*, eadem viâ, sed non eadem fortunâ. Mox enim columna nubis, minaci fulgore ultricem monstrare Nemesin, emittere fulgura, exonerare tonitrua, intorquere fulmina, igneisque telis, atque lapidibus tam horrificos furere furores, ut turbatis ordinibus, confractis curribus sentirent Superos pro *Hebræis* pugnantes, ac sub diluculum de fuga jam circumspicerent. Sed jubente DEO, cùm *Moyses* percuteret denuò virgâ sua Oceanum, undæ subitò coaluêre, fluctibúsque hausêre omnes, adeò, ut tantæ cladis ne quidem cladis nuntius superfuerit. Tandem *Phœbus* oriens *Ægypti*, velut in scena tragica, exhibuit occasum, ducentis curribus falcatis, trecentis peditum, (a) quinquaginta equitum millibus, aliisque plurimis, universè hominum millione integro *Erithræum* Oceanum operiente. Cadavera in littus ejecta dum *Hebræi* exspoliant, interim *Moyses* cum sorore *Maria* solenne DEO eucharisticon intonuêre, hoc relinquentes problema Posteris, majoríne miraculo illi evaserint, an *Ægyptii* interierint.

Ægyptiorum strages.

Immensa.

§. II.

De iis, quæ contigêre in deserto usque ad abitum â monte Sina.

A. M. 2544. Memorabilia in Deserto Quæ?

MEl. Quid in deserto memoratu dignum occurrit?

Leuc.

(a) *Josephus apud Euseb. præp. Evang. l. 9. c. 28.*

Leuc. Neſcio, an prodigiorum magnitudinem, *Moyſis* manſuetudinem, vel populi ingratam proterviam magis miretur Poſteritas. Indiguit nempe Gens iſta cervicis duræ viro mitiſſimo, qualis fuerat *Moyſes:* immò indiguit patientiâ Divinâ, volo dicere, infinitâ. Nam quoties modicam paſſa penuriam, toties erupit in ſacrilega murmura, quaſi verò tot fuiſſet opus prodigiis, ut DEUS in deſerto perimeret Populum hunc imbellem. *Miracula: Popelli ingrati murmura.*

II. A mari rubro per triduum progreſſi, cùm in deſerto aquæ deficerent, *Moyſes* ſubſtitit in *Mara,* ſic veriſſimè dicta, quòd aquas quidem ſufficeret, ſed *amaras*, neque ſiti ſedandæ accommodas. Hinc mox ſecundum Popelli murmur, quod tamen DEUS compeſcuit, oſtenſo ligno, cujus virtute aqua reddita guſtatu ſuavis, ſalſedine omni in miram dulcedinem converſa. * Inde pervenêre in *Elim*, ubi duodecim fontibus, & ſeptnaginta palmis invitati, fixêre ſextò tentoria. *In ſtatione quinta murmur ſecundũ Cur?* *Aqua dulcis reddita Quomodo?*

III. Septimam poſtmodùm ſtationem habuêre in *Setebatha* prope quamdam paludem, interprete D. *Hieronymo*, ubi etiam primum ab exitu menſem compleverant.

Mel.

* Quæri poteſt, an ex natura ligni, an per miraculũ dulces redditæ ſint aquæ? ℞. *Menochius Cent. 4. c. 18.* ex natura ligni exiſtimat, eò quòd *Eccl. 38.* legatur: *nónne â ligno dulcorata eſt aqua amara?* neque obſtat *1.* quòd lignum nimis modicum fuerit pro fluvio integro: nam juxta *Valeſium* de *Sacra Phil. c. 15.* virtus ligni prodigiosè fuit extenſa. Veriùs juxta *Corn. â lap.* aquis è fluvio hauſtis dulcedo per ligni particulas communicata fuit. Neque obſtat: *2.* quòd lignum ab Rabbinis dicatur *amarũ*: nam ſimilis qualitas attrahere ſimilem poterat. *pluræ vide apud Menochium l. c.*

In statione octava, quid? Murmur tertium. Ob defectum annonæ.

Mel. Quid in statione octava contigit?

Leuc. Appulerant in deserto *Sin*, vel potiùs in illa hujus eremi parte, quæ inter *Elim*, & *Sinai*: hìc deficiente annonâ jam tertium murmur, adeò insolens, ut etiam ad ollas *Ægyptias* aspirarent denuò, servitutis terribilis jam protervè obliti *Apellæ*.

Coturnices datæ.

II. Ingrati animi proterviam confudit Divina Bonitas beneficio gemino; nam sub vesperum eam coturnicum copiam immisit in castra, ut tertium in mensem sufficerent. Mox altero mane depluit Cœleste *Manna*, sic dictum à *Man-hu*, quid est hoc? prout attoniti *Israëlitæ* clamaverant, cùm pruinæ in modum per castrorum circuitum, hoc rore tellurem tectam intuerentur: atque in hoc miraculo summum miraculum fuit, miraculi hujus per quadraginta annos quotidiana repetitio, ut meritò DEUS *Gomor* unum in Arca servandum voluerit pro monumento perpetuo, utpote per novum prodigium incorrupto, *Moyses* verò debitum Divino Patrifamilias Evcharisticon decantârit.

VI. Manna datur querulis.

Mannæ proprietates Quæ?

Mel. Quæ *Mannæ* proprietates? quis usus?

Leuc. *1.* Depluebat mane primo diluculo. 2. per castrorum circuitum. *3.* Et quidem maximâ copiâ. *4. Naturâ* erat roris instar, seu pruinæ congelatæ. *5. Formâ* minutum, qualem habent coriandri grana. *6. Colore* album, orizæ instar amoto furfure; non nihil tamen pellucidum veluti cristallus *7.* Nativus illius *sapor*, antequàm coqueretur, erat similis similæ cum melle mistæ: coctiverò gustatus panem conditum oleo referebat. *8. Adventitius sapor* pro dispositione gustantis varia variabat: hinc improbis cessit in nau-

seam,

ſeam, ſiliquas, & furfures mandere ſeſe credentibus: proborum palato deſideratos quosvis dabat ſapores; juráſſent, ſe nunc è præda volatili raras cupedias, nunc è bellariis quasvis delicias deguſtare, adeò *delectamentum omne, omnísque ſaporis ſuavitatem* cibus hic unicus complectebatur.

II. Uſum quod ſpectat. *1.* Colligi debuit ante ortum *Cynthii*, cujus calore, & radiis mox diffluebat. *2.* Collectum vel edebatur absque coctura, vel elixum in cacabis, vel frixum in furnis, placentarum more, parabatur in prandium. *3.* Dimenſum ſingulis præſcriptum *Gomor*, trium librarum capax, ſi *Cornelio* fides; menſura communis puero, viróque; & quod mirum, nec plus colligere poterat manus avarior, nec minus parcior, cùm in inæqualitate reperta ſit ſemper æqualitas, DEO vel demente quod plus, vel addente, quod minus colligebatur. *3.* Prohibitum inſuper, ne quid ſervaretur in craſtinum, niſi vermibus quis plenum vellet, ac putridum; hinc reliquias in animalium uſum ceſſiſſe vult *Bellarminus*. *5.* Juſſi tamen feriâ ſextâ menſuram colligere duplicem, pro Sabbatho ſuffecturam: & quod ſanè mirum, reſiduum illud ſervari poterat immunè â vermibus. Tot prodigia in uno prodigio conveniebant, ut maximum Evchariſtiæ prodigium dignè præfigurarent. *Uſus.*

Mel. Quid in ſtatione undecima memorabile? *A. M. 2544.*

Leuc. Poſt ſtationem octavam tria adhuc ſtativa in deſerto *Sin* fuerant poſita. *Daphneæ*, quæ ordine *nona*; in *Alus*, quæ *decima*; usque dum perventum in *Raphidim*, quæ fuit undecima manſio. Hìc aquæ penuriâ *In ſtatione undecima memorabile Quid? Murmur quartũ Cur?*

nuriâ exortum eſt novum murmur, quod lapidibus confirmâſſent hæ *Gorgones*, niſi *Moyſes* citò aquam dediſſet è pumice. Juſſu DEI Majoribus Populi ſtipatus, virgâ mirabili percuſſit petram *Horeb*, quæ medium ſciſſa, lymphatis dederat lympham, ut vel ſic corda rebellium ſaxea emollirentur: locus â tentatione dictus *Tentatio*.

Miraculum aquæ ex petra.

Miraculum victoriæ contra Amalecitas.

II. Sed & victoria ab hoſtibus reportata ſtationem hanc celebrem fecerat. *Amalecitæ*, *Eſavi* progenies, tunc *Arabiæ Petrææ* Incolæ, ſive odio peregrini hoſpitis, ſive timore damnoſi hoſtis, tranſitum prohibebant, & quidem exercitu tam numeroſo, & valido, ut hunc Populum, ſine prodigiis mox imbellem, meritò perterreſecerint. Nihilominùs, Duce *Joſue*, viribus vires oppoſuit *Moyſes*, ſe ipſo in ſubſidiis locato, ut eſſet cunctis viribus fortior, quia Divinis innixus. Montem conſcendit, dúmque pugnavit *Joſue*, is oravit, novo bellandi genere, etiam hodiè ſat inſueto. Et ecce! quàm diu manus extendit *Moyſes*, tamdiu victores fuêre *Iſraëlitæ*: quamprimùm laſſas dimiſit, mox victi ſunt: unde *Aaron* & *Hur*, *Mariæ* conjux, ſuſtentare victorioſa *Moyſis* brachia ſunt coacti, ut tota die ſuſtentarent fortunam, id quod non minùs feliciter, quàm glorioſè effectum eſt. Nam ab inermibus reportata inſignis victoria, fuſi, fugatíque cum Rege hoſtes, & opima inde relata ſunt ſpolia. Numini exſtructa eſt ara, victoriæ monumentum; *Amalecitarum* verò Poſteritas, DEI juſſu, diris, & cædibus eſt devota.

Cauſæ Quæ?

Modus Quis?

Succeſſus Qualis?

A. M. 2544.

In ſtatione duodecima Quid?

Mel. Quid in duodecima?

Leuc. Hæc celeberrima fuit ob Legem datam.

datam. (*a*) Motis è *Raphidim* castris nube Duce, stativa posita sunt in deserto *Sinai*, è regione famosi montis. Hic *Moyses* frequens internuntius DEUM inter & Populum, *Primò* annuntiavit Numinis favores, Populo vicissim homagium debitum præstante. *Homagium Deo præstitũ.* VII. Datur almæ copia Legis *Quomodo?*

II. DEI nomine jussit, sanctos esse in diem tertium, ad excipiendam sanctiùs legem: quem in finem per montis circuitum constituti sunt termini, quos sine piaculo, morte luendo, nemo transgredi poterat. *Sanctificatio Populi.*

III. Statuto die (*b*) audita sunt fragore magno mugire tonitrua, clangere buccinæ: visa micare fulgura, ardere nubes, mons contremiscere, & fumare, ut colligerent *legem timoris* impunè non violandam, cujus Lator esset Omnipotens, ultor Tonans. *Horrenda præludia.*

IV. Effuso in adventantis occursum Populo, sonora, sed terrifica Numinis voce Decalogus est promulgatus, aliáque mandata per *Moysen*, quem sibi Gens territa rogârat interpretem, denuntiata. *Promulgatio Legis.*

V. Postridie erecto Altari per sacrificia, solenni ritu firmatum fœdus DEUM inter & Populum. *7. die. Firmatum fœdus.*

VI. Subin septuaginta Majoribus ostensa procul est Numinis gloria * *Moyses* verò ad longiorem moram evocatur; unde relictis *Araone* & *Hur* tanquam vicariis, ascendit in culmen, comite aliquantulùm *Josue*, & per quatuor dies multa didicit Cœli arcana, inter quæ præcipuè ritus, sacrificia, leges *Moysis evocatio in montem. 8. die.*

(*a*) *Die ab exit: 48. 4. mensis tertij.* (*b*) *50. post exodum. 6. mensis tertij Sinan. Salianus.*

* Hanc gloriam Interpretum aliqui in radiante nube, alii in hominis, Saphyro insistentis, magnifica specie statuunt.

ges Judiciariæ, constructio Arcæ fœderis, & Tabernaculi meritò numerantur.

Populi Idololatria & adoratio vituli.
VII.
Sacrilegis.
Murmur quintũ quale?
Causa.

Mel. Quid intereà Populus?

Leuc. Agebat alia omnia, quàm quæ debebat, & recenter Tonanti promiserat. Nam ubi *Moyses* pro illorum salute instanter orat; ubi DEUS ipse in scribenda lege veluti laborat, legis oblitus, moræque pertæsus hic Populus, quasi fulmina jam consumpsissent illorum Ducem, seditioso tumultu *Aaronem* aggreditur, mitiora Numina non tam expostulat ab invito, quàm extorquet â timido. Quis crederet? petuntur inaures, Idolum *Apis Ægyptii* conflatur, * in aram erigitur. Paucis: Præconis voce confluit Populus, vitulum aureum adorat, incensis colit, victimis honorat inter insana tripudiantium jubila: *Hi sunt Dij tui Israël, qui te eduxêre de terra Ægypti!*

Modus vituli adorati.

Vindicta sumpta.

II. Intellexit *Moyses* sui Populi scelus; dúmque Numinis furorem vindicem cohibet, eundem magìs placaturus descendit de monte. Et ecce! unà cum socio mox audit bacchantium orgia, scelus videt, indignatur, projectis collisísque legis geminæ tabulis. Mox Zelo Domini excandescens, Idolum destruit, destructum in cineres redigit, sparsúmque in laticem, qui jugi miraculo profluebat ex monte *Horeb*, propinat sacrilegis bibendum. ** Et verò cultores prodidit

* Solum vituli caput fuisse senserunt *S. Hieronymus, S. Ambrosius, & alii.*

** *Quæri potest primò*, quomodo vitulus in pulverem sit redactus? *A*urum redigi posse in pulverem testis est *Emanuel Sa* apud *Menoh.cent. 12. c. 16.* textus *Hebræus* habet: *combussi eum*

didit hauſtum ſcelus (a) quod non innocuis, ſed reis ſolummodò, liquidâ tabe exitium attulit.

III. Demum, objurgatâ *Aaronis* perfidiâ, tribum *Leviticam* evocat, quam animârat Zeloſior ſpiritus, arma capere jubet, & inaure deſtitutum quemvis Divinæ Nemeſi immolare: quod adeò ſtrenuè, nec minùs fortiter præſtitum, ut viginti tria hominum millia * vindex ferrum abſumpſerit. Zelus iſte â Duce laudatus, præmii loco Sacerdotium vel collatum, vel potiùs confirmatum perpetuò retulit. Sic expiatus eſt vitulus, quem excogitavit impietas, procudit timiditas, temulentia coluit, Zelus Divinæ Gloriæ diſſipavit.

Zelus Tribûs Levi.

Mel. Quid egit *Moyſes*, poſtquàm hoc Zelo litatum eſt Divinæ Nemeſi?

Leuc. Relegit viam in montem, DEUM de ſcelere placaturus. Et ſanè oravit in jejunio fortiter, in quadrageſimali mora conſtanter, in Zeloſa charitate ferventer, auſus

Reconciliatio Populi cum Deo facta, Quomodo? Moyſis patrocinio.

eum igne, & contudi eum molâ, unde apparet vitulum in fruſta confractum, moláque comminutum. *Quæri poteſt 2.* Cur pulvis ſit â *Moyſe* ſparſus in aquam? *Cajetanus* putat, id factum eſſe, ne quid ex Idolo maneret ſuper. *S.Hieronymus* cenſet, ut hauſtus, egeſtúſque pulvis pareret Idolorum contemptum: alij alia. *Quæri poteſt 3.* quis fuerit effectus hauſti pulveris? *Rabini* nugantur, reorum barbas induiſſe rubedinem: alij reos debilitatos hoc pulvere volunt, ſicque proditos, ut â Levitis facilè agniti ſint, & occiſi: ſed Scripturâ ſilente incerta omnia.

(a) Lyranus, Abulenſis apud Salianum.

* Tria millia habet textus *Hebræus* & *Græcus*.

dicere DEO (a) *aut dimitte hanc noxam, aut de libro, quem ſcripſiſti, me dele* * Nihilominùs cunctatum eſt Numen, pervicaciâ Gentis laſſatum quodammodò: atque hinc nubem, ſuæ præſentiæ teſtem, ac Providentiæ comitem jamjam ſubtrahere cogitârat.

Pœnitentiâ Populi. II. Ejuſmodi minas *Moyſes* juſſus eſt Populo, de ſceleris venia etiamnum ſollicito, nuntiare, quem proin hic Divinæ Juſtitiæ Zelotes pullis veſtibus lugere culpam, & abducto etiam Tabernaculo extra caſtra, culpæ pœnam ſentire voluit.

Iterato in monte reditu. III. Tum exciſis è petra recentibus tabulis, in montem regreſſus denuò, gloriam Domini tranſeuntis ** è ſpelæo cujuſdam petræ, obiter videre promeruit.

Repetitis precibus. IV. Demum iteratis precibus, infrunitæ Genti Numen conciliavit ex integro, conſumptis penitùs, immiſſa quoque peſte, reorum reliquiis. E monte redux, propitium tandem DEUM Populo nuntiavit, ingenti utique omnium jubilo, ſed & ſtupore, dum *Moyſis* faciem aſpexêre ad inſtar *Cynthii* ſic ruti-

(a) *Exod. c. 32. v. 32.*

* Quæri poteſt, quis ſenſus ſit hujus dicti? *Salianus* ex mente D. *Auguſtini* hyperbolicam hanc eſſe locutionem, & immenſi deſiderij indicem, aſſerit. *Eundem vide in hunc locum.*

** *Saliano* interprete verba illa *Moyſis: oſtende mihi gloriam tuam*, non de Divinæ eſſentiæ viſione, ſed aſpectabili quodam Domini (vel potiùs Angeli nube tecti, & amicti caligine) conſpectu intelligenda. Unde *Toſtato* teſte. *Moyſes* vidit, ex parte ſolummodò, quaſi humanum corpus ex aëre formatum, tanto coruſcans fulgore, quantum humanus oculus ferre non poſſet. Vide *Salianum, Cornelium à lapide in hunc locum.*

rutilantem, ut non nisi velata fronte posthac *Israëlitis*; soli DEO aperto vultu loqui potuerit: tantum nempe parit splendoris protractum cum DEO colloquium!

Mel. Quæ Tabernaculi partes, & forma, cujus ideam *Moyses* tulit de monte? *A. M. 2545. Tabernaculi partes Quæ? Atrium. In eo Altare, lavacrum.*

Leuc. primò. Prostabat atrium, quod centum cubitos longum, quinquaginta latum, quinque verò elevatum, cingebant cortinæ byssinæ, quinquaginta novē columnis æneis, auro exornatis, ac splendidis sustentæ. In hóc atrio vidisses ex una parte *Altare pro holocaustis*, ex altera *lavacrum æneum cum concha* ad lavandas victimas, manúsque Sacerdotum mundandas. Medium atrii occupaverat Tabernaculum, magnifici tentorii specie, cui terna paries erat è tabulis *Setim*, auro liberaliter illusis: gemina paries triginta cubitis in longitudinem protensa, ab occasu connectebatur per tertiam breviorem, nec nisi decem cubitos emensam; ab ortu facies aperta, ingredientibus relinquebatur. Hoc septum, solummodò decem cubitos altum tegebant quatuor vela, quorum interius byssinum, cilicinum alterum, duo exteriora erant pellicea ad arcendas Cœli injurias. *Tabernaculū formâ tentorij.*

II. Porrò Tabernaculum ipsum intermedia diviserat cortina, sic ut pars anterior *Sanctuarium*; posterior *Sancta Sanctorum Hebræis* nominarentur: illa continebat *Candelabrum* aureum, sex brachiis coronatum; *Altare thymiamatis* prò incensis; *mensam*, in qua sic dicti *Propositionis panes* duodecim servabantur. Hæc *Arcam fœderis* complectebatur, quæ etiam *Arca testimonii* dicta est, eò quòd geminam *Testimonii tabulam, librum legis* â *Moyse* scriptum, *Aaronis* florentem *virgam* unà *Sanctuariū. Sancta Sanctorum. Contenta in utrisque.*

cum urna aurea, *Mannæ* plenâ, concluderet.

Arcæ forma Quadrãgula: III. Arcæ formam quod ſpectat, referebat illa ciſtam quadrangulam, duos cubitos cum dimidio longam, ſesqui altam: materiam præbuit lignum nobile *Setim*, cariei expers, auróque undique illuſum. Operculi locò ſerviebat tabula aurea, quam *Cherubini* duo, mutuò ſe ſe reſpicientes, protenſis alis ſic contegebant, ut efformare ſpeciem Throni Sanctitati Numinis viderentur. Hæc tabula *Propitiatorii* nomen promeruit, eò quòd ex illa Majeſtatis Divinæ oracula fundebantur.

Reverentia eidem habita. IV. Huic Arcæ tantus ab *Iſraëlitico* Populo habitus honor eſt, ut illam veluti ſacrarium Tabernaculi, Religionis ſuæ Theſaurum, Gloriam *Iſraël*, fortitudinem Gentis, Divini fœderis ſacrum pignus, terreſtrem Numinis Thronum, totiúsque felicitatis ſuæ compendium, ſummis reverentiæ ſtudiis proſequerentur.

Tabernaculi materia. V. Ad hujus Tabernaculi ſtructuram conquiſita â *Moyſe* materia, aurum, argentum, æs, ligna *Setim*, purpura, crocus, hyacinthus, telæ acu Phrygia pictæ, pellésque variæ, quæ omnia Populus æmulatione tanta *Moyſi* obtruſerat, * ut Præconis voce liberalitas Populi fuerit denique inhibenda.

Artificium ſtructuræ. VI. Artificium ſtructuræ tam erat prodigioſum, ut per annulos, ſeras, nullo negotio diſſolvi, portari, rurſúsque erigi potuerit: quem in finem duo artifices *Beſeliel*, & *Ooliab* ſcientiâ etiã cœlitùs infuſa â DEO inſtructi ſunt.

Mel.

* Auri talenta *29.* hoc eſt *365.* aureorum millia cum *730.* ſiclis oblata pro *Sanctuario*: *160.* talenta argenti cum *1775.* ſiclis pro columnis: æris talenta *72.* millia cum *400.* ſiclis oblata ſunt. *Exod. 38. v. 24.*

Mel. Quid ultrà actum à *Moyse* in statione hac propemodùm annua? *A. M. 2545. Acta à Moyse post erectum Tabernaculũ Quæ?*

Leuc. Partim DEI cultum restauravit Zelotes; partim jus Populo dixit invocatus Judex, partim responsa dedit oraculorum Cœlestium Interpres, quæ vel è nube Tabernaculum ambiente, vel è Propitiatorio clara voce, vel ùt alii, è pectoralis ominoso splendore collegerat (a) *Restauratus cultus Divinus. Jus populo dictum.*

II. Hæc cùm ageret *Moyses*, ad eum invisit prodigiorum famâ excitus *Jethro*, genero adducens conjugem *Sephoram* cum gemino filio; dùmque plura perciperet, quàm credidisset prodigia, DEUM sacrificiis honoravit, & ipse mutuis hospitalitatis officiis epulísque est honoratus. Sed cùm cerneret avocari identidem, & vix non obrui *Moysen* ab affluente Populi undâ, Author illi fuit, ut curas divideret in Judices substitutos, viros cordatos, tam avaritiâ vacuos, quàm justitiæ amore plenos: quod consilium non minùs prudens, quàm opportunum, reservatis sibi non nisi majoris momenti negotiis, *Moyses* illicò est executus, Consiliario subin rursus viam in Patriam relegente. *Occursus Soceri. Ejus consiliũ.*

§. III.

De iis, quæ contigêre usque ad Mortem Moysis.

MEl. Quid in statione decima tertia memorabile?

Leuc. Iteratum ingrati Populi scelus, si tamen esse potest memorabile scelus. Castris tertiis à Monte *Sina* promotis, subiêre fessos itineris tædia; hinc sextum murmur, quasi Dux illa, Nubes Angelica, vel viarum ignara erra- *A. M. 2545. Statio decima tertia. In ea memorabile Quid? Murmur sextum ob itineris tædia.*

(a) *Salianus*, aliíque Interpretes.

erraret, vel ultrò ambages quæreret pro labyrintho. Hinc incensus Domini furor, ut scelus extinqueret, incendit extimam castrorum partem, incendio extincturus sceleratos omnes, nî *Moyses* calidis precibus lacrymisque serpentem flammam velut affusâ frigidâ restinxisset: loco adhæsit nomen *incensio*.

Pœna. Castrorum incensio.

Murmur septimum. Ob Mannæ nauseam.

II. Adhuc fumabant tristis pœnæ reliquiæ, cùm ecce! novo murmure reaccendunt Numinis gliscentes iras. In fletus solvitur Populus: & quid fleat? stupesce: Ollas deflet *Ægyptias*, cucumeres, pepones, ceppas, & allia, nauseátque Manna Cœleste, veluti cibum unicum, & vel ideò contemnendum. Hinc cùm graves nimiùm essent & DEO, & *Moysi*, huic adjuncti sunt septuaginta Seniores, quos *Moysis* spiritu instructos DEUS statuit Judices in oneris levamen. Sed & carnibus coturnicum sic satiata per mensem est Gentis perfidæ gula, ut jugulata per nauseam pars pleráque ampliùs non esuriret: ubi epulum, ibidem plerique invenêre & tumulum, quem ne ignoraret Posteritas, hoc epitaphio signavit sacer Historicus : *sepulchra concupiscentiæ*.

A. M. 2545.

Mel. An his tandem in sepulchris sepulta quoque rebellio Populi?

Statio decima quarta. Murmur Octavum. Jurgia Inter Sephoram & Mariam. Pœna lepræ.

Leuc. Minimè gentium: nam relictis concupiscentiæ tumulis quarto die perventum in *Hazeroth*, ubi ortum est novum murmur, & jurgium minùs mirabile, quia inter fœminas, *Sephoram Moysis* conjugē, & *Mariam* sororem, quæ de Ducis hujus prærogativis, vel de suis potiùs, altercabantur, *Mariâ* similem sibi spiritum muliebriter arrogante. Illud turpe, quod Sororis partibus accesserit *Aaron*, æmulationis spiritu, magis quàm par erat, abreptus.

ptus. Sed silente *Moyse*, *Moysis* injurias vindicavit DEUS; *Maria* ad Tabernaculi tribunal evocata, illicò percussa est leprâ: & postquàm septimum diem extra castra, digno opprobrio, superbiam luit, illo ipso, quem læserat, deprecatore, & sanitati, & suorum consortio est restituta denuò. Sed & *Aaron* sat quoque fuit punitus, quia sat fuit confusus, quòd muliebri rixæ se se immiscuerit Vir tantus.

Mel. Quid in statione decima quinta memoratu dignum? *A. M. 2545. Statio decima quinta memorabile. Quid?*

Leuc. Hæc statio, si ulla alia, luctuosa rebelli Populo propè perniciem attulit. Digressi ab *Hazeroth* per quadridui iter, pervenêre in *Rhetima* solitudinis *Pharan*, sic ut non procul *Cadesbarne* Moabitica urbe tandem sint posita castra, postquàm per sesqui annum in deserto jam vagabundi suâ culpâ erraverant. Hinc subiit animum cupido, terræ sibi promissæ viciniam cognoscendi. Non invitum se præbuit *Moyses*, nec refragatus est consilio DEUS: hinc lecti è tribubus singulis singuli exploratores, qui quadraginta dierum spatio, perlustratâ Provinciâ, ad suos reversi denuò attulêre nova pro suo quisque genio, quæ ùt solet, partem tertiam fuêre mendacia, quartam auxesis.

VIII. Timidos exasperat uva.

Exploratores missi Quot? Cur?

Nova contraria.

II. Ajebant, Terram ultrà quàm credi possit, fœcundam, lacte & melle manantem, Paradyso supparem, id quod immensæ magnitudinis botro,* quem supra vectem duo

 bajuli

* *Quæres*: quantæ magnitudinis fuerit hic botrus? Refert *Menochius Cent. 5. c. 10.* quosdam sensisse, palmitem fuisse, pluribus botris gravidum, sed teste Philone *unicus fuit botrus*, vecte portatus, non tantùm propter magni-

bajuli tulerant, ad oculum demonſtrârunt. Sed addebant mẽdaciſſimi hi gerrones, Regionis munimenta eſſe invicta, bellatorum robora non vincenda, Gigantes de ſtirpe *Enacim*, quibus ipſi non niſi locuſtæ videri poſſint. *Calebus* contrà & *Joſue*, veritatis teſtes, pro merito elevârunt pericula, & terram non ſuperabilem modò, ſed etiam, favente DEO, Incolas panis inſtar, ùt ajebant, abſumendos facilè aſſeverârunt.

Murmur novum ob exploratorum mẽdacia.

III. Metu tamen ſpem ſuperante, & prævalente mendacio, indignatio effuſa eſt primò in murmura, lacrymas; mox in deſperata conſilia, de eligendo alio Duce, quo in *Ægyptum* denuò reducerentur. Tandem aperta ſeditione, cùm jam lapidibus argumenta *Joſuè* pararent retundere, ecce! fulgor terrificus, & vox è nube, ſuper Tabernaculum pendulâ, quæ in rebelles jamjam parabat peſtifera mortis ſpicula, nî *Moyſes* denuò patrocinii ſui ſcutum oppoſuiſſet. Unde inhibita Nemeſis, ſic tamen, ùt decem exploratores morte illicò morerentur; reliqui omnes vigeſimum ætatis annum emenſi exceptis *Calebo*, & *Joſue*, terrâ promiſſionis excluſi, & quadraginta annorum (quot nempe diebus explorata fuerat Terra *Chanaan*) triſti exilio multati, adeóque ſupra ſexcenta, & quatuor hominum millia præmatura morte damnata ſunt.

Seditionis pœna: Mors omnium, qui vigeſimum ætatis annum egreſſi.

Qauadraginta annorũ exilium.

Mel.

magnitudinem, ſed etiam commoditatem. Cæterùm inſolitæ magnitudinis botros non nunquam dari Authores referunt. *Stephanus* Græcus *l. de Urb. Eucarpiæ* unico botro currum integrum impletum ait. *Strabo* in *Margiana* botros ſcribit duorum cubitorum in longitudine: *Serarius* in *Africa* repertos ſcribit magnitudine Pueri. *Vide Menochium l. c.*

Mel. Quid Populus ad iſta? *A. M. 2545.*

Leuc. Errorem emendare cùm voluit, errore rurſus alio cumulavit. Damnatâ quippe priore vecordiâ, novos animos oſtenſuri, inconſulto DEO, & *Moyſis* ingratiis moverunt in *Amalecitas*, & *Amorrhæos*, *alpeſtres Chananitidis* incolas: ſed infeliciter; nam plerique maxima repulſi clade, reliqui, qui ferrum effugerant, ſeris lacrymis temeritatem damnantes, inter inhoſpita *Hormæ* ſaxa quærere ſalutem compulſi ſunt. *Pugna contra Amalecitas infelix, quia injuſſu Numinis.*

Mel. An non hac ipſa in ſtatione decima quinta, famoſa contigit ſeditio *Core, Dathan*, & *Abiron?* *A. M. 2545.* *IX.* Rebelles deglutit Tellus.

Leuc. (*a*) Sunt qui illam referant ad annum ab egreſſu quartum ſtationis decimæ ſextæ in ſolitudine *Pharan*. *Origo*: Invidia in *Moyſen* & *Aaronem* præcipuè: nam hujus mytræ ſplendori inhiaverat *Core*, quia Tribûs *Leviticæ* Primipilus; illius virgæ, atque dominio ſeſe ſubtrahere volebant *Dathan*, & *Abiron*, quia *Rubeniticæ* Tribûs *primogeniti* Principes. *Seditio Core &c. & murmur decimū. Cauſa Invidia.*

II. Seditionis ſacrilegæ architectus fuerat *Core*, adſcitis ſibi ducentis & quinquaginta fumantibus Thuribulariis: illorum partibus adhæsêre ſpectatiſſimi quivis Patricii, quibus tumor altiùs erexit criſtas. *Author Core.*

III. Ad inſperata æquè, ac deſperata conſilia attonitus *Moyſes*, judicio Numinis permiſit litem, cujus ſententiam pars utraque, *Aaron*, & *Core*, cras allatis thuribulis exſpectarent. Jamque aderat *Coretica* factio, thuribulis fumum DEO factura, hominibus fucum: citati quoque *Dathan*, & *Abiron*, ſed quia citati, abnuebant imperia. Et verò è *Judex Deus.*

 ful-

(*a*) *Salianus.*

fulgurante nube DEUS jam jam disperſurus rebelles, inhibitus eſt â *Moyſe*, qui multitudini, malè seductæ, â DEO veniam extorſit.

Pœna Qualis? Rebellium mors.

IV. Hinc poſtquàm â tentoriis nefarii *Core, Dathan*, & *Abiron* diſcedere juſſiſſet omnes, ecce! ſubitò Tellus dehiſcere, & aperto rictu abſorbere ſceleſtam Authorum triadem, cum tota familia, ſi tres *Coretis* filios excipis, Patris ſcelere immunes, quos in aëre pendulos vindictæ, mens bene conſcia, ſubtraxit. Sed & ignis, è Sanctuario proruens ſic conſumpſit ducentos quinquaginta ſeditioſos *Coretis* aſſeclas, ut præter thuribula nil ſuppeteret, niſi mœſtus cinis, cinerique inſcriptum hoc epitaphium: *quid contra DEUM ſuperbis terra, & cinis?* Thuribula in laminas liquata ex altari in anathemata ſuſpenſa ſunt, ut eſſent Poſteris documentum: *Non eſſe conſilium contra Dominum.*

Num. 26. v. 1.

Mel. An ſic quievit Divina Nemeſis?

Murmur undecimum Cur?

Leuc. Ulteriùs progreſſa eſt, quia ulteriùs quoque progreſſa Gentis in murmura jam obſtinatæ perfidia. Heſternus ignis à Cœlo accenſus, ut excitaret odium in omnes Numini rebelles, præter ſpem in illos ipſos ſuccendit amorem, adeò ut Populus iterato murmure contra Moyſen, & *Aaronem* erumperet veluti Authores tam horribilis plagæ, malè tracta in ſuas partes Divina Nemeſi.

Ob pœnam de rebellibus ſumptam.

II. Jámque, ſeditione orta, turmatim plebs furibunda irruere tentaverat in Moyſen, & *Aaronem*, cùm illos in Tabernaculi aſylon profugos, contexit nubes, & flammivomo furore ſæviit in perduelles. Periiſſent miſeri, niſi *Moyſes* (vir in impios ſemper pius) *Aaronem* miſiſſet cum igne ſacro, ut ignem igne extingueret, quod & præſtitit, ſtans vivos inter & mortuos, ſic tamen, ut nihilominùs

Pœna Ignis comburens.

nùs ultra quatuordecim millia ſeptingenti ultrici flammæ in prædam ceſſerint.

III. *Moyſes* poſtmodùm, ut æmulationi viam omnẽ præcluderet, juſſit duodecim afferri virgas ſingularum Tribuum nominibus inſignitas, quibus Aræ impoſitis, cùm ſola *Aaronis* virga tuliſſet flores, & amigdalas, florum fructus, *Aaroni* infulam prodigioſo quoque Numinis calculo adjudicavit: virga Arcæ incluſa eſt in memoriam rei, & ambitioſæ diſcordiæ metum, ac monumentum.

Juſtitiæ teſtis Virga Aaronis florens.

Mel. Quæ fata habuit Populus hic errabundus in manſionibus reliquis?

Quid in ſtationibus reliquis memorabile?

Leuc. Gens ad exilium damnata, annis ſeptem ultra triginta regreſſa potiùs eſt, quàm progreſſa, nulla re memorabili, niſi quòd in manſione decima ſexta inventus ſit Pauperculus, ligni rejectanea colligens die Sabbathi. Delatus infelix iſte ad *Moyſen*, ab hoc ad Numinis tribunal, dura morte, quod obſtupeſcas, nempe ad lapides eſt condemnatus, ſevero utique Divinæ Juſtitiæ exemplo.

In decima ſexta, ligna colligens die Sabbati lapidatus.

II. Statione trigeſima tertia *Moyſes* alterum attigit, quàm quod pridẽ reliquerat, deſertum *Sin*, fixis tentoriis in *Cades*. Hîc *Maria Moyſis* ſoror, ætatis anno centeſimo trigeſimo conceſſit fatis. Ibidem recruduit antiquum murmur, deficiente denuò undâ; quam DEI juſſu (ſtupeſcant hìc homines humanam infirmitatem) quam DEI juſſu dum, repetita percuſſione hæſitans, *Moyſes* elicit, fontem aperuit Populo, ſibi verò, & *Aaroni* æquè incredulo occluſit terram promiſſionis. * Aquæ ob

Mors Mariæ. Murmur duodecimum Cur?

X.

Dat petra incredula lympham lymphatîs.

* *Quæres 1.* Quale fuerit peccatum *Moyſis*? *Cornelius à Lap. in hunc locum, poſt relatas quorumdam ſententias,* ſtatuit, fuiſſe *diffidentiam,*

ob Populum non credentem, & contradicentem contradictionis nomen adhæsit.

A. M. 2583. quadragesimus post exitũ Ægypt. Statio trigesima quarta. Mors Aaronis Quæ?

Mel. Quid statio trigesima quarta, ad montem *Hor*, in terra *Mosera*, memorabile continet?

Leuc. Primò *Aaronis mortem.* Hic enim urgentibus fatis, â *Moyse* ductus in montem, integris viribus, habitu Pontificio indutus, mythram, cum mythra Sacerdotium summum *Eleazaro* filio cedere, latæque nuper mortis sententiæ subscribere jussus est: subscripsit, placidissimè mortuus, anno ætatis centesimo vigesimo tertio, triginta dierum luctu, Populo parentalia celebrante.

Victoria de Rege Arad Qualis?

II. Continet victoriam de Rege *Arad Chananæo.* Hic enim Populum DEI transitu prohibiturus, armis illum lacessere statuit: lacessivit felici Marte, nec sine relatis initiò spoliis, sed postquàm *Moyses* voto facto de exscindenda Superis invisa Gente, Deum in partes traxit, hostem vicit, & fudit, deletísque urbibus, locum nominavit *Horma*, id est, *Anathema.*

Murmur decimũ quartum Cur? Pœna. Igniti serpentes.

III. *Murmur decimum quartum.* Dum moventur castra, ignavos denuò subit itineris tædium; hinc denuò murmur, & quidem sacri-

tiam, qua quidem non dubitavit de Dei potentia, seu fidelitate, sed de Dei promissione absoluta, vel tantùm conditionata, si Populus crederet, & murmurare desineret. Unde videns incredulos dubitavit, an Deus Populo tam rebelli daturus esset aquas? uti innuunt illa verba: *Audite rebelles & increduli, num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?*

Quæres 2. Cur DEUS hunc *Moysis* lapsum permiserit? Respondet idem *Cornelius*, ut in tanto honoris & virtutum fastigio recordaretur se esse hominem, hoc est, labilem & infirmum, non Angelum, non DEUM.

ſacrilegum adeò, ut ipſum Manna, velut *cibum leviſſimum* præ nauſea ſtomacharentur. Sed DEUS ignitis ſerpentum ictibus * mox melius ſapere docuit inſipida hæc viperarum genimina, adeò ut culpam fatentibus, *Moyſes* deprecatus ſit pœnam, erecto in ſignum æneo ſerpente, cujus vel ſolo intuitu, à lethiferis morſibus convaluére.

A. M. 2583.

Mel. Quænam ultima Populi ſtativa, & quid in illis memorabile contigit?

In ſtatione quadrageſima ſecunda memoranda Quæ: Victoris contra Regem Sebon, Og.

Leuc. Caſtra DEI, quocunque inceſſerant, prævolaverat terror, (a) unde in tranſitu, quem malè negaverat, jam profligatus erat *Sehon, Rex Amorrhæus*: jam debellatus erat Rex *Baſan, Og* Gigantéus, cujus lectum ferreum ſex cubitos longitudine, quatuor latitudine emenſum ferunt. Hinc deletis internecione vicinis, mitiora fata nec *Moabitis* promittere viſus victor exercitus.

Contra Balac. XI.

Balac Cypriis malè dimicat armis.

Balaã vates vocatus ad maledicendũ Iſraël.

II. Advertit hoc Regem *Balac*: unde adſcitis in belli fœdera Principibus *Madian* (Provincia hæc erat in *Moabitide*) in ſubſidium quoque vocavit magicas fraudes, & fraudum omnium Architectum, *Balaamum* intelligo, famoſum vatem, ſi non Ariolum, certè impium, quem per legatos, ingenti pecuniæ vi, ex *Meſopotamia* invitârat, non alium in finem, quàm ut imprecationibus magicis obti-

* Quæri poteſt, quales fuerint hi *igniti* ſerpentes? Reponit *Menochius Cent. 9. c. 86.* ignitos fuiſſe non in ſe, ſed in effectu, quales ſunt *Dipſades*, quorum morſus excitant intolerabilem ardorem, ſitim nullis undis reſtinguendam, qua tandem icti exſpirant *Lucano* teſte:

Ecce ſubit virus tacitum, carpîtque medullas
Ignis edax, calidáque incendit viſcera tabe.
Ille vel in Tanaim miſſus, Rhodanúmque, Rodúmque Ardet &c.

(a) *Deut. 2. v. 24.*

ſideratis quinque Regulis M*adianiticis Balaco*, & *Balaamo* tunc in malum ſuum præſente, M*adianitis* omnibus, quos quidem ferrum vindex offenderat, utriusque ſexûs internecione deletis. *Moabitis* parcere juſſus eſt victor, ut *Lothi* merita etiam in Poſteris præmiarentur. Cæterùm devaſtata ſunt quoque Regionis oppida, & infinita præda victoribus eſt diſtributa.

A.M. 2583. *Mel.* Quænam acta M*oyſis* ultima?

Acta Moyſis ultima Quæ? Diviſio terræ Madian.

Leuc. Primò *Amorrhæis*, & M*adianitis* victoriâ triplici devictis, eorum terras, propter opima Paſcua, poſſidendas tradidit tribubus *Ruben*, *Gad*, & dimidiæ M*anaſſis*; ſed ea lege, ut arma cum fratribus transferrent in terram *Chanaan*.

Exercitûs luſtratio.

II. Divino juſſu jam quartò eſt luſtratus exercitus, (*a*) qui tot cladibus erat attritus, ut nemo unus, viginti annos emenſus, excepto *Calebo*, & *Joſue* ab *Ægypti* exitu ſupereſſet. Et tamen (quod mireris) in caſtris ultra ſexcenta millia numerati ſunt ſeptingenti triginta viri bellatores, in cenſum non venientibus viginti Tribûs *Levitarum* millibus, ſic ut exercitus universè ſexcenta viginti quatuor millia longè ſuperaret.

Promulgatio legis ſecunda.

III. Huic Populo, quodammodò novo, ad DEI Imperia legem ſecundam, vel potiùs legem promulgavit M*oyſes* ſecundò, in Monte *Sinai* acceptam, & ibidem primò jam promulgatam.

Leges aliæ latæ.

IV. Multas inſuper alias tulit leges, quas inter præcipuæ de culto Divino, & ſacrificiis, de non ineundo cum Infidelibus fœdere, de tribubus per nuptias non confundendis, ne con-

(*a*) *Salianus in epitome? fol. 253.*

confunderetur quoque terræ partitio, & ipsa *Messiæ* progenies.

V. Mox Ducem Populi elegit *Josue*, & impositis manibus sibi substituit, ipso DEO electionem ratam habente, & confirmante. *Electio Josue.*

VI. Denique Populum per exhortationes crebras in fide firmavit, contra scelera præmunivit, Deóque fidelis ut semper persisteret, commonefecit. *Ultima monita.*

Mel. Quomodo mortuus *Moyses?* *A.M. 2584.*

Leuc. Tandem instantis fati â DEO commonitus, decretam sensit illam sententiam, quam deprecatus erat sæpè, sed frustrà: (a) *nequaquam ultrà loquaris &c.* de qua non semel Populo questus, quòd ejus causâ in fide dubius, terrâ tot laboribus quæsitâ, jam maneret exclusus. *Mors Moysis Qualis? Ejus Querelæ.*

II. * Hinc postquàm fausta omnia imprecatus Populo suo inter lacrymas valedixisset, DEI jussu ascendit in montis *Abarim* jugum alterum *Nebo*, hujúsque jugi supremum verticem *Phasga*. Hîc postquàm illi visa à longè Terra illa, tantorum votorum meta, tótque laborum merces, Divinæ Providentiæ pœnam sic exigenti, suaviter acquiescens, præsente *Josue*, & *Eleazaro* placidissimè obdormivit in Domino, sanus, & vegetus, anno ætatis centesimo vigesimo; homo, quem inter Deos retulisset *Hebræa* Posteritas, nî Angeli ejus in valle proxima tumulum datâ operâ Posteris celâssent. ** *Mors placidissima.*

(a) *Deut.* 3. 26.

* Quæ dotes veri Regentis? *Politici passim.*

** Quæri potest, quæ fuerit *Michaëlis* Archangeli contentio cum dæmone de *Moysis* corpore?

Observationes.

Observationes Politicæ Quæ?

Mel. Quæ observationes Politicæ?

Leuc. Primò exhibetur *Pharao*, velut *Tyranni* immanissimi ectypon, qui tot Regni cladibus non flexus, Rempublicam privato arbitrio, nil attenta publicâ utilitate administravit: unde fluit problema historicum, *an plures Populi propter Regum scelera, an plures Reges propter Populi crimina perierint?*

Pharao Tyranni ectipō.

II. Exhibetur *Moyses*, Regentis Archetypon. Nam in Populi sui cōmoda erat 1. *Unicè intentus: aut dimitte, aut de libro tuo me dele.* 2. *Indefessus:* nam judicabat à mane usque ad vesperum. 3. *Providus*, & consilii *patiens:* nam fecit *omnia, quæ Jethro suggesserat, electis viris* è Populo. Didicit nempe, *magna negotia*, (a) *magnis adjutoribus egere:* & quòd ille, (b) *qui solus vult omnia regere, superbus magis, quàm sapiens dici videatur.* 4. *Mansuetus* in ferendis, & dissimulandis delictis: (c) Sciens, *quòd magnam fortunam magnus deceat animus, qui injurias*

Moyses Veri Regentis.

pore? de qua in ep. *Judæ n. 9.* Reponunt Interpretes, quos citat *Menochius cent. 3. c. 57.* Dæmoni publicam *Moysis* sepulturam volenti obstitisse *Michaëlem, ne sepulchrum ejus Populus Israël, si cognosceret, cultu latrevtico coleret.* Sed opponit *Menochius*, in nullo Patriarcharum tumulo ejusmodi Idololatriæ periculum fuisse unquam, adeóque nec in *Moysis* corpore: unde videtur amplecti sententiam *Augustini Quiros* è Soc. JESU, qui per *Moysis* corpus intelligit *Populum Israël*, cujus ipse Caput fuisset, & Dux. *vide Authorem cit. & alios.*

(a) *Vellius l. 2.* (b) *Liv. l. 44.* (c) *Sen. l. de clem.*

rias superet. 5. *Populi* *Mediator : Jacui coram Domino quadraginta diebus* ; oratione servando Rempublicam. 6. In dubiis, in periculis, Orationis clypeo Populum protegens: eò quòd sciret, (*a*) *sine ope Numinis Rempublicam servari non posse.* Sic *Amalecitas* orando potiùs vicit, quàm dimicando.

III. *Balaami* consilium aperit, quòd in exercitu plùs noceant tela *Cupidinis*, quàm arma *Martis:* nec esse imbeliem magis exercitum, quàm effœminatum, & per scelera â DEO avulsum, aut inconsulto Numine se se hostibus objectantem.

XII. Observationes Christianæ Quæ?

Mel. Quæ observationes Christianæ?

Leuc. Mira Numinis Providentia in *protegenda*, & *propaganda* sua Ecclesia. *Synagogæ* naviculam in *Ægypto* propemodùm naufragam, quot non miraculis defendit, & è periculis eruit, demersis hostibus, qui illam in *Nilo* demersum ibant? Quot non prodigiis duxit, nutrivit, protexit in solitudine? quot legibus, & ceremoniis non instruxit, & exornavit? quæ inter prodigia illud utique primæ classis, quòd non deleverit toties rebelles, sed sic correxerit, ut tamen induceret in terram, Patribus promissam.

D. Providentia Ecclesiam veram protegendo.

II. Admiranda est eadem Numinis Providentia in *adumbranda vera Ecclesia.* In Plagis *Ægyptiis* præfigurata sunt peccatorum flagella, damnatorum supplicia: in *Pharaone* dæmones, in *Moyse Christus*, in virga Crux, in mari rubro perpessio *Christi*, in agno Paschali Redemptio. Sic in ligno, quod aquis dulcedinem dederat, præfiguratum Crucis Mysterium novimus; in *Manna* adum-

Adumbrãdo.

 bra-

(*a*) *Plato 1. de leg.*

bratum scimus Christum Evcharisticum; in serpente cruci affixum; in petra per lanceam confossum. Denique in rebelli Populo velut in Idea depictam cernimus peccatorum miserabilem inconstantiam; in columna nubis mirabilem Numinis Providentiam; in terra promissa Patriam cœlestem.

Virtutum exemplis illustrando.

III. Admiranda est eadem Numinis Providentia in sua Ecclesia, *virtutum exemplis illustranda.* Nam videas in hac historia, ùt DEUS se se exhibeat speculum *longanimitatis, mansuetudinis Moyses, ingratitudinis stupendæ* Populus hic rebellis. Dedit DEUS errantibus columnam Ducem, ambigentibus *Moysen* Judicem, consulentibus seipsum oraculum. Dedit incultis legem & ceremonias; famelicis Manna per quadraginta annorum periodum; sitibundis fontem è petra; æstuantibus nubis umbraculum; vestium integritatem nullis injuriis temporum attritam, virium firmitatem, ac sanitatem corporis integerrimam: & tamen tot inter miracula, semper fuit Gens ista prodigiosè perfida; castigata semper, nunquam emendata, adeò ut per quadraginta annos vagaretur in solitudine, nullo obstaculo, nisi quod posuit dura cervix, quæ Divinæ Providentiæ filum repetito murmure identidem abrupit.

Polemicæ quæ?

Mel. Quæ Observationes Polemicæ?

Leuc. Hybnerus ex Historia *Moysis* hanc doctrinam pro Juventute sua eruderat: *Moyses ducit, sed Josue, seu Jesus inducit Populum in terram promissam, ut colligas, nos non per legem Moysis, sed per Evangelium salvandos.* Si *Lutheri* novum Evangelium putat, fallit, & fallitur, ipso *Luthero* teste: Es ist

Die

die Welt aus diser Lehr (de ſuo Evangelio loquitur) nur je långer/ je årger. (a)

II. *DEUS*, ùt rurſum dogmatizat *Hybnerus*, *patrocinio Moyſis non ſemel placatus eſt, ut ſcias, Paſtorum preces pro bono publico non ſpernendas.* Si Paſtorum preces (qualescunque illæ demum) non ſpernendæ ſunt Acatholicis, cur Sanctorum ſuffragia ſint contemnenda? Nunquid ignorant illi, quæ agimus? quî ergò *gaudent* Cœleſtes hi Incolæ, *ſi agat pœnitentiam peccator?* (b) Nempe in Verbo, veluti lucidiſſimo ſpeculo, facilè vident, quæ ſuam gloriam, Clientúmque neceſſitudines attingunt.

III. *Lutheri* Aſſeclæ ſuos in vota vocant Paſtores, ut *Moyſis* exemplo flagella Numinis avertant, quin tamen illos adorent, DEI locô habeant, Chriſtíque meritis derogent. Orthodoxi meliore jure Cœlitum Patrocinia flagitant, quin tamen latriæ cultum illis exhibeant: non enim DEI, ſed ſui locô Patronos hos collocant; non à Sanctis, ſed per Sanctos â DEO auxilia flagitant, Chriſtúmque bonorum omnium largitorem agnoſcunt, nec ſuam ponunt fiduciam in creaturis, ut tamen malè â ſuis perſuaſa judicat Acatholica Juventus.



(a) Hauß-Poſtill tom. 2. pro prim. Dom. Adv.
(b) *Luc.* 15.

INSTRUCTIO II.

De iis, quæ contigêre sub Josue, cæterisque Judicibus post ingressum in Terram Chanaan.

§. I.

De actis sub Josue.

A. M. 2584. Ordo castrorum Israël Quis?

MEl. Quis ordo castrorum Israël?

Leuc. Nil in exercitu magis necessarium ordine: hunc castris *Israël* præscripsit DEUS. Tabernaculum occupaverat medium, sic ut ternæ Tribus versus quatuor Mundi plagas illud protegerent. *Orientem versus* & â fronte stetêre vexilla *Judæ*; latera stipabant Tribus *Isachar*, & *Zabulon*. *Versus Meridiem Rubenitæ* erant in medio; â latere *Simeonitæ*, & *Gaditæ*. *Septentrionem versus* tentoria fixit Tribus *Dan*; à dextris *Aser*, *Nephtali* â sinistris. *Occidentem versus* tabernaculum claudebat Tribus *Ephraim*, quam mediam cingebant Tribus *Beniamin*, & *Manasse*. Levitæ in medio Tribuum habitarant, sic ut Sanctuario essent proximi. *Moysi*, *Aaroni*, *Josue*, & *Eleazaro* pars orientalis, qua aditus patebat ad Tabernaculum, assignata fuit. Ad meridiem inter castra *Ruben*, & Sanctuarium *Caathitæ*; ad occidentem *Gersonitæ*; ad septentrionem *Meraritæ* locati erant.

Ordo itineris.

II. Porrò itineris Ordo hic servabatur. Dato signo convasârunt primi filii *Judæ*, unà cum Tribu *Isachar*, & *Zabulon*, quos *Ger-*

Gersonitæ, & *Meraritæ* cum Tabernaculo portatili sequebantur. Secundo buccinæ clangore evocata sunt *Castra Ruben*, unà cum *Simeonitis*, & *Gaditis*, quibus juncti erant *Caathitæ*, supellectillis Sacræ curatores. Tertio signo castra movebant *Ephraimitæ* cum sociis; Quarto *Gaditæ* cum reliquis, sic ut Arca cum *Eleazaro* teneret medium, licèt hanc in deserto, unà cum nube castra *Israël* præcessisse Scripturæ Interpretes autument.

Mle. Quibus auspiciis cœptum à *Josue* regimen?

Quibus auspiciis sacra bella cœpta à Josue?

Leuc. Felicissimis, tam *ex parte DEI*, quàm *hominum*. Nam 1. tanta valebat apud Superos gratiâ, ut DEUS terrorem jam ipsis castris præmitteret; commendatâ lege bellatoribus animos adderet; palmas sponderet indubias, & fœderatam huic militiæ jungeret manum omnipotentem.

Favore Numinis.

II. Tanta huic Duci apud suos erat Authoritas, ut mutato per *Moysen Osée* nomine, & diceretur & crederetur *Josue*, hoc est *Salvator â DEO datus:* & quia jam priùs extiterat primus *Moysis* Minister, & exercitûs Ductor, non una lauro insignis, velut Imperatorem summum jam summè colebant, ejúsque nutus velut imperia adorabant.

Et Populi totius.

Mel. Quæ igitur expeditio prima, & quid in illa memorabile?

A. M. 2584. In prima expeditione memorabile Quid?

Leuc. Prima fuit expugnatio *Jerichuntis*, in qua memorabilis *præparatio*, *obsidio*, *direptio*. 1. Luctu triginta dierum ob *Moysis* fata deposito, missi â *Josue* duo exploratores, qui sub vesperum clandestinè urbem ingressi, se in ædes conjecerant, mœnibus vicinas, Hospitæ cujusdam *Rahab* nomine, quàm pro-

Capta Jericho. Præparatio per Exploratores.

bustum unum, cuncta tumulus unus, cui signi locò impositum â victore patibulum, in quo Rex suspensus, malorum omnium author: additum quoque est epitaphium: *Maledictus vir, qui ædificaverit civitatem.* Adeò furit Divina Justitia, cùm impleto scelerum numero, recedit tandem Misericordia.

A. M. 2584.
Obsidio urbis Hay.

Mel. Quid in obsidione urbis *Hay* memoratu dignum?

II.
Vastat Vulcanus Hainã.
Infelix assultus.
Ob furtum Achani.

Leuc. Infelix, simúlque felix eventus. Assultum tentare jussi ter mille bellatores, sed quia sine Numine, hinc sine Fortuna: nam repulsi, & in fugam turpissimam dati sunt, minore clade (cùm non nisi tres supra triginta ceciderint) quàm Gentis dedecore, atque Ducis mœrore. Consuluit ille Arcæ oraculum, & mox audivit piaculum, furtum nempe ex anathemate *Jericho*. Mittuntur sortes, * quibus initiò deprehensa Tribus; tum in Tribu detectus tandem Impostor *Achan*, qui nuper ducentos siclos argenteos unà cum lamina aurea, quinquaginta siclis aureis æstimatâ, pallióque coccineo reservavit, furtúmque sacrilegum, in tentorio defossum, abscondit.

Pœna.

II. Mox â *Josue*, totóque Populo in vallem *Achor*, unà cum suis ductus prævaricator, pronuntiata sententiâ, *quia turbâsti nos, exturbet te Dominus*, lapidibus obrutus, simúlque cum liberis, furto, supellectile, & jumentis in rogum conjectus, pro sacrificio expiatorio Divinæ Nemesi est oblatus: tanti fuit apud DEUM perfidia in tantillo!

Successus felix.
Quo stratagemate?

III. Hac victima placatum Numen rursus cursum dedit vacillanti fortunæ. Nam noctis subsidio, in insidiis locati sunt quinquies mille veli-

* Quando, & quales licitæ sortes? *Pexenf.*

velites, velut á tergo obſeſſæ urbis: intereà *Joſue* â fronte urbem aggreſſus, dum ſimulata derepentè fugâ Præſidiarios elicit extra muros, illi, Ducis clypeo moniti, in urbem patentem, & præſidio vacuam irruunt, ſignique locò incendunt. Tum enimverò *Joſue* ſtratagemati detractâ larvâ, hoſti ſua quoque arma obvertit, in medio comprehenſum fudit, duodecim millium ſtrage; locum flammis vaſtatum, æquavit ſolo, Regemque affixum cruci, dedit ſpectaculum læſi Numinis, reo cuilibet conſiderandum. Præda dives militi eſt diſtributa: tum captis quoque montibûs *Hebale*, & *Garizim*, DEO erecta eſt Ara; ſaxis inciſæ Decalogi leges, Populóque prælectæ ſunt, ut intelligeret, quam gravi ſtylo cordibus ſint inſcribendæ. Ex monte *Hebal* maledictio promulgata èſt in legis prævaricatores, benedictio in obſervatores, & unanimi Tribuum voto fœdus cum DEO eſt initum, utinam! ampliùs tam temerè non reſcindendum!

Mel. Qua fronte ejusmodi nova excepêre finitimi Principes?

A. M. 2584. Gabaonitæ in fœdus aſſumpti quibus figmentis?

Leuc. ùt ſolet variâ, hos animante audaciâ, illos terrore penitùs exanimante. *Gabaonitæ*, ſic dicti ab urbe Regia *Gabaon*, quam tum *Hevæi* tenebant, Gens una de ſeptem *Chananæis*, per figmenta non fictum fœdus extorſerant. Legatos mittunt in *Galgala*, qui diſſimulato nomine Patriæ, quam ferro vindici jam devotam â DEO ſciverant, peregrini Populi nuntios, famâ rerum excitos, ſe afferunt, ut victoris fœdera ſollicitarent. Veritatis fucum ut mendacio facerent, oſtentant diſruptos utres, panem mucore conſumptum, veſtes detritas, calceóſque penitùs per-

pertuſos, veluti totidem evidentia viæ longiſſimæ ſigna, ac teſtimonia. *Joſue* tam alienus â fraude, quàm fraudis ſuſpicione, in deditionem recipit legatos, amicitiam jurat, quam illi ſuis illicò referunt, nec ſine jubilo.

Qua pœna puniti?

II. Sed vix triduum abiît, cùm Duci eſt detecta perfidia. Urbis Proceres citat, quos meritâ multâſſet morte, nî jurisjurandi reverentia obſtitiſſet; ne tamen fraus tota in commodum cederet, ſervitute damnat mendacem progeniem, & cædendis lignis, ac hauriendis aquis pro Tabernaculi uſu addicit. Hinc *Nathinéa* hæc Natio dicta eſt, quaſi in Templi, quod poſteà *Salomon* erexit, famulatum perpetuum deſtinata.

A. M. 2584. Regis Adoniſcdechi fœdus contra Gabaonitas.

Mel. Quo animo tulit *Adoniſedechus*, Rex *Jeroſolymæ* hoc fœdus *Gabaoniticum?*

III. Stat Sol attonitus.

Leuc. Malè habuit Principem arrogantem hæc priùs ſibi fœderatæ Gentis defectio: hinc juncto cum quatuor Regulis fœdere (erant autem *Ohas* Rex *Hebron*; *Pharan* Rex *Jerimoth*; *Japhia* Rex *Lachis*; & *Dabir*, Rex *Eglon*, *Amorrhæa* poſteritas) in deſertores cùm vindex ferrum ſtringere cogitat, eodem ipſemet eſt conſumptus.

Clades qualis?

II. Nam â *Gabaonitis* in auxiliū vocatus eſt *Joſue*, qui profectus â *Galgalis*, intempeſtæ noctis ſubſidio uſus, ſub auroram cum expedito agmine adfuit tam hoſtibus improviſus, quàm

Sole ſtante.

ipſis etiam amicis inexſpectatus. Et verò nullâ interpoſita morâ aggreſſus eſt hoſtes, terrore vago palantes, ac eo quidē furore, ut pars ferro proſtrata, pars horribili ſaxorum grandine contrita ciciderit, ſtante ad Ducis Imperium ipſo

ipſo ſole, & Lunâ, * ut ne fugâ dilapſi mortem effugerent.

III. Reges quinque, quos fugitivos cavernæ incluſerat timor prope *Maceda*, obſtructo lapidibus oſtio capti, & â victore reduce ad ſupplicium ſunt educti. Nam humi ſtratos, ſuperba colla calcantibus Tribunis, egit in furcas, conjicíque cadavera in eandem ſpeluncam juſſit, ut quæ vivis aſylum, mortuis fieret ſepulchrum, advoluto lapide ſepulchrali, cui inſcribas hoc epitaphium: *Timor vivos, menſura ſcelerum hic condidit mortuos.* *Fœderati quinque Reges occiſi.*

Mel. An hac uſus eſt victoriâ *Joſue* ad debellandos cæteros *Chanaitas*? *Victoriæ reliquæ, Quot, & Quales?*

Leuc. Opportunè, & eâ quidem celeritate, ut fulminis in morem devicerit viciniæ Tetrarchas, eorum ſedes *Macedam*, *Lebnam*, *Lachin*, *Eglon*, *Hebron*, *Rabiram*, ferro & flamma vindice devaſtârit. Neque ſtetit hic victo-

* *Quæres 1.* Quot horas durârit hic dies? ℞. viginti quatuor juxta illud *Joſue 10. v. 13. ſtetit ſol, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei. Quæres 2.* an hic dies omnium longiſſimus fuerit? affirmat *Menochius Cent. 1. C. 56.* juxta illud *Joſue 10. v. 14. non fuit anteà, nec poſteà tam longa dies.* Unde apud *Ezechiam* ſol decem lineas, ſeu horas progreſſus, non ampliùs *10.* horis regreſſus, & rurſus totidem eſt progreſſus, ùt quidam putant: ſed ſtante ſole, vel umbra tantùm regreſſa eſt, vel ſol regreſſus eſt in momento, vel illæ lineæ non horas integras, ſed tantùm medias, aut quadrantes indicârant. Quod *Carolo M.* pugnante ſol ſteterit per tres dies, *Turpini* fabula eſt, *Baronij* ſpongiâ merito caſtigata. *Vide Menochium l. c. Serarium in Joſue 10. q. 25.*

A. M. 2585. victoriæ cursus. Ipsum *Jabin*, Regem *Azor* potentissimum, unà cum fœderatis, ad lacum *Meron*, profligavit acie, atque exustis falcatis curribus, incisisque equorum varicibus, hostilem exercitum internecione penitùs delevit. Post tantam cladem, triennii intervallô, nullo negotio subjugatæ sunt Regiones finitimæ, terrore oppida exarmante, subjugante victrici ferro, devastante flammâ. Verbo, sexennii spatio, devictis uno & triginta Regulis, tantum terræ in potestatem redegerat *Josue*, ut eam inter victores dividere sit coactus.

Devicti 31. Reguli sexennij spatio.

A. M. 2589. *Mel.* Quæ hæc Divisio?

Terræ divisio prima.

Leuc. Partitâ inter victores hostili prædâ in *Galgalis*, castra unà cum Tabernaculo sunt translata in *Silo*, urbem Regionis *Sichem*. Hic cœpta terræ partitio, ut ut non penitùs subactæ, sed Numinis favore primùm subigendæ. *Calebo* cessit peculiari jure Mons *Hebron*, cum vicinia Gigantum *Enacim*, Giganteo robore debellanda. Tractus finitimus Tribui *Judæ* est assignatus; Tractus alii aliis, uti inæquali sorte, ita non contentis æqualiter animis. Nam Tribus *Ephraim* cum dimidia *Manasse* non satis cultam pro suo genio portionem apertè questa est: reliquæ cunctando, sedes utique non satis gratas, tacitè contestabantur.

Secunda.

II. Hinc selecti triginta Geometræ, qui Regiones lustrando, ut ut non sine pericu-
A.M. 2590. lis, terram exactiùs partirentur. His reversis, *perfecta* tandem per sortes est distributio, ut intelligerent, à DEO ipso (in cujus manu sunt sortes) hac ratione divisam esse *Abrahami* hæreditatem.

III. Partitionem si petas, eandem infrà exhibet Geographia. Urbs unica *Thamnat*, à contri-

contribulibus *Ephraimitis* Victori *Josue* non tam data est, quàm obtrusa in heroicæ virtutis pignus. Urbes refugii statutæ sunt quatuor: quadraginta octo aliæ, Levitis ad DEI servitium assignatæ. Tribus *Ruben*, & *Gad*, cum dimidia *Manasse* trans *Jordanem* sunt remissæ ad suos, quæ dum in *Jordanis* ripa altare, monumentum fœderis, erigerent, schismatis cujusdam suspicionem præbuêre Tribubus reliquis, quæ tamen declaratione pacificâ, Sacerdoti *Phinees* Legato factâ, protinùs discussa evanuit.

Mel. Qualis Mors *Josue*, & *Eleazaris*? *Quæ ultima fata Josue? A. M. 2599.*

Leuc. Sedes suas sub lauro pacis jam excolentibus *Hebræis*, convocata sunt à *Josue* Comitia in *Silo*, ubi & ab ipso, & ab Angelo Gentis tutelari, exprobata ingratis est nova perfidia, eò quòd fœdera iniissent cum hostibus, mallentque cum perversionis suæ periculo, expletam per tributa avaritiam, quàm impletam exterminatore gladio Numinis voluntatem. Flevit Populus malè inita fœdera, sed flevit inanibus lacrymis, nam inita non dissolvit.

II. Tandem *Josue*, propinqua sibi fata sentiens, ultimò Populum ad servandam Numini fidem est adhortatus: mox renovato cum Superis fœdere, concessit fatis, anno regiminis decimo septimo, ætatis centesimo decimo, Heros, cui parem antehac nulla viderat ætas.

III. Hunc paulò pòst ad Patres secutus *Eleazar*, centenario major, ut planè dubites, plúsne Sors tot victoriis dederit, quàm utriusque Ducis fato, hoc anno unico, eripuerit. *Mors Eleazari.*

§. II.

§. II.

De actis sub primis sex Judicibus.

Regimen Israël Post fata Josue Quale? Aristocraticum.

MEl. Qui fuit post fata *Josue* rerum status in *Israël?*

Leuc. * *Aristocraticum* videri poterat regimen: nam Seniorum usa consiliis quævis Tribus, quas inter primaria â DEO denominata est *Juda*, cujus Principem fuisse *Calebum* autumant. Illud certum, *Eleazaro* filium *Phinees* in Sacerdotio successisse. Et verò quamdiu Seniores gubernacula rexerant, oculati tot favorum Cœlestium testes, & ipsi perstitêre DEO fideles, & in fidelitáte felices, variísque clari victoriis.

Status primò felix ob fidelitatem.

Denique infelix ob perfidiam.

II. Et hoc *felici statu* fluxêre anni septendecim, quos insecutus est *status infelix*, cùm fœderis Domini obliti, tributarios maluêre hostes, quàm cæsos. Ex his quippe amicis suscitavit DEUS mox inimicos, qui neutiquam victis pepercerant, quibus contra DEI mandatum pepercêre priùs victores. Hinc varia servitute oppressi, per varios liberati sunt Judices, quos numero quindecim (si adnumeretur *Abimelech*) partim elegerunt ipsi, partim â provido submissos Numine receperunt.

Judices Quales viri? Pij.

Mel. Quales viri fuêre Judices?

Leuc. Fuêre viri (Excepto *Abimelecho*) Pietate, Zelo, fide in DEUM, ac reliquis virtutibus eminentes, quos suscitavit partim DEUS

* An Aristocraticum fuerit Judicum regimen? quale discrimen fuerit inter Reges, & Judices? *vide Menochium Cent. 2. c. 34.*

DEUS, partim Populus elegit, ut essent Redemptores *Israël.*

II. Dicti sunt Judices, eò quòd jus dicerent Populo DEI nomine: nec Regis titulum, nec alia Potestatis Monarchicæ usurpabant insignia, ipso Numine per hos Judices electum Populum regente: hinc illa verba ad Samuelem: *non te abjecerunt, sed me.* ***Dicti Judices ob jus Populo dictum.***

III. Illorum authoritas referebat fasces quodammodò Consulares, utpote quos nec sceptrum, nec diadema, nec unctio altiùs elevârat. Hinc illis vetitum ferre leges, imponere tributa, succedere jure hæreditario, cùm ex diversis Tribubus seligerentur. ***Eorum Authoritas Consularis.***

IV. A DEO suscitatus est *Othoniel*, *Ahod*, *Sangar*, *Debora*, *Gedeon*, *Samson*: reliquos à Populo electos ferunt, nempe *Tholam*, *Jair*, *Jephte*, *Abesan*, *Achialon*, *Heli*, & *Samuel.* ***Suscitati partim à Deo, partim electi à Populo.***

V. *Serario* teste, sicuti omnes fuêre sancti, ita omnes fuêre salvati, utpote quorum operâ DEUS Populum fecerat sanctum, destructóque cultu Idololatrico salvum. ***Salvati omnes juxta Serarium.***

Mel. Quidnam in statu felici *Hebrææ* Gentis est memorabile? ***A. M. 2601. In statu felici memorabile Quid?***

Leuc. Victoria multiplex. Prima contra *Adonibezec* Tyrannum famosissimum, qui iniquis armis jam septuaginta Satrapas lacessiverat, lacessitos vicerat, victósque truncatis pedibus, manibúsque, sub mensam detruserat cruentus Epulo, canum instar projectis ossibus saturandos. Hunc Tribus *Juda*, & *Simeon*, *Calebo* Duce, prope Regiam *Bezec* aggressæ, profligârunt decem millium clade, captáque urbe captum Tyrannum, inspectante exercitu, Talionis pœnâ deartuârunt, dolore animam exturbante, hæc inter ***Victoria ab Adonibezec Tyranno reportata.***

ter repetita lamenta: *ſicut feci, ita reddidit mihi DEUS!*

A.M. 2602. Jeroſolyma capta. II. Mox obſidione capta eſt inferior *Jeroſolyma*, & *Vulcano* vindici tradita: eadem fata experta *Hebron*, tribus filiis *Enac*, Giganteæ ſtirpis, *Seſa*, *Achiman*, & *Tholmai*, victrici ferro debellatis *Calebo* Duce: ſubacta inſuper eſt *Dabira* rebellis, *Othoniele* victore, cui in præmium ceſſit *Axa Calebi* filia, cum larga dote terræ ſiccæ, atque irriguæ.

A.M. 2603.

A.M. 2604. Aliæ Urbes.

A.M. 2605. III. Denique â Tribu *Simeon* devicti ſunt quoque *Philiſtei*, captæ urbes *Gaza*, *Aſcalon*, *Accaron*; à Tribu *Ephraim* vaſtata fuerat *Bethel*, nováque *Luza* â victoribus erecta. Verbo: tam diu ab *Hebræis* ſtetit victoria, quàm diu ſtetêre *Hebræi* â victoriæ datore DEO.

A.M. 2622. Infelicis ſtatûs quænam præludia? *Mel.* Quæ infelicem ſtatum præceſſêre Præludia?

Bellum inteſtinum contra cives Lais. Origo. Idolũ Michæ. *Leuc.* Inteſtina bella, quorum primum *Idololatria*, alterum ſuſcitârat *luxuria*, utraque bellorum fœcunda Parens. In urbe *Lais Ephraimita* quidam, nomine *Michas*, idololatricæ matris ſceleſtus filius, hæreditario argento conflavit ſibi Idolum, quod malè coluit, pejùs aliis quoque colendum propoſuit, ſacriſque nefandis, *Jonathæ* cujusdam Sacrificuli operâ, urbem peſſimè corrupit. Res advertit Tribum *Daniticam*; hinc ſexcenti, ſcelus ulturi, irruunt ex improviſo, Idolum cum Sacrificulo rapiunt, cives jugulant, mœnia devaſtant, urbem aliam erigunt nomine

Eventus: excidium urbis. *Dan*, novam illam quidem, ſed quæ antiquum ſcelus Idoli *Michæi* ultra ſex ſæcula propagavit: adeò difficilè eradicatur ſemel malè radicatum ſcelus!

A.M. 2622. Bellũ ſecundũ Inteſtinum Quale? *Mel.* Quod alterum Bellum?

Leuc.

Leut. Si ullum aliud cruentum: *Origo: Levites* quidam, *Sichimis* oriundus, cum conjugem sibi priùs haud satis fidam, fidus ipse è patriæ domûs asylo reduceret, *Bethlemo* digressus, occidente *Phœbo*, divertit in *Gabaa.* Hîc â Sene alienigena hospitio tandem exceptus, ut libidini filiorum *Belial* se se ipsum subtraheret, uxorem hisce bestiis tradere est coactus. Illusum misellæ huic eo furore, ut mane domum reversa, ad limen conciderit, & fatigatam opprobriis animam mox efflârit. Maritus dolore amens, cadaver sectum in duodecim partes, illicò misit ad Tribus singulas, quæ scelere inaudito attonitæ comitia celebrârunt in *Maspha*; & unanimi calculo â *Beniamitis* (quorum ditioni tunc suberat *Gabaa*) Authores sceleris ad pœnam depoposcerunt.

Contra Gabaitas: Causa Luxuria Gabaitarum.

II. *Belli successus*: quis crederet? renuerunt illi tradere reos, & patrocinium sceleris suscipientes, ipsis reis magis reos se declarârunt. Hinc derepentè bellum decernitur, quadraginta *Israëlitarum* millia in arenam descendunt Duce *Othoniele*, qui se se juramenti Religione devoverant, quòd non modò velint delere reliquos, sacro bello non assistentes; sed etiam *Beniamiticam* Tribum funditùs extirpare, uxore nulla in stirpis levamentum unquam permittendâ. Contrà septingentis *Gabaitis* viginti quinque *Beniamitarum* millia in auxilium advolant: concurritur adversis præliis, semel iterúmque vincunt malæ causæ Patroni, tantâ edita strage, ut primò viginti duo, dein octodecim millia *Israëlitarum* ceciderint, etsi egressa nunquam, nisi Divino Oraculo approbante: adeò *Michæum* Idolum, toleratum diutiùs hac intolerabili

Belli successus utrobique funestus.

clade ultus est DEUS. (a) Tandem lacrymis, victimisque placato Numine, tertiò pugnæ aleam tentant, urbe insidiis cinctâ, ipsi stratagemate simulatæ fugæ hostem proliciunt, quem tandem in medio comprehensum sic concidunt, ut in pugna octodecim, in fuga septem millia interierint, & ex toto *Beniamitarum* exercitu vix sexcenti evaserint in Petram *Remmon*. Non modò *Gabaa*, sed tota *Benjamitarum* Regio deleta stirpitùs, ætati nulli, vel sexui parcente ferro.

Belli finis. Beniamiticæ Tribûs totum penè excidiũ.

III. *Belli finis*. Post hæc in Incolas urbis *Jabes* (quæ sita in *Galaad*) pari furore sævitum est, eò quòd sacro bello se se subtraxerint: quadragintæ solummodò virgines sunt reservatæ â clade; quas Victoris Clementia in spem novæ sobolis tradidit *Beniamiticæ* Tribûs reliquiis; ab his postmodùm raptæ & aliæ ducentæ, quas *Siluntini* Cives ultrò dare, juramento constricti, prohibebantur: sic finitum denique bellum, quod paucorum libido incendit, & ultra centum millium sanguis vix bene extinxit.

A. M. 2617. Servitus prima Qualis? Sub Chusan.

Mel. Quæ prima servitus, & quo Judice sublata?

Leuc. Calebo mortuo (b) evénit *Israëlitis*, quod eventurum prædixit DEUS. Nam per hostium fœdera rupêre fœdus cum DEO, foventes in sinu *Chananæa* viperarum progeniem spe lucelli, usque dum afflatam pestem Idololatricam, & ipsi tandem hausêre. Hinc â DEO traditi sunt in manus *Chusan*, Regis *Mesopotamiæ* in *Syria*, â quo subacti octennem serviêre servitutem, usque dum tandem lacrymis suscitatus è Tribu *Juda Othoniel* Tyran-

A. M. 2623.

IV.

Triplici sub Judice surgit Gens misera.

Judex primus Othoniel. Sublata Quomodo?

(a) *Salianus*. (b) *A. at.* 113.

Tyrannum ingenti victoria devicit, rupítque miseræ vincula servitutis. *A. M. 2630.*

Mel. Quæ servitus secunda, & sublata quomodo? *A. M. 2640.* *Servitus secunda qualis? sub Eglon.*

Leuc. Vix *Othoniel*, & *Phinees* clausêre oculos, cùm obiterata scelera *sacrilegæ in DEUM perfidiæ*, iterato subjugo coacti sunt gemere, quo illos per octodecim annorum periodum oppresserat *Eglon*, Rex *Moab*. Iteratis lacrymis emollita DEI Justitia suscitavit *Abodum* è tribu *Beniamin*, virum, cui vel *Romanus Scævola* primas dedisset. *A. M. 2651.* *Judex secundus Abod.*

II. Hic Legati nomine cum tributis, & donis missus est ad Tyrannum, qui tunc in urbe Palmarum, * loci amœnitate usurus, unà cum Aulæ Proceribus habitârat. Officio defunctus *Abod.*, lustratóque obiter munimento, cum suis venit in *Galgala*, urbem, olim Religione inclytam, tunc Idolorum cultu publico desolatam. Exarsit eo Zelo vir DEI, ut reditum maturaret ad Regem, & velut *secreti magni* bajulus, remotis arbitris, eidem loqui instantiùs flagitaret. Intromissus, cùm diceret, *verbum DEI ad te ô Rex*, surgentem de solio præ reverentia, extracto sinistrâ pugione sic feriît, ut illum unà cum capulo, & ipsa manu propemodùm, in pingui abdomine demersum reliquerit. Diffluente mox turpiter animâ, is per posticum elapsus est: dúmque Proceres, aperto tandem conclavi stupent in suo stercore sepultum funus, *Abod* mox *Moabitici* belli classicum intonat, collectísque copiis hostem invadit, sternit duodecim millium clade, Populúmque asserit in libertatem. *A M. 2669.* *Sublata Eglonis cade.*

* Sic dictum est propugnaculum è *Jerichuntis* ruderibus excitatum.

A. M. 2710.
Judex tertius Sangar.

Mel. Quis tertius, quartúsque Judex?

Leuc. Abodo suffectus à DEO *Sangar*, qui longorum temporum mala, in ipsis penè reginis sui initiis, annique unius spatio suppressit. Nam cùm *Philistæi*, maris *Phænici* accolæ, excursionibus crebris in servitutem viatores abriperent, ac agros *Israël* infestarent, eorum sexcentos solus, solo vomere, arator *Samsoni* suppar oppressit.

A. M. 2721.
Servitus tertia sub Jabino Qualis?

V.
Exarmat Sisaram.

II. Sed *Abodo*, & *Sangare* mortuis, Populus denuò Numini perfidus, subjectus est denuò *Jabino* Regi *Chanaan*, qui viginti annorum servitute Tyrannicâ, contumaces Rebellium cervices ad saniora consilia inflexit. Ingemuêre, & gemitus audivit Cœlum, imò & exaudivit: nam in libertatem asserti sunt denuò, non quidem in manu viri, sed fœminæ, ut totum beneficium â Cœlo datum agnoscerent.

Debora Judex quarta.

A. M. 2741.

III. *Debora*, marito *Lapidoth* fatis erepto, sic erat Superis devota, ut sibi devotos pariter haberet Superos, agerétque Prophetidem simul, ac Judicem, cùm sub palma, in monte *Ephraim* ascendenti Populo, Jura tunc temporis dispensaret. Hæc altiore consilio animavit *Baracum*, Principem Tribûs *Nephtali*, suasitque, ut lectis decem suorum millibus, montem *Thabor* conscenderet, & velut in propugnaculo tutus, arma hostium provocaret. Fecit ille, sed non nisi *Deborâ* comite, ut quæ dedisset consilium, consilii eventum ipsamet suâ præsentiâ promoveret.

Victoria Baraci, relata de Jabino.

IV. Vix rumor *Jabini* Aulam pervaserat, & sine mora numerosum exercitum, nongentis curribus falcatis armatum, monti admoveri jussit per *Sisaram*. Jámque Dux iste turgidus, conclusos undique Hebræos spe

sua

ſua penitùs devoraverat, cùm ecce! *Deboræ* juſſu *Barac*, ultrò deſcendens de monte, ſuos duxit in hoſtem. Vidiſſes *Baracum* irruere ferro; Cœlum *Deboræ* locò nimbis, grandine, dejectisque flammarum globis in hoſtilem exercitum deſævire. Vidiſſes diſſolutis ordinibus turbari acies, nutante ſolo ſterni cum Ducibus milites, tonante Cœlo everti, & conflagrare ſacrilegos currus, omnes lymphatis ſimiles fugam capeſſere; vidiſſes denique concidere plurimos perſequente ferro, *Ciſone* fluvio mergi plures: ipſum *Siſaram* vidiſſes de curru ſuo excuſſum, fruſtrà turbatam aciem reſtituere, ſalutem in pedibus quærere, & nihilominùs fata ultricia invenire.

V. Nam fugâ delatus ad tentorium *Iachel*, uxoris *Haber Cinæi*, cùm lactis hauſtu ſitim, quiete vires ſpe ſua tutus, pallióque tectus reſtauraret infelix, Heroina, Numinis hoſtem ultura, arrepto prægrandi clavo dormientis transfixit tempora, capútque affixit ſolo. Mox adfuit fugitivo *Siſaræ* inhærens *Barac*, visáque inſperata Ducis cataſtrophe, agnovit tandem, *Deboram* docuiſſe vincere, Cœlum viciſſe, *Iachelem* verò, in *Siſara* defixo trophæo, victoriam coronâſſe. *Siſaræ Mors per Jachelē.*

Mel. Quamdiu duravit recuperata hæc Populo libertas?

Leuc. Quadraginta annos: quamdiu ſcilicet, Judice *Deborâ* ac *Barac*, Populus DEO perſtitit fidelis. Sed brevì rurſus abrupto fœdere, dum aras erigunt *Belo*, iterum premuntur bello, vincuntur, & in ſervitutem *Madianiticam* rediguntur. Serebant *Hebræi*, ſegetem metebant hoſtes: nulli pecori, nulli vineæ parcebat vaga eorum rapacitas, *Iſraë-* *A. M. 2761.* *Servitus quarta ſub Madianitis Qualis?* *VI.* Gedeonis ab ollis turbatur Madian.

Iſraëlitis intereà in montium cavernis miſerè delitescentibus. His malis ſeptennium triverant, dum tandem contriti corde auxilium petiêre â Cœlo, & internuntio Prophetâ obtinuêre.

A. M. 2768. *Vocatio Gedeonis Judicis per Angelum.*

II. Accidit, ut *Gedeoni*, in purgandis frumenti reliquiis occupato, ſe ſe ſpectandum præberet Angelus, & habitu peregrini, ſedentis ſub quercu, animaret hunc virum fortem, purgaret potiùs ab hoſtili furfure Patriam liberator: non defuturum auxilium, Cœlo propitio mittendum. Hærenti fidem fecit luculento prodigio: nam carnes, quas hoſpiti appoſuerat *Gedeon*, ut ut juſculo ſuffuſas, baculo vertit in ſacrificium, *erumpente de ſaxo flamma*, & cibos cum panibus abſumente.

Belli præludia deſtructis Deorum aris.

III. Belli præludia dare juſſus eſt *Gedeon*, debellando patrios Deos, quorum aram, â *Joa* parente malè exſtructam, nocte deſtruxit; lucum decem comitum operâ ſuccidit; ligna ſacrilega erectæ in petra aræ impoſuit, & è tauro Parentis gemino holocauſtum DEO expiatorium adornavit, frendentibus manè domeſticis, civibúſque *Ephram*, Authorem ſceleris, ùt ajebant, ad pœnam furiosè depoſcentibus. Sed qui Deos impunè jam vicerat glorioſus *Jerobaal*, * homines non timebat, præcipuè cùm DEUS illi contra Patriæ hoſtes ſponderet victoriam, geminóque prodigio confirmaret. Nam expanſum in area vellus una nocte roſcidum, terrâ undique ſiccâ; nocte altera ſiccum, roſcidâ circumquaque areâ invénit.

IV. Hæc

* *Ex illo die vocatus eſt Gedeon Jerobaal, eò quòd dixiſſet Joas, ulciſcatur ſe de eo Baal qui ſuffodit aram ejus. Jud. 6. v. 32.*

IV. Hæc omina sibi infausta sensêre brevì *Madianitæ*: nam cùm centum triginta prædatorum ejusmodi millia rursus in *Palæstinam* irrumperent, *Gedeon* quoque classicum cecinit, sub cujus vexilla, è cognata præcipuè *Manassis* Tribu, mox duo, & triginta millia convolârant. Sed obest copia, cùm DEUS sibi, solique virtuti destinat triumphum. Viginti millibus (scilicet imbelli turbâ) mox ultrò se se exauthorantibus, & ipsæ reliquiæ, etiamnum superfluæ, â DEO censæ sunt: qui ad *Aradum* fontem, flexo poplite, prono ore, & corpore se se aquis avidiùs ingurgitârant, dimissi; illi contrà, qui stantes exceptam volâ fontanam, orique admotam moderatiùs lambebant, jussu Numinis selecti, & in tres divisi centurias (non enim plures expleverant) frangendis hostium viribus reservabantur. *Apparatus belli.*

V. Hic proin manipulus, planè prodigiosus, miris quoque instructus est armis, ut magis miram reportaret victoriam. Siquidem *Gedeon*, cùm exploratis *Pharâ* comite hostium castris, audiisset narratum ab hostili milite somnium de hordeaceo pane, in castra *Madian* devoluto, ac tentoria subvertente, felici omine firmatum se sensit: unde suos una manu tubas, alterâ lagenas, qua faces absconderent, jussit capessere, dicens: *quod me videritis facere, facite.* (a) Mox alto noctis silentio, triplici ex parte aggressus hostes, dato signo admonuit suos: & derepentè intonuêre tubæ, fractæ concrepuêre lagenæ, simul castra perterruit subitaneus ignium fulgor, simúlque hostes turbavit horrendus clamor: *gladius Domini, & Gedeonis.* Excitatus in- *Pugna qualis?*

 opino

(a) *Jud. c. 7. v. 17.*

opino ſtrepitu hoſtis, primò ſtare attonitus, mox expaveſcere, & turbari; ſubin inſtante tubarum ſtrepitu, terroréque Cœlitùs immiſſo confundi omnes, ſic ut mutuis ſe ſe vulneribus ipſi conciderent, ac trucidarent. Denique ipſa nocte horrorem, horrore cædes mutuas accumulante, pars plurima proprio cecidit ferro centum millium clade; pars magna fugâ elapſa eſt. Sed hæc ipſa vel ab *Iſraëlitis* hinc inde intercepta, vel â *Gedeone* fugitivis inſtante eſt trucidata, ipſis *Orebo*, & *Zebo* Ducibus ferro vindice immolatis.

Victoria Quæ? VI. Immò & trans *Jordanē* elapſa quindecim millia perſecutus eſt victor, Ducésque *Zebée*, & *Salmana*, qui quondam fratres illius necaverant, *Talionis* pœna multavit. Sed& ipſo in reditu accolas, tranſeunti nuper commeatum malè negantes, ultus eſt *Gedeon*, ſeptuaginta Senioribus *Soccoth* contritis ſpinas inter & tribulos, Turri *Phanuel* incenſa, cunctíſque incolis vindictæ pariter immolatis. Sic redux victor, præter trecentas teſtas, jacturam nullam omninò paſſus, Orientis prædam collegit: inaures ſolæ ſepties mille aureorum pretium ſuperabant, è quibus confectum *Ephod*, quod primò in DEI cultum, & ornamentum familiæ *Gedeonis*, ſubin in Idololatriæ abuſum, & detrimentum ſtirpis degeneravit. *Gedeon*, dierum plenus, deceſſit in *Ephra*, relictis ſeptuaginta filiis, numeroſa ſtirpe, quam tamen uno ictu infelix fatum penè funditùs extirpavit.

A. M. 2800, Mors Gedeonis.

A. M. 2801. Judex ſextus Quis? Abimelech Tyrannus.

Mel. Quis ſextus Judex, & quænam illius fata?

Leuc. Spuriam Gentem, cum *Baal* denuò fornicantem, decebat ſpurius Judex è *Druma Gedeonis* concubina progenitus, qui Populi rebel-

rebellis scelera, jam non exterus, sed planè domesticus vindicaret Tyrannus. Hic post fata Patris *Sichimis*, maternâ sede, tumultuariè corrasit cerdonum fæcem, mox *Ephram* advolavit, & fratres omnes (*Joathamum* si excipis, quem latebræ, Deique cura furori subtraxerat) uno die, uno in lapide contrucidavit. Sceptrum â *Sichimitis* promeruit hæc Tyrannis, frustrà reclamante *Joathamo*, & fratris crudelitatem in *Rhamni* parabola adumbrante. Sed brevì exosi jugum hi perduelles, dum illud excutere niterentur, â Tyranno victi, & in ipso fani vanissimo asylo combusti sunt, in cineres redacta urbe, saléque conspersa, ne vel ipsæ scelerum radices posthac repullularent.

VII. Per fratrum funera regnat Abimelech. *Ejus crudelitas.*

II. Tandem & ipse Tyrannus, tot aliis prostratis, fato vindice corruit. Nam subacta *Thebe*, dum turrim quoque munitam incautiùs succendere tentaret, per dejectum â muliercula lapidem, sic miser subitò est prostratus, ut illum senserit sepulchralem, fato mortuus dudum promerito: nam justè per lapidem periit Tyrannus, qui super unum lapidem septuaginta penè fratres, ambitione crudelissima interemit.

A. M. 2803. Interitus.

Mel. Quid memorabile de *Rhutæ*, cujus historia, si *Saliano* fides, in *Abimeleci* tempora incidit?

A. M. 280[illegible] Rhutæ Historiæ series

Leuc. Fuit illa infelix simul, ac felix, sic piè cum pia fœmina ludente Numinis Providentiâ. Accidit, ut terram lacte fluentem, & melle, opprimeret insueta fames, quæ *Elimelechum*, virum aliàs sat copiosum, etiam è domo panis (*Betlehem Judæ* intelligo) cum suis in *Moabitidem* migrare compulit. Substitit *Petræ*, *Arabiæ* urbe, cum conjuge

Quæ?

Genus.

Noëmà

Noëmi, & gemino filio, *Mahalon* & *Chelion*, quibus ſubin connubio junctæ *Moabiticæ* filiæ, *Orpha* & *Rhut*. Sed fatis brevì conceſſit *Elimelechus*, & decennii ſpatio, Patrem ſecuti quoque ad Patres gemini filii, ut adeò *Noëmi* vidua rurſus Patriam cogitaret. Abeunti comites ſe ſe junxerant ambæ nurus; dúmque ultimum jam eſſet dicendum *vale*, *Orpha* ægrè, *Rhut* nullo modo divelli potuit â chariſſima ſocru: hinc illa rediit ad cognatos, & Patriæ idola; hæc *Noëmi* fortunam omnem, Deúmque verum ſecuta eſt. Appulit utraque peregrina tandem in *Bethlehem*, & agnita mox eſt *Noëmi*, quærentibus paſſim civibus: túne illa *Noëmi*, illa tam pulchra, & opulenta? repoſuit cum gemitu mulier: fui, ſed modò *Maram* me dicite, quia amarâ pauperie me depreſſit Omnipotens.

A. M. 2810.
Status infelix ob pauperiem.

Status felix propter Nuptias cum Booz.

II. Dum utraque cum egeſtate luctatur, *Booz* tertius *Noëmi* aliàs propinquus, vir ſuos inter potens divitiis, non ſemel in agris conſpexit *Rhutam*, colligentem ſpicas: unde miſertus pauperculæ, exulis, & peregrinæ, de induſtria largiorem juſſit relinqui culmum, ſuisque meſſoribus convivam non raro voluit. Mens *Boozi* benevola animos fecit *Rhutæ*, ut ad ejus quondam proſtrata pedes, nuptiale fœdus ſi minùs peteret, ſaltem modeſtè inſinuaret. Nec invitus erat *Boozus*; hinc accedente propinquitatis jure, duxit officioſam hanc conjugem, & è paupere divitem, è vidua fecit *Obedi* Matrem, Proaviam *Davidis*, & conſanguineam *Chriſti* Servatoris.

§. III.

§. III.

De Actis sub judicibus cæteris usque ad erectum statum Monarchicum.

MEl. Quæ successio Judicum post *Abimelechum?*

Leuc. Abimelecho successit *Thola* è Tribu *Issachar*, qui per annos duos & triginta tranquillè jus dixit *Israëlitis.* Sed pax ista constans esse non poterat apud Populum tam inconstantem. Nam sub Judice *Jair*, quem dedit Tribus *Manassè*, DEO iterum perfidi *Hebræi*, rediêre ad vomitum, móxque ultores scelerum experti sunt *Ammonitas*, quorum jugo annos octodecim denuò pressi sunt. Tot malis inflexa iterum est dura cervix: hinc oculos rursùs levârunt ad sidera; sed audiêrunt exprobrari sibi toties repetitam perfidiam: *non addam, ut ultrà vos liberem.* Nec sine splene sunt remissi ad DEOS, quos elegissent: *ipsi vos liberent.* Sic primò confusa fuit in suis Idolis impietas, quam ubi correxit pietas, destructo *Baalim*, & *Astaroth*, seu *Venere*, opem non citiùs Gens ista petiît, quàm impetravit.

A. M. 2804. Successio Judicum Quæ? Thola Judex septimus. Jajr Judex octavus. A. M. 2826. Servitus sub Ammonitis.

II. Jam hostis tentoria fixerat in terra *Galaad*, cùm Principes in Ducem eligunt *Iephten, Galaaditem* quidem è Tribu *Manasse*, sed quem ob spurios natales priùs ejecerant. Hic exul conglobata cerdonum manu, non unâ palmâ, ab *Ammonitis* relatâ, se se celebrè fecerat; unde in Ducem electus, frustrà hostibus oblatâ pace, antequàm pugnæ tentaret aleam, propitium sibi Numen reddere studuit hoc voto: * mactaturum se DEO hostiam

Jephte Judex nonus.

VIII.
Et vota gerit, malè provida, Jephte.

Victoria quæ? Votum.

* ***Quæres*** **1. an *Jephte* peccârit vovendo, votúmque**

ſtiam, quodcunque victori ſibi, *Lares* domeſticos repetenti, primum occurreret. Nec mora: itur in hoſtem, pugnatur, funditur, fugatúrque *Ammon*, capiuntur cum manubiis viginti urbes, jacétque hoſtis immani clade, jugo oppreſſus, quo priùs alios opprimebat.

A. M. 2850. Triumphus occurſu filiæ luctuoſus.

III. Redit inter applauſus victor, triumphali pompâ deducitur in urbem *Maſpha*, cùm ecce triſte ſpectaculum! ſubituro Lares, occurrit *Seila* Filia, ſpes familiæ unica, quæ læto vultu, cum tripudiante virginum choro, concrepantibus tympanis Parenti palmam gratulabatur. Hujus conſpectu exanimatus propemodùm Pater, ſciſſis muto dolore veſtibus, tandem inter ſingultus, & lacrymas, votum aperit filiæ mortémque annuntiat, hæc inter gaudia, inopinam. Et quod prodigio ſimile! non fuit durior in imperio Pater, quàm promptior in obſequio filia ; nil tergiverſata, nil deprecata, ſolum bimeſtre in-

túmque hoc exſolvendo? *Menochius Cent. 1. c. 45.* poſt relatas aliorum ſententias, negativam tenet: eò quòd *Jephte* hoc fecerit ex Spiritûs Sancti inſtinctu, juxta illud Num. 29. *factus eſt ergò ſuper Jephte Spiritus Domini*; & mox ſequenti verſu: *votum vovit Domino*; neque ullibi vituperatum, ſed præmiatum inſigni victoriâ legatur â DEO: atque adeò ſi votum placuit, ſolutio diſplicere non poterat. Neque propterea Deus *crudelis* eſt, quia Author vitæ & necis: factáque prohibitio de humanis victimis â Legislatore hìc tolli poterat. *Quæres 2.* an reverà occiſa ſit filia? Moraliter tantùm occiſam, hoc eſt, *ſeparatam & conjugio excluſâ Rabini* volunt; ſed negant SS. Patres. *Vide Serarium, Cornelium à lap. & alios.*

interstitium petit, quo juga montium cum sodalibus obeundo, & suæ virginitati sine prole moriturae, & orbitati Patris, hærede cariturì, vivo funere parentaret. Elapso spatio, pari fortitudine se victimam ad aras stitit, digna morte, quam filiæ *Israël* singulis annis plangerent, & quatriduanis næniis non minùs, quàm elogiis celebrarent.

Mel. Quo insuper fato luctuosa fuit victoria *Jephte?* *A. M. 2850. Intestina seditio Ephraimitarũ Cur?*

Leuc. Intestina seditione: nam *Ephraimitæ,* victoriæ gloriam *Galaaditis* invidentes, victori exprobrare ausi sunt, quòd ad belli fœdera vocare socios se neglexisset. Responsis mollibus cùm illi dura convitia, minásque reponerent, ventum ad manus est. Victi sunt *Ephraimitæ*, qui transito *Jordane* bellum ultrò intulerant. In fuga cùm eadem relegerent littora, â *Galaaditis* intercepti, *Ephræum* nomen plerique dissimulârunt metu mortis: sed militarem tesseram *Scibboleth* (quod *Latinis* spicam) jussi edicere, cùm blæsa voce *Sibboleth* pronuntiarent, dialecto Patriæ proditi, jugulati, & in profluentem abjecti, mentis elatæ igniculos extinxêre; sic extinctis non minùs quadraginta duobus hominum millibus. *Ob gloriæ invidiam. Extincta Quomodo.*

Mel. Quis in Tribunali secutus est *Jephten?* *A. M. 2855. Abesan decimus Judex.*

Leuc. *Abesan* è Tribu *Juda* triginta filiis, totidémque filiabus celebris Pater: huic in tribunali successit *Ahialon*, aliàs *Elon*, è *Zabulonis* Tribu, qui post decenne judicium fasces cessit *Abdoni* Judici duodecimo: hoc non nisi per octo annos judicium exercente, contra *Philistæos* surrexit *Samson*, *Nazaræus* celebris de Tribu *Dan*, de quo memorabilis *A. M. 2862. Ahialon undecimus. A. M. 2872. Abdon duodecimus.*

A.M. 2861. Nativitas Samsonis.

1.mò *Nativitas*. Meruit iterata *Judæorum* perfidia *Philistæum* ultorem, sub durissimo *septuaginta* annorum jugo: sed & iterata pœnitentia meruit *Samsonem Philistæi* vindicis vindicem, *Alcidi* similem, & succedaneum Athletam. Prodigiosus hic Heros, antequàm nasceretur, jam Cœli prodigium extitit: nam matri sterili, dein & Patri *Manue* (*Danitæ* moranti in *Saraa*) ab Angelo, cujus nomen *Mirabile*, prænuntiatus est, ipsâ etiam educandæ sobolis ratione Cœlitùs præscriptâ. Mater abstinere jussa â vino, ut sobriè; ab omni immundo, ut sanctè conciperet. Porrò ut sanctè adolesceret infans, eidem lex eadem est præscripta: imò & jussus est vivere *Nazaræus*, hoc est, ex Matris utero Numini consecratus, cujus cæsariem novacula non pertransiret, ut esset *Samson*, seu *fortis*, hócque crinium robore liberaret *Israël*. Sic instructis Parentibus, in holocausti flamma evanuit Genius cœlestis. Memorabilis 2.dò *fortitudo*. Nam natus, & memorata methodo educatus, mirum, quàm miri roboris specimina dederit.

IX. Hostem ubi contrivit Samson.

Samsonis fortitudo quanta?

I. Altiore instinctu â Patre petiit, sponsam *Thamnatidem* sibi peteret â *Philistæis*; quódque petiit, ab invito patre tandem extorsit. Igitur hanc invisurus dum pergeret in *Thamnata*, in vineis occurrit Leonis catulus rugiens, laniaturus hominem, nisi fuisset *Samson*, qui arreptam rictu hanc bestiam dilaniavit illicò in frusta.

Leonem discerpit.

II. Nuptias celebraturus, dum eandem cum Parentibus viam relegeret denuò, declinans paululùm â tramite, in Leonini cadaveris

Triginta Philistæos occidit.

veris rictu invenit favum mellis, * quem ubi gustavit, cæteris dissimulatis, gustandum quoque Parentibus obtulit. Nuptiales inter epulas triginta convivis hoc proposuit ænigma: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo*, ea lege, ut solventes præmii loco subuculas lineas, unà cum totidem togis, reciperent; solvendo impares totidem sibi *Sphingi* darent. Triduum jam inter pocula effluxerat, & constanter hærebat aqua siccis his Oedipis; hinc ad astutias conversi urgebant sponsam, arcanum ipsa expiscaretur; & verò molestis lacrymis hæc flexit Sponsum, ut mysterium sibi confideret, quod illa non citiùs scivit, quàm evulgavit: unde septimo die solutum ænigma est hisce verbis: *quid dulcius melle? quid fortius Leone?* (a) Hinc iratus *Samson*, cùm descenderet in *Ascalon*, triginta viros, servitutis forsan opprobria oggerentes, uno impetu contrucidavit, detractisque vestium spoliis, apud infames Oedipos exsolvit fidem.

III. Hac Generi in *Philistæos* crudelitate offensus socer, cùm alteri filiam collocâsset, offendit & ipse graviter *Samsonem*; unde injuriam ulturus, in *Modinæis* jugis capit trecentas vulpes, binas illarum caudas cum facibus innectit, & mirabili vindictæ genere a- *Vulpibus incendit agros.*

 gros

* *Quæri potest*: Quomodo apes esse potuerint in ore Leonini cadaveris? Reponit *Menochius* cent. 2. c. 6. eas nidificâsse in sceleto leonino, non carne putrida, â qua abhorrent. Sic apes nidificâsse in ore *Platonis*, *Pyndari*, & D. *Ambrosii* legimus. Sunt qui velint, apes ex ipso Leonis cadavere fuisse prognatas.

(a) *Jud. 14. v. 18.*

gros & vineas *Philistæorum*, sparsis hisce incendiariis devastat. * Et licèt *Thamnatæi* familia, quæ tantæ cladis erat occasio, â *Philistæis* fuerit combusta, tamen in hostes adhuc sæviit *Samson* tanta strage, ut occisorum cadavera hinc inde agros, atque suburbia, horrendo spectaculo replerent.

Obvios quosque occidit.

IV. Tot malis irritati *Philistiim* collectis copiis majora mala *Judæis* minitantur, nî *Samsonem* omnis mali authorem illicò traderent. Unde de spelæo petræ *Etanicæ* â suis non tam extractus, quàm sponte egressus, ligatis manibus in castra hostium deducitur, & frendentium furori traditur. Jam tormenta, jam mortis crudele genus parabat vindicta, cùm *Samson* derepentè disrupit vincula, obviáque asini maxillâ sic sæviit in hostem, ut mille percuteret, fugaret omnes, unus omnium victor: lassatum tot inter lauros Athletam recreavit Cœlum, prosiliente undâ è gloriosæ mandibulæ molari dente: immò & remunerata illum quoque fuit Respub-

Mille sternit ruptis vinculis.

* *Quæri potest*: Quomodo credibile sit, tot vulpes fuisse captas â *Samsone*? Respondet *Serarius in c. 15. Judicum*: primò quia in terra *Chanaan* ingens fuerat vulpium copia, ùt colligitur ex *canti. 2. v. 15. psal. 62. 11. Thren. 5. v. 18. &c.* sic ait *Majolus cit. â Menochio cent. 1. c. 46. Caspiarum Vulpium tanta est multitudo, ut non modò accedant ad stabula agrestia, sed etiam urbes ingrediantur, domos subeant, non ùt feræ rapaces, sed velut domesticæ, & adulantes Caspiis, uti apud nos Canes.* 2. quia *Samson* tot vulpes capere potuit, vel speciali arte, vel etiam per suos, vel Deo sic disponente, ùt legimus de *Jacobo Gen. 27. 20. Voluntas Dei fuit, ut citò mihi occurreret, quod volebam.*

publica, dum publico decreto Judiciariæ potestatis fasces victori obtulit. Loco, qui priùs *Lechi*, id est maxilla, tunc *Ramatlechi* nomen adhæsit, quod idem, ac *elevatio maxillæ Hebræis* significat.

V. Denique urbem *Gazam* ingressus, cùm divertisset in meretriculæ ædibus, veluti fera in cavea, occlusis civitatis portis, ad mortem & vincula ab hostibus est destinatus; sed surgens ille, sub mediam noctem, illicò disturbavit excubias, portam cum postibus evulsit, & sublatam in humeros transtulit in montem, septem milliaribus *Germanicis* dissitum, relicto ibi hoc Gigantei roboris monumento. **A. M. 2884.** **Portas Urbis Gazæ evellit.**

Mel. Quomodo *Samson* captus, & denique mortuus? **A. M. 2899.** ***Samson captus quomodo? Insidiis Dalilæ.***

Leuc. In valle *Sorec* habitaverat meretrix *Philistæa*, *Dalilam* nominant, quam venalis forma ad omne scelus prostituebat. Hanc suo malo amavit *Hebræus Hercules*, & hactenus invictus, mox se sensit vincibilem, quia â muliercula jam priùs victum. Hæc auro corrupta (quinque millia & quingentos siclos *Philistæi* obtulerant) eblandiri tentabat arcanum roboris, sed frustrà: quippe non semel delusam se amasia sensit, ac doluit. Nam 1. septem nervis etiamnum crudis; mox recentissimis funibus; demum septem crinibus, licio implexis, clavóque circumdatis ligatum vidit *Samsonem*, & tamen ad proditoriam vocem: *Philistiim super te Samson*, hæc vincula, velut aranearum tela disrupta vidit, atque obstupuit. Tandem ne ultrà & ipsa luderet *Philistæos*, in insidiis domi suæ latentes, *Heroëm* aggressa est machinis omnibus, quas quidem validas habet muliebris astu- ***Explorato robore.***

astutia: querelis æquè, ac lacrymis institit, oppugnavit blanditiis, diu noctúque non intermissis, usquedum denique expugnavit lassatum, exploratóque mysterio, crinibus simul & robore * spoliavit. Mox sinu, quem foverat, excusso somno â se rejecit, hostibus tradidit, quem illi mente jam cœcum, mox quoque oculis orbârunt, & ad asinariam molam damnârunt victum, quos asinariâ maxillâ priùs prostravit victor.

Abscisso crine

II. Sic inter sortis ludibria cœcus, cœcitatem suam sat vidit, doluítque â lupa se stratum, qui priùs prostaverat leones. Hinc ubi pœnitens ad DEUM rediît, rediît ad ipsum virtus, crevítque mens cum capillo. Accidit, ut ad solennia *Dagonis* festa, tria mil-

Mortuus Quomodo?

Conquassato Templo Dagō.

* *Quæri potest 1.* An, & Quomodo fortitudo *Samsonis* fuerit in capillis? Respondet *Menochius cent. 2. c. 74.* robur constitisse in membris, Divina virtute roboratis; dependisse tamen â capillitio tanquam conditione, qua sine Deus non concurrisset. Fortitudinem *Samsonis* æquè ab aliis *Nazaræorum* legibus, abstinentia â vino, botris, non tangendis mortuis, dependisse, censet *Abulensis*: sed falsò, uti probat *Menochius*, & colligitur *ex c. 16. Jud. n. 17. & 18. Quæri potest 2.* Si absque culpa *Samsonis* crines vel essent abscissi, vel etiam sponte fuissent decidui, an pari modò robur esset ablatum? Reponit citatus Author; in re quæ solummodò pendet â Numinis beneplacito, Scriptura tacente, certi nil posse statui. Divinat tamen *Serarius*, quòd, cùm capillitium *Nazaræis* nil fuerit, nisi signum externum specialis cultûs, & religions internæ, hac servata tanquam primariâ conditione, non fuisset unquam fortitudo ablata. *vide Menoch. loc. cit.*

millia *Philistæorum* concurrerent. Post eucharisticas victimas, post *Baccho* litata pocula jussus quoque adesse *Samson*, ut ductore parvulo, *Gazensi* Senatui joculari saltu ludum, * séque ludibrium faceret. Sed fecit ille ex ludo seria, dum quassatis columnis Spectaculum dedit, spectatoribus fatale, eodem tumulo unà secum omnes sepeliens victor, nunquam fortior, quàm ubi sic cecidit; meliore utique fato dignus hic viginti annorum Judex, si præter hostes amorem quoque vincere potuisset. *A. M. 2899.*

Mel. Quis successit *Samsoni* Judex, & quod illius regimen?

A. M. 2900. Heli Judex Decimus Quartus.

X. Heli impia natos corrumpit Pietas.

Leuc. Heli Levites, qui postquàm ùt summus Pontifex *Achitobo* in sacris; etiam ùt summus Judex in Politicis *Samsoni* successit. Illius Regimen

I. *Filiorum Ophnis, & Phinees sceleribus famosum.* Hæc inter scelera primum erat *sacrilega* prorsus *temeritas*, qua partim adipem DEO sacram, coctásque in Altari victimas fuscinulis diripiebant; partim lectiores hostias vi apertâ, litantibus extorquebant, hac avaritiâ Populum â Sacrificiis retrahentes.

Ejus Regimen famosum Quomodo? Filiorũ temeritate & avaritia.

N 3

* *Quæri potest:* Qualis fuerit ille ludus? Reponit *Montanus*, fuisse saltum: *Abulensis*, gestus Histrionicos: *Lyranus*, incessum gravem, & incertum Cæcorum more, quo vel in parietes, vel in columnas impactus, risum spectatoribus moverat. Sed veriùs cum *Serario*, *Cornelius â lapide* censet, hunc ludum fuisse varia Popelli ludibria, quibus nunc, injectis obstaculis, eum cadere, vel impingere fecerat; nunc eundem percutiendo, pungendo, aliísque modis exagitârat. Unde *septuaginta: percutiebant eum.*

Libidine. tes. Alterum erat *libido juncta cum pravo exemplo* qua passim fœminis, Vota exsoluturis, ipsisque virginibus, Divino cultui sacratis, abutebantur Sacrificuli *Belial* potiùs, quàm veri Numinis Sacerdotes. Filiorum flagitiis *Propriâ Patris indulgentiâ.* accessit *Parentis pietas*, ipsis flagitiis magìs flagitiosa, qua ejusmodi scandala vel dissimulavit ùt Pater, vel leniùs improbavit ùt Judex, sicque impia pietate aliena scelera in se transtulit, dum non, ùt debuit, correxit.

A. M. 2913. II. Fuit *Divinis oraculis luctuosum.* Vixe- *Divinis Oraculis luctuosũ* rat in Tabernaculo *Samuel*, *Elcanæ Levitæ* ex *Anna* sterili filius, quem Mater *Phenennæ* *Quomodo?* æmulæ opprobriis vexata, multis lacrymis, *Samuelis Nativitate.* votóque concepto conceperat, trimulúmque, Numini ex voto sacrum, *Heli* Sacerdotis obsequiis dedicârat. Educatus ille in *Silo*, *A. M. 2913.* cùm Tabernaculo deserviret duodennis parvulus, concubia quondam nocte vocantem quempiam audiît: *Samuel*, *Samuel*! Pontificis vocem ratus, promptum se stitit; sed cubitum remissus, cùm iterum, iterúmque vocaretur, agnovit Domini vocem, audivítque *Oraculis.* imminere jam fata, ob sacrilegam in filios lenitatem jam nuper *Heli* Pontifici annuntiatà; scilicet remotionem â Sacerdotio, multiplicem familiæ cladem, vitæ brevitatem, egestatem, filiorum mortem, & totius Populi funestam stragem, atque interitum, quæ dum audiît â *Samuele* infelix Pater, illi meritò tinnire poterant ambæ aures.

A. M. 2939. III. Denique Regimen fuit *funesto exitu* *Funesto exitu infaustum* *infaustum.* Nempe mæsta oracula complevit brevì eventus; surrexerant quippe denuò *Quomodo?* *Philistæi*, & quatuor millium clade *Israëlitas* non modò fuderant, sed & fugârant in *Aphec*. Tum Arca fœderis in ipsa quoque castra delata

lata est, ut Populus propiore Numine frueretur: sed qui animis DEUM exuerant, symbolicâ ejus præsentiâ non tam adjuti sunt, quàm prostrati. Fusa est iterum *Israëlitica* acies, desiderata triginta peditum millia, *cæsi Ophni*, & *Phinees* tot malorum Authores, & quod caput est, desertis castris, Arca DEI cessit in manus hostium, magno *Israëlitarum* luctu, majori *Alophilorum* triumpho: tanti interest Reipublicæ, custodes Arcæ habere pios! Ipse *Heli* ad infausta adeò nuntia, fracta cervice, exanimis de sella corruit. Uxor *Phinnees*, partui jam vicina, ex abortivo Patre conceptum fecit abortum. Verbo: translata fuit *Gloria Domini*, quam uno die perdidit sacrilegum Par filiorum, quos non punivit Pater, utique pessimus, quia bonus.

Gemina clade. Ophnis, & Phinees morte. Arcâ capta.

Heli fato.

Mel. Num quidquam commodi ex Arca traxêre *Philistiim?*

A. M. 2940. Clades Philistiim ex Arca capta qualis?

Leuc. Senserunt, hoc sacrum pignus tam esse reprobis formidandum, quàm optandum sit probis. Nam

I. *Azoti Dagonis* fano illata Arca noctu prostravit Idolum; denuò erectum prostravit denuò, sic ut pars trunci inferior, formata in piscem, remaneret in ara; pars superior coram Arca esset prostrata; abscissum verò caput & pedes ad fani limina jacerent. Ad insperatum spectaculum stetêre mane attoniti Popæ, nec ingressi posthac sunt fanum, nisi per saltum, ut ne infelicem DEUM etiam pedibus calcarent.

Dagon prostratus.

II. Mox Incolas fædo vulnere, luéque putrida percussit, agros immissis muribus vastavit.

III. Satraparum consilio Arca circumducta per civitates, cùm eadem lue afflâsset singulas,

 gulas,

gulas, ultrò & cum muneribus quidem dimissa est, geminâ vaccâ, insuperhabito vitulorum mugitu, & aurigante nemine in agrum *Josue Beshamitæ* eam deportante. Sed & hîc excepta cum jubilo, mox cum luctu dimissa est: cùm enim, ex quinquaginta *Betsamitarum* millibus, septuaginta viri nobiles curiosiùs denudâssent hoc sacrum pignus, subita morte puniti sunt, * & Arca in *Cariathiarim* est translata, ubi in domo *Aminadab* ad usque vigesimum *Davidis* annum quievit.

Betsamitarũ clades cur & Quanta?

Mel. Quis fuit ultimus Judex *Hebrææ* Reipublicæ, & quod illius Regimen?

A. M. 2940. Samuel Judex decimus quintus.

XI. Res sub Samuele resurgunt.

Leuc. Samuel, qui annos triginta, vel ùt alii quadraginta natus, *Heli* mortuo successit in officio Judicis: *Achitobus II.* verò, *Heli* nepos ex *Phinee*, in officio sacerdotis. Regimen porrò *feliciter* cœptum est â *Samuele*, quia â Zelo Religionis, quando coactis in *Maspha* comitiis, Populum ab Idolomania abstractum, novo, eóque solenni fœdere DEO conjunxit. Sed & feliciter est continuatum: nam rumore de his comitiis ad hostes delato, mox illi denuò cœperant tumultuari. Igitur sacrifi-

Regimen feliciter cœptum. A. M. 2960. Renovato fœdere. Feliciter continuatum victoria insigni?

* *Quæri potest*, An præter septuaginta viros nobiles etiam quinquaginta *Betsamitarum* millia sint occisa? *S. Hieronymus*, *Rupertus*, *Isidorus*, *Clarius*, *Lyranus*, *Abulensis* & alii censent tantùm septuaginta viros fuisse percussos, & hinc mendum irrepsisse. *Cornelius â lap.* judicat præter septuaginta viros, quinquaginta insuper millia fuisse morte punita, eò quòd nostra versio æquè, ac Septuaginta, & *Chaldæa* id aserant.

crificio properanter oblato, ad preces confugit *Samuel*, ad arma concurrit Populus, & faustis quidem auspiciis, quia Cœlo ad *Samuelis* vota pugnante. Nam tanto fragore tonabant nubes, micabant fulgura, sæviebant fulmina, totúsque æther immugiebat, ut hostis territus fugam capesseret, & tergis inhærens victor, stragem multorum millium inferret; pugnæ locus deinceps *lapis adjutorij* dictus est; ut sciret Posteritas, adjuvante Cœlo hîc relatam esse insignem victoriam, cum victoria recuperatas ab hostibus urbes, cum urbibus almam pacem, tantoperè ab *Israelitico* Populo expetitam. Verbo: *Judæorum* Respublica, sub *Heli* ruinæ proxima, sub *Samuele* ad meliorem denuò reducta est statum, nec *Philistæi* ampliùs ausi sunt erigere *cristas*, quamdiu Populo præfuit tam Sanctus Judex, ad cujus vota stabat fœderatus æther. Adeò Reipublicæ status, sive felix sive infelix â Regentum sive probitate sive improbitate dependet.

Mel. Quænam Observationes Politicæ? *Observationes Politicæ Quæ?*

Leuc. Prima: *Josue fortunati Belliducis ectypon.* Ostendit hic Heros, quòd primum felicis belli prognosticon sit *fœderatus æther*, quo sine jam ante pugnam meritò cladem quis auguretur. Ostendit indicium alterum esse *justam causam; ordinem* quæ multitudine potior; *stratagemata licita*, utique illicitis proditionibus præhabenda. Apparet in *Achan*, quòd avaritia Ducum non rarò sit occasio cladis. In *Gedeone* apparet militum selectus: nempe non semper numerus probatur, sed animus; *nam multitudo vires non habet, sed pondus.* Ex temperantia haustûs probatur virtus, & *degenerat â*

Belliducis ectypon Josue.

Seneca.

robore miles assuetudine voluptatum. (a) Apparet in *Sangaris* vomere, in *Samsonis* mandibula, quòd unius viri Virtus sit sæpè instar exercitûs.

Tyranni Adonibezec, & Abimelech.

II. Tyranni effigiem habes in *Adonibezec*, qui sæviit in victos victor, Talionis denique pœna & ipse meritò multatus: *Et Phalaris tauro violenti membra Perilli torruit: infelix imbuit Author opus.* (b) Tyranni ectypon quoque *Abimelechus* exhibet, cujus ambitio non nisi per fratrum funera conscendit solium: qui ingressus est dominatum ùt vulpes; regnavit ùt leo, mortuus est instar canis, lapide percussus. En quàm multos timeret debeat, quem multi timent! *Ad generum Cereris, sine cæde, & vulnere pauci descendunt Reges, & sicca morte Tyranni.* (c) Bellè *Thales* rogatus: quid rari vidisset in orbe? reposuit: *Tyrannum Senem.*

III. Testantur denique *Chananitidis* Populi, quòd dudum *Ecclesiasticus* innuit: *Regna à gente in gentem transferri propter injustitias:* Testantur *Israëlitæ*, nunquam probari Cœlo inita cum improbis fœdera * certámque bellorum esse originem, *fractam Numini fidem:* nam *Judæorum* Respublica quoties Cœlo perfida, toties hostibus est oppressa; adeò peccata attrahunt hostes, & aperiunt *Jani* templum. Testatur *Heli*, quantum Reipublicæ intersit, ne Religionis veræ cultus Sacerdotum scandalis depravetur: hoc religionis ruente fulcro, quid mirum, si & Politicum corruat, sicque ruinâ mutuâ totius Regni sequatur interitus?

Mel. Quænam observationes Christianæ?

Leuc.

(a) *Tacit.* (b) *Ovid.* (c) *Juv. sat. 10.*

* An licita sint fœdera cum infidelibus inita contra fideles? *vid. Coll. Hist.*

Leuc. Primò: Mirabilis DEI Providentia in Ecclesia sua *propaganda*, & *protegenda*. Nam sub *Josue* sic adimplevit promissa, ut Populum suum tandem induceret in terram *Chanaan*; potenter, quia Cœlo commilitante; prodigiosè, quia Populo per mera pene prodigia *Chananæam* progeniem extirpante. Sed & ipsum Populum electum, quia sibi sæpiùs rebellem, premi quidem permisit, non tamen opprimi; delevit scelera, non sceleratos, ut videas fidelem DEUM, qui quoties pœnitentiâ placatus, toties misit Redemptores, qui suum Populum liberarent.

XII. Observationes Christianæ Quæ? Providentia DEI. In Ecclesia vera propaganda & protegenda.

II. Eadem Divina Providentia mirabilis est in vera Ecclesia *adumbranda*. Domus *Rahab* portendit Ecclesiam; funiculus ille coccineus *Christi* sanguinem *Augustino* teste; (a) *Josue* Clypeus Servatoris crucem, in qua vincunturfacilè *Haitæ* stygii. Sic septem *Chananitidis* Populi, exturbati â *Josue*, septem præfigurant capitalia scelera, â *Christo* exterminata: ipse *Josue*, seu *Jesus*, nomine simul & omine Christi ideam præsetulit, quo Duce felix transitus est ex hac vita in terram promissionis. Et quid aliud *Samson*, nisi Ectypon Servatoris, qui sua morte oppressus, oppressit hostem, nósque asseruit in libertatem?

In adumbranda.

III. Mirabilis eadem Divina Providentia in Ecclesia *virtutum exemplis illustranda*: elucet in Judicibus fortitudo Heroica, Zelúsque pro DEI Domo semper invictus: in *Rhuta* Religio, gratitudo, demissio, ut meritò in illa prædestinationis exemplum, reprobationis verò in *Orpha* legant Scripturæ sacræ Interpretes. 2. Docet *Achan*, unius culpam sæpè

In illustranda virtutum exemplis.

(a) *Hom. 3. in Josue.*

ſæpè cedere in plurium pœnam; Idolum *Michæ* oſtendit, facilem ſcelerum eſſe propaginem; *Judæorum* fœdera cum hoſtibus inita demonſtrant, nunquam bonam bonis malorum ſocietatem; *Gabaitarum* libido docet unicam interitûs cauſam frequenter eſſe luxuriam. *3.* In *Heli*, vivo veluti ſpeculo, apparet Parentum damnabilis indulgentia; in ejus filiis corrupta Parentum vitio Juventus: *In Judæis* toties perfidis cernimus inconſtantiam noſtram, qua *Euripi* inſtar fluimus, & refluimus, caſtigandi toties, quoties emendandi. Bellè nos adumbravit Summus Antiſtes *Urbanus VIII.* dum dixit: *In flagellis infirmitas noſtra atteritur, & iniquitas non mutatur: ſi DEUS exſpectat, non corrigimur, ſi vindicat non duramus: ſi ferit, clamamus, ut parcat; ſi pepercerit, iterum provocamus, ut feriat.* Denique in *Samſone* cernimus novum ænigma, *fortitudinem ſummam cum infirmitate ſumma conjunctam:* ſolvit hoc ipſemet funeſto caſu, dum omnibus invictus tandem ſuccubuit mulierculæ imbelli.

Polemicæ Quæ?

Mel. Quæ obſervationes Polemicæ?

Leuc. Hybnero teſte, *vota DEO facta, fideliter ſunt ſervanda, exemplo Hannæ, Samuelem filium offerentis.* Addere potuiſſet: exemplo *Beati* (ùt ipſe nugatur) *Lutheri*, Religioſa vota devotè ſolventis, & prolem multiplicem pro reformanda Eccleſia offerentis.

II. *Si ſcandaloſa eſt ſacerdotum vita*, inquit *Hybnerus*, *non procul eſt â Regno interitus; apparet hoc in filiis Heli, Veneri mancipatis.* Addere potuiſſet: hinc quia vita *Lutheri*, *Calvini*, *Bezæ*, *Zvvinglii*, *Carlſtadii*,

Oecco-

Oeccolampadii &c. (prô quanta Apostatarum famosa nomina) fuit verè Apostolica, & ab omni *Venere* remota, secuta totius Ecclesiæ est reformatio: ipso *Luthero* teste: (*a*) **Jetzt seind die Leuth mit siben Teufflen besessen / die zuvor nur mit einem besessen waren: der Teuffel fährt jetzt mit hauffen in die Leuth / daß sie nur unter dem hellen Liecht des Evangelii seynd geitziger / listiger / frecher / und ärger / dann zuvor unter dem Pastthumb.**

III. Dicent *Hybnero* similes: saltem in Sacerdotio sublata per *Lutherum* sunt scandala. Utique: nam solvit vota Religiosa, Cœlibatui Clericali indixit exilium, Monasteria evacuavit, Jejunia sustulit, bona opera damnavit. *Dicent* 2. à Pontificibus cogi Clericos ad continentiæ vota, prohiberi matrimonia: sed tantùm dicunt; fallor! solummodò calumniantur. Non enim nostra Religio matrimonia prohibet, sed illos, qui *ultrò* statum Ecclesiasticum *eligunt*, voluntario *continentiæ voto* Numini obligatos cupit 1. ut decentiùs tam sancto munere fungantur. 2. ut liberiores vivant à temporalibus curis, dicente Apostolo: (*b*) *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt; qui cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt Mundi.*

CA-

(*a*) *Tom. Lutheri Wittenbergæ præfat. 2. §.* der Teufel. *& tom. 4. fol. 221. §.* Nun seynd die Christen. *Item* in der Hauß-Postill *edit. Genæ. A 1559.*

(*b*) *Cor. 7. v. 32.*



CAPUT V.

De Ætate seu Epocha Quinta.

Status Regum:

A Consecratione Saulis usque ad Captivitatem sublatam per Cyrum spatio annorum 554.

Divisio hujus Epochæ.

MElander. Quæ divisio hujus Epochæ? *Leucotheus.* In quinque Instructiones. Prima continet *Saulis* Regimen usque ad *Davidem*, cunctis Tribubus imperantem. *Secunda* Regimen *Davidis*, & *Salomonis* usque ad Divisionem Regni *Israëlitici*. *Tertia* fata Regum *Israël*. *Quarta* Reges *Juda* usque ad Captivitatem *Babylonicam*. *Quinta* Ipsam captivitatem.

INSTRUCTIO I.

Saulis Regimen usque ad Davidem.

Mutati Reginimis Occasio, & Causa Quæ? A. M. 2962.

MEl. Quæ occasio & causa mutati Reginimis â statu *Israëlitici* Populi *Aristocratico* in statum *Monarchicum*?

Leuc. Filiorum *Samuelis* corruptum Tribunal, Populique, in mala pessima semper proni, malè fausta levitas: illud *occasio*, hæc causa fuit. Accidit, ut *Samuel*, jam sexagenario major, in muneris levamen assumeret filios *Ioël*, & *Abia*, sed ût habet proverbium, *Heroum filii noxæ*, & hi â Parente degeneres, Parentis onus fuêre potiùs, quàm levamen,

Injustitia filiorum Samuelis.

men; nam muneribus corrumpi faciles, jus proponebant venale, ſoluti in luxum leges non tam cuſtodiebant, quàm infringebant. Unde injuſtitiæ ſcandala â *Berſabée* urbe in *Rhamata* vulgante famâ, Primates coactis comitiis â *Samuele* petiêre Regem, partim filiorum exoſi mercenarios faſces, partim aliarum Gentium, ùt ajebant, *Monarchicum* Regimen ſecuturi.

II. Non potuit non diſplicere viro Sancto hæc inſperata petitio, non tam quòd cerneret meritis ſuis indignam, quàm quòd adverteret ipſi DEO probroſam, cujus Theocraticum Regimen in ſuo vicario, tam leviter exauthorato, Popellus iſte repudiaret. Conſulto oraculo, cùm ingratos edocuiſſet dignitatis Regiæ, ſive jura, ſive Populi onera, nec tamen in ſua mala obſtinati deſiſterent, conſenſit, dicente DEO: *audi vocem eorum, non enim te abjecerunt, ſed me.* Sic nunquam graviùs puniit Rebelles Divina Nemeſis, quàm cùm preces, & vota improba exaudiret.

Dei, & Samuelis diſplicentia.

Mel. Quis, & quomodo primus Rex conſtitutus â *Samuele?*

A. M. 2963. Rex primus Quis? Saul.

Leuc. Fuit is *Saul*, filius *Cis Gabaitis* è Tribu *Beniamin*, vir, quem ſtaturæ proceritas Regia, toto capite, jam priùs ſupra omnes extulerat. Is Patris aſinas dum inquirit, ſceptrum invenit, nam receptus â *Samuele* hoſpitio, cum clitellariis oblatam audit, ſtupétque purpuram. Nec mora: â *Samuele* inungitur, & ab eo, qui ſceptra diſpenſat, jura Regia recipit, immò & ſpiritum Principalem, quia Propheticum, attonitis contribulibus, cùm *Saulem* cernerent inter Prophetas.

I. Eligitur Saul Sorte. *Electus â Deo quærens aſinas.*

II. Intereà *Samuel* pro fauſtis Regni auſpiciis iterata comitia indicit in *Maſpha*, ubi ductis

Electus à Populo absens. ductis sortibus à Populo quoque in Regem *Saul* eligitur absens: protractúsque in publicum rursus inungitur, acclamante Populo: *vivat Rex!* Hæc inter aggratulantium jubila vidisses nihilominùs aliquos, novum Regem exsibilantes, quam tamen injuriam *Saul* animo verè Regio, quia prudenter dissimulante, exceperat, ne mox sanguine funestare Principatûs exordia cogeretur.

Belli Ammonitici Causa Quæ? *Mel.* Quid in bello primo *Ammonitico* memorabile?

Obsidio urbis Jabes. *A. M. 2963.* *II.* Naas cui porrigit herbam. *Leuc. Belli causa, victoriæ fructus.* Mensis effluxerat, cùm *Naas*, Rex *Ammon*, ingenti exercitu *Gabaitidem* infestans, urbem *Jabes* obsidione cingeret, ac in eas redigeret angustias, ut civibus nisi monoculis, & in opprobrium *Israëli* datis, conditio reliqua non superesset. Obsessi impetratis septimanæ induciis, legatos illicò mittunt ad Tribus *Israël*, qui sortis lamentabilis testes, atque interpretes auxilia advocarent.

II. Fortè *Saul*, electus nuper Monarcha, pro temporum illorum ratione, domum egerat aratrum, cùm perceptis hisce lamentis indignatus tyrannidem, ex aratore Heros, verso in gladium vomere, bovem geminum dissecuit in partes, misítque ad Tribus singulas hoc mandato: sine mora se Regi sisterent, aut iram vindicem exspectarent. Convolârunt ad nutus triginta, & trecenta hominum millia, quibus in valle *Bezech* tripartitò divisis, non citiùs irruit in hostem, quàm ferro prostratum fuderit: immò *Jabesitis* quoque prorumpentibus ex urbe, deprehensum in medio sic contrucidavit, ut fugâ pauci evaserint, plerique ingenti clade non solùm unius, sed utriusque oculi lumen amiserint.

III. Re-

III. Reversus victor cum *Samuele* in *Galgala*, post immolatas Numini victimas, excepit gratulantium vota, & totius Populi, unanimi tandem jubilo homagium præstantis, studia. Immò, hos inter plausus non defuére, qui sic *Saulem* attollerent, ut *Samuelis* regimini malevolâ sanè mente detraherent. Hinc *Samuel* Populum provocans, cùm exprobrâsset illatam sibi, Deóque in Regimine abrogato perfidiam, in Innocentiæ suæ testes vocavit sidera: & illicò inhorruêre nubes, mugêre tonitrua, micârunt fulgura, spissáque grando, fulminibus horrificis interpolata, totam viciniam conterruit. Extendit igitur Populus manus supplices ad *Samuelem*, qui agnitâ ingrati animi culpâ satisfactum sibi ratus, iisdem precibus, quibus priùs tempestatem, nunc Cœlo serenitatem, conterrito Populo tranquillitatem reduxit. Sic ad sua rediît Populus, è toto exercitu non nisi tribus millibus pro Regis custodia selectis. *Victoriæ effectus.*

Mel. Quæ reprobatio *Saulis*, & quænam illius causa, atque occasio? *Saulis reprobati Causa Quæ?*

Leuc. *Inobedientia*, qua sensim per gradus descenderat in scelerum profundum. Quamdiu DEO erat obediens, loquebatur victorias, sed diu non loquebatur: nam inter quatuor ferè lustra, * quibus tenuit solium, non nisi *A. M. 2964. Inobedientia.*

* *Quæres primò,* Cur *Saul* dicatur quatuor ferè lustra regnâsse, cùm *Actorum 13. 21.* dicatur regnâsse 40. annis? Respondet *Salianus ad a. M. 2962. in epitome*: *Saulis* regimen cadere in *A. M. 2962.* quod *Samuele* vivo per annos 16. eo mortuo per biennium extraxit ut adcò regnârit annos 18. non completos, seu lustra ferè quatuor. Hinc dum Apostolus asserit, *Saulem* quadraginta annis regnâsse

nisi biennio eum regnâsse asserit Divinus Codex: adeò in Cœlestem computum non veniunt anni, quos vivimus, nisi bene vivamus.

Occasio primæ inobedientiæ Quæ? Jonathas.

II. *Occasionem primam* dederat *Jonathas*, *Saulis* Filius. Hoc quippe in urbe *Gabaa Philistæos* per excursionem bellicam irritante, mox conclamatum ad arma est. Unde *Saul* collecto quoque exercitu castra locavit in *Galgalis*, jam priùs â *Samuele* monitus DEI nomine, dies septem cunctaretur, nec nisi Cœlo, per victimas *Samuelis* propitio, discriminis aleam tentaret. Labebatur jam dies septimus, & *Saulis* copiæ, infinita hostium multitudine territæ, primò viritim, denique manipulatim quoque dilabebantur, terrore hos in cisternas, illos in spelæa montium abigente. Quid ageret Rex de Prophetæ adventu jam dubius? moræ pertæsus sub vesperum sacrificia immolat, *Achiæ* operâ, quibus tantùm abest, ut placaverit Numen, ut etiam quàm maximè irritârit.

Pœna.

III. Mox enim de *Ramatha* superveniens *Samuel*, obviàm procedenti exprobrat stupidum,

regnâsse, complectitur etiam annos *Samuelis*, qui solus viginti annos, unà cum filiis per biennium rexit Populum *Israël*, quos annos viginti duos si addas octodecim annis *Saulis*, computus dabit annos quadraginta. vide *Saliani* annales, in quibus fusiùs hæc demonstrantur. *Quæres 2.* Cur *Saul* dicatur *duos annos regnâsse in Israël 1. Reg. 13. v. 1.* Reponit D. *Hieronymus*. *Sic erat innocens, cùm regnare cœpit, sicut est filius unius anni:* igitur cùm non nisi biennium fuerit simplex, & innocens, biennio solùm regnâsse dicitur.

dum facinus, non nisi frivola necessitatis specie velatum, & in pœnam perfidæ mentis sceptrum â suis Posteris auferendum denuntiat: sic *Samuel*, sic ipse etiam Rex de *Galgalis* ascendit in *Gabaa*, non nisi sexcentis militibus stipatus, si tamen milites dicas, quos armorum penuria sic exarmârat, ut non nisi *Saul* & *Jonathas* gladio cingerentur.

Mel. Quid in hoc bello contra Philistæos memorabile contigit? *A. M. 2965. Memorabilia in bello contra Philistæos Quæ? Jonathæ Heroicum facinus Quale?*

Leuc. Jonathæ Heroicum facinus: dura Patris in eum sententia: Hostium clades. Prope *Machmas* è loco prærupto *Israëlitas* despiciebant hostium castra, iisque indies minabantur interitum, nî *Jonathas*, DEO animos inspirante, periculum discussisset, rem aggressus humanis viribus majorem. Inscio Patre, non nisi armigero stipatus, in conspectum egreditur: ascendere ab hoste jussus (quod illi omen victoriæ fuerat) sine mora per saxa, per præcipitia ad stativa usque perreptat, & mirum dictu! hostem attonitum invadit, obvios quosque sternit, & DEO terrorem pannicum in castra præmittente, tanda clade confundit acies, ut mutuis se se gladiis ipsimet, cruento prodigio, conficerent, victores simul & victi, hostes pariter & amici.

II. Tumultu cladis in castra *Saulis* delato, is protinùs in hostem copias movet, & decem millibus auctus (nam victoriæ fama è spelæis rursus protraxerat imbelles) fugientibus instat, imprecans illi anathema, qui hoste necdum deleto quidpiam gustare fuisset ausus. Redux tandem ad prædam victor, reparatis paululùm viribus, hostem ulteriùs persecuturus, Oraculum consulit: sed frustrà. Silentii causa per sortes explorata, in *Jonatham* *Patris sententia quæ, & cur?*

tham nil opinantem devolvitur, qui jurisjurandi Paterni inſcius, ſummitate virgæ mellis modicum deguſtârat. Et propè magni ſtetiſſet illi hoc modicum, Parente mortis ſententiam in filium pronuntiante, ni Populi favor Parenti filium, fatis Heroem, mortique victorem tantum eripuiſſet.

Victoria relata Quanta?

III. *Saul* denique hac erectus victoriâ, longè latéque terrorem ſpargit: devictis *Moabitis*, & *Ammonitis*, arma victricia in *Idumæos*, *Philiſtæos*, *Syros*, *Amalecitas*, alióſque hoſtes circumfert; quocunque ſe vertit, ubique victor, cum ingenti præda Domum revertitur.

A. M. 2968. Reprobatio Saulis ſecunda: cauſa quæ? inobedientia. Occaſio. Bellum contra Amalecitas.

Mel. Qua denique cauſa, & occaſione translatum â *Saule* Regnum?

III. Mox Saul fit reprobus.

Leuc. *Cauſa* iterata inobedientia; *occaſionem* præbuit bellum, Authore DEO ſuſceptum contra *Amalecitas*, quos completâ ſcelerum menſurâ, exciſos funditùs, & anathemati ex aſſe ſubjectos voluit. Plusquàm ducenta militum millia ſub ſignis regiis *Saul* numerabat, quibus expeditionem cœpit fortiter, Deóque auſpice finivit feliciter, ferro hoſtem, flammâ urbes, & oppida devaſtante. Sed tamen impia pietate ignovit *Agago Saul:* Populus, nequicquam fidelior Rege, optimis ſpoliis ſacrilegâ avaritiâ pepercit, tanta Numinis indignatione, ut protinùs per *Samuelem* (fruſtrà ſententiam deprecatum) eidem denuntiârit, auferendum quamprimùm ab eo ſceptrum, Regnúmque in meliorem ſe transferendum.

Sententia Numinis.

II. Nec culpam minuit pietatis fucus, quo meliorem prædam DEO pro ſacrificiis ſervatam veriùs finxit, quàm dixit: Nam audiît *meliorem victimis eſſe obedientiam.* Hujus

con-

contemptu acriùs exprobrato, cùm se proripere tentaret *Samuel*, retentus â Rege est pallio, quod malo omine distractum est illicò in duas partes, ut intelligeret, purpuram pariter divisam, Regnúmque â Numine jam translatum. *Samuel* persuasus tandem, ut sacrificium cum Rege perageret, victimam, cunctis bobus pinguiorem, *Agagum*, tremente abdomine, adduci jussit, quem sectum in frusta immolavit Divinæ Nemesi, dudum pejora promeritum. Subin Propheta *Ramatham* reversus, nec ampliùs *Sauli* visus, quamdiu vivus.

§. II.

Saulis Regimen usque ad Davidem plenè coronatum.

MEl. Quis reprobato *Sauli* Rex â Numine substitutus? *Sauli substitutus Quis?*

Leuc. David, filius *Isai*, sive *Jesse*, viri *Bethlehemitæ*, qui celebris inter suos & agri dives. Hîc duo memoratu digna, *unctio*, & *unctionis effectus*. *A. M. 2969. David.*

I. Dum *Samuel* fata *Saulis* incassum luget, sacrificii specie ablegatur â DEO in *Bethlehem* Judæ, ibidem inter filios *Jesse* electum Regem intellecturus. Producti â Parente septem filii, ætate, non meritis majores, neglecti sunt â DEO omnes: unicus â Patre neglectus, Numini electus fuit, quia meritis major, etsi natu minimus, staturâ & annis parvulus *David*. (a) Agebat tunc fortè ruri pascendo gregi intentus, cùm *Samuelis* jussu advocatur, & inopinata catastrophe, cum sceptro *Davidis unctio.* *IV. Reprobati sceptra Davidem condecorant.*

 pedum

(a) *ætatis 19. an.*

pedum mutare juſſus, Rex *Iſraël* â Propheta inungitur.

Unctionis Regiæ effectus. II. Et ne comica ſolùm videri poſſet hæc unctio, Spiritu Principali, & Regio, â *Saule* translato, mox confirmatus, alium ſe ſe ſenſit, atque obſtupuit. Nam cùm in paſcuis ad cytharam pſalmos modularetur Augur, non nunquam urſos, non nunquam leones gregi infeſtos, leoninus Heros proſtravit, diſcerpſit, non aliter, *ac ſi cum leonibus quaſi cum agnis; & cum urſis quaſi cum vitulis* luderet.

Robur inſolitum.

A. M. 2970. Ars muſica dæmones pellens. III. Accidit inſuper, ut *Saul*, jam bono ſpiritu deſtitutus, malum ſentiret, qui melancholico uſus humore, ſæpè ſæpiùs animum conturbârat: remedium unicum judicatus eſt Pſaltes, & accerſitus *Jeſſeus* hic *Orpheus*, qui ludendo tam bellè luſit, ac deluſit tetrum hunc Spiritum, ut Regi, cùm à forma, tum ab arte muſica gratus hic cytharædus, prætorianæ cohorti adſcriptus ſit. Sed brevì Aulicis expeditus turbis, ad ſua paſcua rediit, non ignarus, quantò meliùs eſſet, in vallibus quiete frui, quàm in lubrico Aulæ culmine titubare.

A. M. 2971. *Mel.* Quid in duello *Davidico* memorabile?

In duello Davidis cum Goliatho advertendum Quid? Apparatus Quis? *Leuc.* Tria: *Apparatus*; *Duelli ratio*; *Triumphus*. *Mars Philiſtæus* denuò cecinerat claſſicum, validus utrinque exercitus montem geminum occupârat, eventu dubio in *Terebinthi* valle ſuſpenſam tenente fortunæ rotam. Hoſtis ut ſanguini parceret, veriùs ut timori conſuleret, Monomachiam obtulit *Iſraëlitis*, *Goliatho* fretus, viro Giganteæ molis; nam decem pedes cum dimidio emenſus, genere ſpurius, patriâ *Gethæus*, tanto chalybe

V. Sternit Goliathum hic parvulus Heros.

lybe ſe obvallârat, ut ſola haſta ſexcentos, lorica quinquies mille ſiclos appenderit. Jámque per quadraginta dies mane ac veſperi, tumido turgens faſtu, provocaverat caſtra *Iſraël*, Antagoniſtam expoſtulans, qui ſolus cum ſolo de rerum ſumma congrederetur. Sed ſolus monſtri aſpectus ſic perterruit *Hebræos*, ut exprobrantis opprobria audire, quàm pugnantis robora experiri mallent, ingenti utique nominis *Hebræi* dedecore. Fortè *David* inviſurus ad Fratres, qui tunc ſub regiis vexillis ſtipendia merebantur, in caſtra venerat cum comeatu: vidit *Goliathi* faſtum, atque obſtupuit effœminatos exercitûs terrores. Et ubi inaudiît promiſſa victori præmia, Regis nempe filiam pro ſponſa, amplas opes pro dote, immunitatem â tributis pro domûs paternæ gloria, mox Gigantomachiæ ſe obtulit, parvulum quidem, ſed animis, Deóque plenum. Multùm increpitus â fratre *Eliab*, qui ſuâ, id eſt, leporina decempeda Heroem maſculum metiebatur, nihilominùs ſe ſtitit Regi, animos aperuit, leonum exuviis jam probatos: unde apparatu armorum Regio indutus ad duellum ſe ſe mox accingere juſſus eſt. Sed inſueto onere gravatus potiùs, quàm armatus, *Sauli* arma reſtituit, ſolóque pedo, paſtoritia fundâ, peráque limpidiſſimis quinque lapillis, quos de torrente ſelegerat inſtructâ, inſtructus ipſe contra *Goliathum* progreſſus eſt.

II. Vidiſſes hìc maſculum, aſpectu pulchrum, non niſi fundâ armatum, ac pera: ibi Gigantea mole ambulantem coloſſum *Rhodium*, vivum *Martis* armamentarium. Audiviſſes *Thraſonem*, blaſphemo ore intonantem minas, miniſque mixta deſpuman- *Duelli ratio Quæ?*

tem opprobria. Audivisses, inquam nunc indignari, quòd canis instar baculo peteretur â puero; nunc despicere pumilum, ni facesseret illicò, pedibus conterendum, futurum corvorum pabulum. Percepisses contrà *Heroëm* parvulum, DEO fretum, solo Numinis Nomine se accingentem, retorquere opprobria, se se intrepidè turgido blateroni opponere. Et verò vix in arenam progressus est *Goliath*, cùm *David*, circumactâ ter fundâ, silicem eo impetu intorsit effronti fronti, ut corruerit illicò moles carnea, citiúsque se victam senserit, quàm pugnârit. Mox victor glorioso pede prostratum premens, proprio ejusdem gladio caput demessuit, cúmque relatis spoliis ad *Saulem* contendit.

Triumphus Quis? III. Hoc spectaculo fracti animis *Philistæi*, in effusam continuò dilapsi fugam, ab instantibus *Hebræis*, tergáque cædentibus, tanta strage affecti sunt, acsi omnium capita unius in *Goliathi* corpore stetissent. Expilatis castris reversos in sui admirationem victor; *Jonatham* in tantum sui amorem traxit, ut in gemino corpore unam posthac spirâsse animam crederes: immò & vestibus, & armis suis eum induit *Jonathas*, ut amici quoque induisse corpus, alter hic *Jonathas* videretur. *David* in triumphum tulit *Goliathi* caput, *Sauli*que obtulit, ensem in Tabernaculo pro anathemate suspendit. Cæterùm cùm obviàm effusæ virginum cohortes victorem exciperent hoc epinicio; *Percussit Saul mille, & David decem millia*, ode invidiosa Regis adeò offendit aures ut ipsum octennium implacabili odio persecutus sit illum, quem amore prosequi debuisset. Verbo: Beneficiis *David*, *Saul* odiis certavit, & insidiis super

instruxit

instruxit insidias, quas, nisi adjutore DEO, *David* non superásset.

Mel. Quibus insidiis *Davidem* impetiit *Saulis* livor? *Insidiæ Davidi structæ Quæ?* *VI.*

Leuc. Innumeris.

I. Bis malo Spiritu (livoris crediderim) Rex agitatus, contortâ in Psaltem innocuum lanceâ, bis eundem transfigere est conatus: sed ictum fefellit *Davidis* dexteritas, verticem sic declinantis, ut telum innoxium non nisi parietem perforaret. Hunc Saul persequitur. *A. M. 2971. bis lanceâ appetit.*

II. Bis victori promisit, bis negavit primogenitam filiam *Merobem*, quam ubi *Hadrieli* haud meritò despondisset, tandem *Micholem* secundogenitam obtulit, nec sine nova perfidiâ, quia novo periculo emendam: nam pro dote centum *Philistæorum* præputia petiit, quos priùs superaret Tribunus, id quod præter spem Regis, tam egregiè præstitit *Dvvidis* virtus, ut etiam ducenta eidem, & sine mora, victor obtulerit. *A. M. 2972. Hostibus objicit.*

III. Sic factus tandem est gener, nec tamen amicus Regis, odio in apertas flammas mox erumpente: nam palàm animavit Rex Proceres, *Jonatham* præprimìs, ut Regni æmulum mitterent ad plures: sed hic probavit se filium meliorem Patre, quia innocentis amicum, quem sic Patri suâ suadâ conciliavit, ut tutus in Aula *David* jam sibi degere videretur. Sed visus solummodò: nam Rege ad ingenium, malo Spiritu ad Regis genium redeunte, hostili lanceâ impetitus denuò *David*, declinavit denuò ictum, & etsi non ictus, sic sapuit, ut fugeret Aulam, cytharáque domi securiùs ludere constitueret. *A. M. 2973. Iterum confodere tentat.*

IV. Sed neque domi diu licuit esse tuto: nam missus satelles, qui reduceret vinctum, *Domi capere nititur.*

furori Regio immolandum; ſalutem invénit in conjuge, quam non niſi in ejus exitium Rex deſtinârat. Hæc adverſa domûs parte per feneſtras demiſſo *Davide*, ſimulato morbo luſit apparitores, ſicque deluſit, ut *Davidem* dum quærerent, nil niſi ligneum *Davidis* ſimulacrum in thoro poſitum invenirent.

A.M. 2973. Fugitivum perſequitur.

IV. Fugitivum in *Ramatha*, Regis juſſu perſequuti ſunt lictores venatici, ſed dum in prophetarum manipulum fortè inciderent, & ipſi, entheati ſubitò, prophetârunt: idem fatum ſubmiſſis aliis, aliiſque, & ipſi *Sauli*, ſuis denique ſuccedenti, accidit, adeò, ut qui priùs homicida inter ſicarios fuerat, nunc inter Prophetas vatidicus rediret in *Gabaa*, iñoxiis manibus, non item mente, quæ ad ſolitam brevì dementiam rediît.

A. M. 2973. Maleficia alia Saulis in Davidem Quæ? Urbe Regia fugere compellit.

Mel. Quæ *Saulis* alia in *Davidem* maleficia?

Leuc. I. In urbem Regiam occultè reverſus *David*, & *Jonathæ* queſtus infauſta fata, ſancito amicitiæ fœdere, necdum placatiores Regis advertit iras. Nam *Jonatham*, *Davidis* cauſidicum, propemodùm lanceâ confodiſſet, duriora utique facturus *Davidi*, nî triplicis ſagittæ ſigno â *Jonatha* monitus, fugâ ſaluti conſuluiſſet.

Fugitivum excipientes occidit.

II. Delatus igitur hic exul in urbem *Nobe*, ab *Abimelecho* Sacerdote, qui Regis in *Davidem* iras haud ſciverat, pane ſancto non refectus ſolùm, ſed etiam *Goliathi* gladio eſt armatus: mox fugit ad Regem *Achis Gethæum*, â quo prætorianæ cohorti adſcribi promeruit: ſed brevì proditus, non niſi ſimulatâ amentiâ evaſit in tutum.* Inde in *Odollam* fugitivus, collecta Popularium manu, ſibi, ſuæque familiæ exuli quæſivit aſylon apud *Moa-*

* *An peccaverit David? vide Annatum in Appar. ad Theol. dub. 11.*

Moabitarum Regem in *Maspha*: ſed *Gadi* Prophetæ oraculo in Patriam redire juſſus, cùm lateret in *Haretæo* ſaltu, audivit ex *Abiathare*, *Saulem* antiquum furorem furere. Nam hic triſtis nuntii bajulus *Davidi* retulit, *Abimelechum* Parentem, â *Doëgo* proditum, quòd nuper profugo hoſpitium dediſſet in *Nobe*; accitum proin â Rege ſacrum Antiſtitem, & velut perfidiæ reum, unà cum octoginta quinque Sacerdotibus lanienæ Procerum eſſe objectum; cúmque nemo ferrum ſacrilegum ſtringere auſus eſſet, Proditorem *Doëgum* ſe obtuliſſe, qui unus omnes, crudelitate ſacrilega, ambitioni regiæ immolâſſet. Addebat, non ſtetiſſe hic *Saulis* rabiem, ſed inſuper urbem *Nobe* everſam funditùs, nulli ætati vel ſexui parcente ferro, nulli pecori vel ædi parcente flammâ: adeò horrendum incendium vel ab unica livoris Regii ſcintilla eſſe excitatum. *A.M. 2974.*

III. Intereà factum, ut *Philiſtæi Ceilam*, *Judææ* urbem, oppugnarent: adfuit in tempore *David* cum expedito agmine, hoſtémque obruit, & profligavit. Sed urbem ingreſſus, cùm *Saulis* exercitu imminente, ex oraculo ſe ſe hoſti tradendum intellexiſſet, deſeruit perfida mœnia, ac cum ſexcentis commilitonibus, in deſerto *Ziph*, & *Maon* tutiora inter feras quæſivit latibula: ſed etiam hìc â *Saule* inveſtigatus, & jam jam caſſibus ſtringendus, haud dubiè periiſſet, nî *Philiſtæi* latrunculi, iterum irruentes, *Saulis* arma aliò avocâſſent. *A.M. 2974.* *Ubique perſequitur.* *A.M. 2975.* *A.M. 2976.*

Mel. Quæ beneficia *Davidis* in *Saulem*? *Beneficia Davidis in Saulem Quæ?*

Leuc. Majora, quàm quæ ab amico, ne dicam hoſte, ſperare Rex perfidus poterat. *VII.*

I. *David* aſylo nullò ſat tutus, tutiora in præ- *Licèt hoſtem ſæpè Davidis ſervâtit Pietas.*

præruptis *Enggadi* jugis quæsiverat: eodem eluctatus & *Saul*, dumque prædam capere tentaret, ipse propemodum captus est; *David* certè in spelunca deprehensum Regem ictu unico conficere poterat, sed parcere maluit quàm ferire, chlamydis oram abscidisse contentus. Hæc Heroica virtus sic Regis animum mitigavit, ut lacrymis culpam testantibus, successorem â DEO destinatum, agnosceret, exacto etiam â *Davide* jurejurando, ne stirpem, paterni criminis ream, quondam penitùs extirparet.

Deprehenso parcit, orâ chlamydis abscissa.

A. M. 2977. Nabalis injuriam vindicat.

II. Intereà dum fatis concessit *Samuel* in *Ramatha*, *David* & Patrono hoc destitutus, & *Saulis* mutabili genio diffisus, cùm undique inopiâ premeretur, ascendit in *Carmelum*, ut à *Nabale*, viro armenti, agríque divite, sibi suísque subsidia peteret. Sed convitia retulit, qui vitium nullum, humanitatem multam *Euclioni* fecerat hactenus. Hinc ferro ulturus factam suis injuriam, offendit *Abigaëlem*, *Nabalis* stulti conjugem, quod mireris, prudentem. Hæc *obviàm Davidi* facta largo cum commeatu, & deprecata injuriam, & precata, ne viro stulto responderet juxta stultitiam, opportunâ suadâ præsens exitium avertit. Immò cùm virum pauculos intra dies sive timor, sive DEI Nemesis sustulisset, *Abigael* â *Davide* invitata ad thorum est, cùm jam priùs *Saul*, novâ injuriâ, *Micholem* alteri cuidam *Phalti* conjugem elocâsset.

A. M. 2978. Dormienti parcit surreptâ hastâ & Scypho.

III. Intereà *Saul* prioris jam beneficii immemor, investigavit denuò *Davidem*, in petra *Haibila* latitantem. Sed hic favente Numine, cùm inimica castra profundior solito ligâsset sopor, in *Saulis* usque tentorium penetrans, scyphum cum hasta abstulit. Caput

ipsum

ipſum abſtuliſſet *Abiſai*, *Davidis* comes, nî hujus clementia ferrum præfervidum avertiſſet. Agnovit *Saul* denuò diſcrimen inter pietatem *Davidis*, ſuámque malitiam; ex diſcrimine agnovit beneficium vitæ, odiáque depoſuiſſet, nî mens læva illum dediſſet pridem in ſenſum reprobum: *David* certè verborum melle, quo denuò oblata eſt ei gratia, neutiquam illectus, ad *Achim Gethæorum* Regem profugit denuò, ne toties eluſis inſidiis tandem in caſſibus hæreret. Liberaliter exceptus hoſpes, urbem *Siceleg* in ſedem obtinuit; unde cum expedita ſuorum manu longè, latéque prædas egit *Philiſtæis* è finibus, *Achi* interim obtrudens palpum, ac ſi *Iſraëlem*, ſibi Regíque infenſum, ejusmodi cladibus debellaret. *A. M. 2979.*

Mel. Quo tandem fato *Saul* vitâ ſimul, & Regno excidit? *Saul mortuus Quomodo?*

Leuc. Bello, quod contra *Philiſtiim* infauſto omine tentârat. In hoc memoratu ſunt *digna præludia*, & ipſa *Clades*. *A. M. 2979.* *VIII.* Proprio Saul denique ferro corruit.

I. *Saul* Caſtris in *Gelboë* poſitis, cùm innumerabilis hoſtium copia oculis ſe ſe objiceret, meritò territus, & de incerta belli alea anxius, explorari Oraculum juſſit. Sed hìc altum erat ſilentium, omen utique peſſimum. Hinc cùm Superos non poſſet, *Acheronta* movere ſtatuit. Quis credat? qui priùs Magos Regno exegerat, nunc mutato habitu *Pythoniſſam* adit in *Endor*, ejus operâ *Samuelis* manes ab inferis evocat, * auditque oracula *Præludia cladis.* *Samuelis ſuſcitatio per Pythoniſſam.*

* *Quæres primò*, An verus *Samuel*, an ejus potius umbra, â Dæmone conficta, apparuerit *Sauli?* Poſteriùs ſenſére *Theodoretus*, *Beda*, & alij. primò, quia ad præſtigias Pythoniſſæ apparuit

cula, quæ tutiùs non indagâsset. Nempe sibi, suis, totisque castris imminere fata intelligit, periturum tandem fato commerito, qui DEO toties rebellis, *Davidis* æmuli fata toties ex optâsset. Hæc ille ex tripode infausto.

Davidis exclusio â bello ob Satraparũ suspiciones.

II. Intereà *David*, qui cum *Achi* morabatur in castris, Satrapis suspectus, ex acie *Philistæorum* dimittitur. Is in *Siceleg* reversus, cladem videt ab *Amalecitis* illatam, urbem stupet incensam, raptas cum filiis cernit conjuges. Hinc dolore stimulatus, hostem DEO probante, â tergo mox ultor insequitur, palantes obruit, obtruncat, spoliisque onustus unà cum omni prædâ, sibi suisque priùs ereptâ, victor regreditur.

Clades Israëlitarum desideratis filiis Regis.

III. Hæc dum aguntur, utraque acies infestis signis congressa, jam magnam cladem ediderat, hìc irruentibus *Philistæis*, illic resistentibus necquidquam *Hebræis*: hinc victoriâ in partes *Achis* sensim se inclinante, turbantur *Israëlitici* ordines, fusique fugam arripiunt. *Saul* desideratis jam filiis, *Ami*nada-

paruit. 2. quia nulla sagis in animas est potestas. 3. quia â *Saule* adorari se passus est. 4. quia dixit; *cras tu, & filij tui mecum eritis.* Sed veriùs sentiunt S. *Ambros. August. Hieronymus* & alij, qui ex illo *Eccles* 46. v. 23. *& post hæc dormivit Samuel, & notum fecit Regi finem vitæ suæ* colligunt, veram *Samuelis* animam apparuisse. Hinc nutu Numinis, non Pythonissæ incantamẽtis apparuit, ùt colligitur *ex 1. Reg. 8. v. 12.* adde quòd adoratio illa non nisi politicũ fuerit timoris, & reverentiæ signũ. Demum illa verba: *mecum eritis*, non *limbum*, sed Regnum mortuorum significant. *Vide Petri Annati apparat: ad Theol. l. 2. Dub. 10.*

Quæres 2. An verum fuerit corpus *Samuelis*? ℞. Fuisse ex aëre formatum.

nadabo, *Melchiſua*, & *Jonatha*, cùm hoſtium impetu obrutus, nec uno jam vulnere ſaucius, vitam in vinculis nollet, mortem ab armigero expoſcit, ſed fruſtrà. Hinc ſuo ſe ſe ferro jugulat carnifex, fato minùs dolendo, niſi inter tot innocentes etiam *Jonatham*, meliora fata promeritum, ad umbras ſecum traxiſſet infelix Pater. *Saulis*, & filiorum cadavera, ad ludibrium in muris *Bethſan* ſuſpenſa, *Jabeſitæ*, furori hoſtium ſubducunt, perſolutis juſtis comburunt, ii ipſi nempe, quos olim *Saul Naaſi* tyrannide liberârat, beneficium, quod vivo non poterant, ſaltem mortuo referentes.

Spontanea Saulis morte.

Mel. An *Saule* mortuo tandem *David* conſcendit Solium?

A.M. 2979. David Rex Juda Quomodo?

Leuc. Conſcendit, ſed non niſi per gradus: nam vix bene finita clade, adeſt in *Siceleg* quidam *Amalecites*, *Saulis* fata annuntiat, mortis ſibi ipſi illatæ & oculatum teſtem, & adjutorem ſe aſſerit, Diadema offert, & poſt tot diſcrimina rerum tandem ſolium gratulatur. Quis non crederet, *Davidi* grata hæc nuntia, largóque naulo Nuntium hunc donatum? Sed oſtendit hac occaſione *David*, ſe dignum ſolio, quod Rex conſcenderet, non Tyrannus. Conſciſſis veſtibus inimicum *Saulem* luget velut amicum, deplorat *Jonatham*, montes *Gelboë* execratur, illicóque per ſuos mactari jubet hunc mortis regiæ bajulum, condigno fato, utpote qui fata Regis promovere priùs non horruiſſet. Tandem conſulto Oraculo, aſcendit in *Hebron*, ibíque â Tribu ſua, *Juda* ſcilicet, Rex ſine mora agnoſcitur, & proclamatur.

Saulis ſicarius interfectus.

Tribûs Judæ favor proclamãdo Davidem Regem.

II. Sed Regem Regi opponit *Abner*, inimici

Iſboſeth oppoſitus ab Abnero.

ci exercitûs Imperator. Hic quippe collectis reliquiis inter reliquas Tribus Regem proclamat *Isbosethum* (*a*) filium *Saulis*, eique, veluti hæreditario jure, Regis defert insignia, sibi tamen potestatem regiam reservat. Sic unicus hic Bellidu&tor ultra septennium Regnum infausto schismate divisit, & coronam *Davidi* fecit ancipitem, ut ut victoriâ per cunctas velitationes, & prælia in partes *Davidicas* palàm jam visa sit transiisse.

IX. Abnero dubiam faciente coronam.

A. M. 2982. *Inter certamina memorabile quod? prælium ludicrum magna clade finitum.*

III. Hæc inter certamina memorabile illud, cujus initia ludicra, fine serio, quia cruento admodùm, sunt terminata. In confiniis *Gabaæ* uterque exercitus se locârat: Duces *Joabus* & *Abner* (forsan lites quasdam condicto colloquio complanaturi) ad piscinam *Gabaon* consident, & sive animi relaxandi, sive militaris gloriæ studio, gladiatoriis suorum ludis oblectari se statuunt. Selecti ex utraque parte duodecim pugiles, qui initio ludicri, mox calente in venis sanguine serii, demum furiosè adeò congrediuntur, ut vulneribus mutuis omnes conciderint. Suorum clade iratus uterque exercitus, arenam restaurat, fit pugna, aguntur in fugam *Abneri* copiæ, trecentis jam jam desideratis, & desiderandis longè pluribus, nisi, *Abnero* monente, *Joab* signum receptui dedisset. Ex parte *Joabi*, non nisi viginti serium ludum experti sunt, quos inter *Asaël*, *Joabi* nepos, non minùs manu promptus, quàm cursu strenuus, qui pertinaciùs dum *Abnerem* persequeretur, jaculo confossus periit, quod jaculum *Joabo* avunculo tam diu infixum hæsit, usque dum illud in *Abneri* viscera retorqueret.

Mel.

(*a*) *ætatis 40. ann.*

Mel. Qua occasione & Tribus reliquæ ad *Davidis* imperium devolutæ? *A. M. 2985* *Occasio totius Regni ad Davidem devoluti Quæ?* X.

Leuc. Verbum durius, quo *Isbosethus Abnero* malum cum *Repsa*, *Saulis* concubina, commercium exprobrârat, in causa fuit, cur Dux iste deseruerit Regis partes, quæsiverit *Davidis* favores, adductáque conjuge *Michol*, persuasis tandem Tribubus, rei totius summam *Davidi* obtulerit. Quo malè prostrato. *Dissidiũ inter Abnerem & Regem Isbosethum.*

II. Hanc fidem Regi exhibitam palmari perfidiâ exsolvit *Joab*, dum *Abnerem*, sub amicitiæ schemate è via retractum, in porta *Hebron*, *Asaëlis* jaculo, confodit. Proditorium scelus detestatus est adeò *David*, ut sicarium Diris devoverit; multis lacrymis, ingentique luctu *Abneris* Manibus, unà cum Populo, parentârit. *A. M. 2985.* *Abner occisus à Joabo Nepotis vindice.*

III. Hoc diruto Regni fulcro, mitiora fata sperare *Isbosethus* non poterat. Jacebat ille in lecto, qui hactenus per *Abnerem* solummodò steterat, meridiano somno oppressus, morte mox opprimendus: cùm ecce! ùt nunquam dormit in Aulis perfidia, optimates pessimi duo, *Baana*, & *Rechab*, Ostiariâ pariter sopitâ, in conclave latenter irrumpunt, in inguine stertentem confodiunt, abscissúmque caput, veluti optatissimum spolium, *Davidi* offerunt. Sed sciverat Rex, quia pius, quænam merces hos deceat improbos proditores; continuò in frusta secari jubet hæc Aulæ probra, pedibus manibúsque ad horroris spectaculum suffixis super piscinam in *Hebron*; *Isbosethi* verò caput *Abneris* tumulo illatum est. *A. M. 2986.* *Isbosethus interfectus à suis.*

Mel. Ubi & quomodo à *Davide* firmatum tandem Imperium? *A. M. 2987.* *Davidis Imperium firmatum ubi? in Hebron.*

Leuc. Post *Isbosethi* fata, comitiis ab uni-

XI. Res cessit tota Davidi. verso Populo celebratis in *Hebron*, *David* unanimi omnium voce Rex proclamatus, etiam tertiò *Israëlitici* Regni capút inunctus est, quinquaginta septem bellatorum millibus ultra trecenta, jam sponte suâ ad ejus imperia convolantibus.

Regia in Sion. II. Rex animorum calore utendum ratus, sedem Regiam sibi Regnóque, quærere statuit: unde expeditione susceptâ in *Jebusæos*, obsidione cinxit *Sionis* arcem famosam, quia hactenus invictam, & *Jebusæorum* opinione inexpugnabilem. Et verò Præsidiarii naturæ loci, montísque jugo, ac munimentis sic erant confisi, ut deditionem, â caduceatoribus expetitam, non sine probris exploderent; immò claudis, cæcisque præsidii semiviris in muros locatis, dicerent, his victis tum demum arma armis per cæteros repellenda.

III. Hoc probro accensus potiùs, quàm absterritus *David*, ingentibus præmiis propositis, militem animavit ad confundendam *Jebusæorum* proterviam. Nec mora: vidisses illicò certatim admoveri â militibus scalas diversis viis; uno impetu ascendere, vel potiùs in altum volare omnes: vidisses *Joabum* præ omnibus in culmen enisum, erigere primum in mœnibus vexillum, imbelli præsidio clade multiplici profligato. Ob quam Heroicam virtutem in supremi Belliducis munere â *Davide* est confirmatus, cujus indignum *Abneris* cædes nuper effecerat. Arx capta est, præsidiarii jugulati ad unum omnes. Sic *David* repurgatum locùm in Sedem Regiam, *Solymam* verò arci subjectam in Regni metropolim elegit, formavítque.

Obser-

Obſervationes.

Mel. Quæ obſervationes Politicæ? *Obſervationes politicæ Quæ?*

Leuc. Prima confirmat Divinum illud oraculum: *per me Reges regnant*: nempe regalis dignitas ſicut per Deum acquiritur, ita non niſi per Deum pacificè retinetur. Dedit Deus *Sauli* ſceptrum, quia digno; *non erat melior illo*, (a) rapuit, quia indigno: *ideò abjecit te Dominus, ne ſis Rex.* Quid ergò mirum, ſi ablato, quem DEUS dederat, ſpiritu principali, cum Rege Regnum agatur ſæpè in præceps? Nempe ex DEI nutu, legúmque præſcripto regendi ſunt Populi, non ex arbitrio. Optimè regunt, Authore *Seneca*, quos regit ratio: qui nempe ùt homines ſe ſe gerunt, non hominum Deos; qui dignitatem commodatam conſiderant, non donatam; qui jus, quod aliis dicunt, â DEO dicendum ſibi nôrunt cum tempore. *Proverb. 8. v. 15*

II. Secunda exhibet in *Davide genuinum vitæ aulicæ ſpeculum*: hic quippe repentè Regi chariſſimus; repentè exoſus: jam placet fundâ, jam plectro; mox rurſus diſplicet in ſuo elogio: jam inter primos, & gener, jam ùt perduellis lanceâ configendus: nunc pellitur Aulâ, nunc revocatur: iterum conciliatur, iterúmque exagitatur. Quàm inſtabilis Regum favor! quàm leves ſunt gratiæ! quàm graves offenſæ! nempe ſatìs eſt ad odium, *placuiſſe.*

III. Tertia monſtrat Aulam veluti *tragicum non raרò invidiæ, & perfidiæ theatrum:* hæc veritas apparet in *Saule*, *Joabo*, *Abnere.* In Aulæis non nemo (b) ſic depinxit

 Invi-

(a) 1. Reg. c. 9. v. 2. (b) Vide P. Pexenfelder

Invidiæ indolem; Malum genitum â bono; caligo oriens â splendore; â pulchritudine nata deformitas; rivus fellis à fonte mellis promanans; ex honestatis radice nequitiæ fructus; ab aliena lætitia proprius mœror; infortunium ex fortuna; umbra non corporum, sed animorum; ægritudo voluntaria; necessarius virtutis hostis.

XII. Observationes Christianæ Quæ? *Divina Providentia in protegenda vera Ecclesia.*

Mel. Quæ observationes Christianæ?

Leuc. Primò Divina Providentia *in sua Ecclesia protegenda:* deficiente *Saule*, electo Populo mox prospicit de *Davide*; nunc suos liberat in funda *Davidis*, nunc in gladio *Jonathæ.* Ipsum *Davidem*, quot non periculis eruit, ut in *Davide* salus Populi servaretur?

In adumbranda.

II. Observanda est eadem Numinis Providentia in *adumbranda vera Ecclesia:* sic Scripturæ sacræ Interpretes (*a*) in *Saule* agnoscunt Synagogam â Numine reprobatam; in *Davide* electam novam Ecclesiam. In *Goliatho* dæmonem, omnésque dæmonis Hæreses; in *Davide Christum*; in funda, & lapide crucem legunt præfiguratam.

In illustranda virtutum exemplis.

III. Observanda est eadem Providentia in vera Ecclesia *virtutum exemplis illustranda.* Quid enim illustrius *Davidis* demissione? *quem persequeris Rex Israël? canem mortuum.* Quid nobilius invicta animi patientiâ, mirâ in DEUM fiduciâ, tot periculis non fractâ, fortitudine insigni, ac vindictæ omnis magnanimo contemptu? nempe *minuti semper, & infirmi est animi, exiguique voluptas ultio.* (*b*) Contrà in stulto *Nabale* elucet avaritiæ genius infelix; in *Abnere* perfidia, Talione, ùt solet, punita; in *Abimelechi* indigna morte,

(*a*) *Cornel. â lapid. & alij.* (*b*) *Juv. sat. 3.*

morte Numinis ultio, sumpta brevì de Rege sacrilego. In *Saulis* vita leges varia vitia, *inobedientiam*, *invidiam*, *ancipitis animi inconstantiam*, *crudelitatem*, *magiam*, *desperationem*, quibus veluti gradibus ruit in reprobationis ultimæ profundum. In ejusdem morte leges denique vitiorum pœnam multiplicem; nam postquàm periît se ipso carnifice, caput præcisum, & in *Dagonis* fano anathematis locô suspensum est. Parentis fato periêre filii, & pœnam sensit tota ejus Posteritas: nam *Isbosethus* occisus, *Mihibosethus Jonathæ* filius, pede captus, alieno cibo vitam extraxit: filii è *Repsa* suscepti, in crucem acti sunt omnes, *Michol* sterilitate punita est, Patruelis *Abner*, proditorio fato sublatus periît.

Mel. Quæ observationes Polemicæ? *Polemicæ quæ?*

Leuc. I. Auctore *Hybnero*: (a) *Mendacium â Michol in necessitate factum pro salute Davidis, sine necessitate non faciendum*: faciendum igitur, instante saltem necessitate, mendacium, forsan inferet Acatholica Juventus. Sed è fallaci doctrina mendacium inferet, utique malè, quia nunquam facienda sunt mala, ut eveniant bona.

II. Sine necessitate non mentiendum *Hybnerus* docet: quæ ergò erat necessitas, ut tot mendacia suis obtruderet, & Sedem Apostolicam præcipuè, tot calumniis Juventuti Acatholicæ in suis opusculis denigraret?

III. E *Davidis* Historia hoc dogma eruit *Hybnerus*: *Unctis Domini parcendum, exemplo Davidis, qui non ausus est Sauli inferre injuriam.* Doctrina optima! sed ab ipso *Hybnero* malè neglecta! Quam si meliùs obser-

(a) *In Histor. 160. ex S. Script.*

vâsset hinc inde in historia Cæsarum, præcipuè tamen in vitis Summorum Antistitum, spongia non foret opus, qua ejus calumnias cum tempore abstergemus.

INSTRUCTIO II.

Regimen Davidis & Salomonis usque ad divisionem Regni Judaici.

Davidis familia quæ? Multiplex.

MElander. Quæ, & quanta *Davidis* familia, cùm ex *Hebron* sedem regiam transtulisset in *Sion*, civitatem *David*?

Leucotheus. E septem uxoribus sex filios cum una filia in *Hebron* illi prognatos Scriptura sacra commemorat. Uxor prima fuerat *Michol*, ob rejectam â DEO Parentis progeniem semper sterilis. Secunda *Achinoa Jezraelitis*, ex qua susceptus est *Ammon* primogenitus. Tertia *Abigail*, è qua *Cheleabus*. Quarta *Maacha* filia Regis *Gessur*, è qua *Absolon*, & *Thamar*. Quinta *Hagith*, è qua *Adonias*. Sexta *Abital*, è qua *Sophatia*. Septima *Egla*, è qua *Jethraham*. His juncta postmodùm *Jerosolymis* est *Betsabée*, è qua *Samua*, *Jobab*, *Nathan*, & *Salomon* prodiêre. Junctæ eidem erant conjuges aliæ, & concubinæ, è quibus novem alias proles nominatas legimus.

Regiminis auspicia Quæ? Virtus Davidis.

Mel. Qua ratione auspicatus *David* regiminis sui exordia?

Leuc. Virtute, & *Religione*, quæ gemina Regnorum sunt fulcra, sine quibus Regnum omne instabile, regimen vanum, Nomen Regium inane.

I. Vir.

I. *Virtute*: Nam *Sionis* munimento sub potestatem *Davidis* redacto, *Philistæi*, suum agi periculum rati, fortunam gemino prælio tentare decreverant: se se opposuit *David*, DEI oraculo fretus, cujus vel solo conspectu sic confusus est panico terrore hostis, ut quaquaversùm diffugeret. Collectum subin ex fuga hostem, rursúmque in pugnam redire ausum, funesta clade affecit Victor. Hoc in prælio id memorabile accidit, ut Rex, vehementi arescens siti, frigidam optaret de cisterna *Bethlehem*, quæ olim pastorculum sapidè refocillârat. Id audientes tres viri fortissimi *Jesbaan*, *Eleazar*, *Semmaa*, suæ fidei, & fortitudinis daturi specimen, ingenti facinore per medios hostium cuneos penetrârunt *Bethlehemum* usque, lymphámque Regi optatam attulêre incolumes. Obstupuit Rex heroicos ausus, lymphámque periculo sanguinis haustam, libare renuit, ac in libamen Numinis effudit victor, unico bello ter gloriosus, quia geminus hostium, & tertius sui.

A. M. 2988

Victoria gemina.

Triplicis Herois fortitudo.

II. *Religione*: Hac enim motus, è Seniorum consilio, Arcam DEI, in *Cariathiarim* urbe decem lustris jam exulem, in montem *Sion* transferre statuit. Adducebatur è Domo *Abinadabi* habitantis in colle, qui *Hebræis* dictus est *Gabaa*: & adducebatur solennitate, quàm fieri poterat, maxima. Viginti quatuor millia, menstruum Regis præsidium, in fronte; â tergo triginta *Israëlitarum* armata millia deductionis fecêre pompam: Arcam in medio trahebant boves, quam præcedebat Rex *David*, comitabantur *Ahion* & *Oza Abinadabi* filii levitæ, cum infinita psallentium multitudine.

A. M. 2989.

Religio Davidis in transferenda Arca.

I.
Rex Arcam transfert.

Ozæ fata. III. Hæc inter jubila deventum eſt in aream *Nachon*, cùm ecce! ſubitus caſus turbavit omnem lætitiam: calcitraverant boves, inclinata in caſum titubaverat Arca, quam dum incautiùs *Oza* ſuſtinere tentaret, illicò exanimis corruit.* Territus inopino hoc fato *David*, ne infortunium ſimile vel ſe, vel ſuos feriret, Arcam deduci juſſit in ædes *Obededom* Levitæ, ſuburbium *Solymæ* inco-
A.M. 2990. lentis. Sed cùm hoc Cœli pignus omni rerum affluxu trimeſtre hoſpitium bearet, excuſſo timore *David*, eam Sacerdotum humeris, ſolenni pompâ, in *Sionis* arcem evexit. Urbs tota in lætitiam effuſa, concentibus & jubilis aëra complebat: Rex ipſe exutus trabeâ, & *Ephod* byſſino, *Levitarum* more, indutus, ſaltu ovantis animi gaudia oſtentârat.

Micholis dicacitas injurioſa. IV. Sed offendit hæc levitas *Micholem*, gra-

* *Quæres primò*, Qualis fuerit *Ozæ* culpa? Rabbi *Salomon* putat fuiſſe *irreverentiam*, quâ Arca bobus com̃iſſa eſt, cùm portari hũeris debuiſſet: vel, ùt *Ribera* cenſet, quâ *Oza*, etſi ſolum̃odò Levita, Arcam tangere præſumpſerit, aut ſaltem *Ephod* induere neglexerit. *Macrobius* neglectum continentiæ adſtruit, eo die præſcriptæ. *Abulenſis* aſſignat *temeritatem*, quâ Arcam, non niſi paululùm declinantem, tetigerit, vel amoto tegmine, interiùs attrectârit. *Menochius* judicat, fuiſſe officij neglectum, quo conſtitutus ad dirigendos boves, arcam expoſuerit periculo caſûs, eámque poſtmodùm retinuerit, quod non Levitis, ſed Sacerdotibus competebat. *Quæres ſecundò* Quanta fuerit culpa? *Abulenſis* & alij putant, culpam fuiſſe ſolummodò venialem, nec niſi temporali morte punitam. *Vide Menochium, alióſque Scripturæ Interpretes.*

gravem utique fœminam, quia arrogantiâ tumidam. Exprobravit Regi ſcurrilem proterviam, ùt loquebatur ſtulta hæc mulier, ſed ſuo malo: nam fœminæ arrogantis dicacitas â *Davide* repreſſa eſt, in memóriam revocato *Saulis* Parentis caſu: immò & ſterilitatis opprobrio â DEO depreſſa eſt. Sic inter ſacrificia finitâ ſolennitate, remiſſus eſt cum muneribus Populus: Divino cultui præfectus *Abiathar* Sacerdos ſummus: Arcæ præpoſitus *Aſaphi*; excelſi *Gabaonitici*, ſeu *Moyſis* Tabernaculi cura *Sadoco* Sacerdoti data eſt.

V. Nec ſtetit hîc Regis piiſſimi *Zelus* pro domo DEI: curas vertit ad extruendum Numini templum magnificum, *Nathane* quidem conſilium approbante, ſed improbante DEO, qui id operis non â manibus *Davidis*, humano ſanguine non ſemel tinctis, ſed â pacifico *Salomone* confici voluit: adeò DEO Pacis, raró quidpiam cum *Marte*, etiam juſto, commune! *Templi conſtructio Salomoni reſervata.*

Mel. Quæ *Davidis* fortuna bellica contra hoſtes? *Felicitas, Et victoriæ Davidis quæ?*

Leuc. Regno & Pietate, & Religione ſic ſtabilito, non poterat non eſſe invictus, meríſque glorioſus victoriis.

I. *Philiſtæos*, Gentem *Iſraëli* perpetuò infeſtam, iteratâ attrivit clade, frenóque tributario continuit pauliſper. *A. M. 2991. De Philiſtæis.*

II. Mox *Moabitas* devicit, deletâ geminâ Gentis parte, tertiam tributario oneri ſubmiſit. *A. M. 2992. Moabitis*

III. Tum arma vertit in *Syros* orientem verſus, qui *Moabitis* ex fœdere nuper ſubſidia tulerant: hos victo Rege *Adarezer*, quadrigis mille confractis, & viginti ſeptem *A. M. 2993. Syris.*

millibus victrici ferro deletis sibi subjecit: tum & *Syros Damasci Australes* subegit viginti duo millium strage, sicque totam *Syriam* sibi reddidit vectigalem, ingentibus spoliis *Jerosolymam* in triumphum relatis.

A. M. 2994. Idumæis.

IV. *Idumæi*, deleto *Israëlitarum* præsidio, rursus cristas erexerant: sed missus *Joab* bimestri clade sic attrivit rebelles, ut jugum ferre jam discerent.

Ammonitis. Belli causa quæ?

II. Dat pœnas impius Hannon.

Aulicorum perfidia.

V. Domuit insuper *Ammonitas:* occasionem bello officiosa, quod mireris, *humanitas*; causam *suspiciosa temeritas* dederat. Fatis concesserat *Naas*, Rex *Ammonitidis*, amicus *Davidis*, quia fœderatus: hinc ex amicitiæ legibus Legatos misit, qui *Hannonem* filium consolarentur, & paternæ amicitiæ fœdera confirmarent. Consilium pro pace optimum, ex quo tamen orta sunt belli dissidia. Hæc suscitârat sueta Aulicorum perfidia, qui dicta humanitatis officia in malam partem interpretati, sub amicitiæ larva inimica consilia; sub Legatis latitare exploratores, criminari palàm non verebantur. Rex ipse, quia juvenis, non modò aures accommodavit, sed & sola suspicionis temeritate persuasus est. Hinc malè præsumptam ulturus perfidiam, Legatos excepit ùt hostes, ipsóque jure Gentium violato, singulis rasit barbam dimidiam, quin & vestibus ad nates ignominiosè rescissis, non sine ludibrio publico in patriam remisit. Legati substitêre in *Jericho*, pilos redintegraturi; Aula bellum mox adornavit, misso cum viginti quatuor millibus *Joabo*, qui *Syros*, mille talentis conductos â tergo; *Abisai* frater *Am̃onitas* â fronte eo furore aggressus est, ut terrore cœlitùs immisso confusi,

Quis eventus? Infaustus pro Ammonitis.

fuſi, ferro vindice ſint fuſi penitùs, multóque ſanguine incruentam injuriam expiárint.

VI. Anno ſequenti idem bellum recruduit, *Syris* centum & triginta octo militum millia, & ſeptingentos currus armatos in arenam ducentibus. Tentata denuò eſt belli alea novis viribus, ſed antiquâ fortunâ; nam exorto prælio *Syri* denuò cœlitùs confuſi, magna clade ſuccubuêre, cæſis ſeptem, & octoginta millibus unà cum *Sabacho* Duce, Rege *Adarezer* fugâ vitam, tributaria ſervitute pacem redimente. Sic attritis *Syriæ* viribus, *Ammonitæ* ſoli *Davidis* vindictæ relicti ſunt, in quos violati Juris Gentium reos, dum tota belli moles incubuit, vaſtata eſt Regio, & *Rabbatha* Metropolis obſidione cincta eſt à *Joabo*.

A. M. 2997. Iterum de Syris.

Mel. Quibus gradibus decrevit hæc *Davidis* felicitas?

A. M. 2998. Davidis felicitas quibus vitiis obſcurata?

Leuc. Scelere non uno, in quod prolapſus eſt aliàs piiſſimus Princeps, qui licèt *vir ſecundùm cor DEI*, in tanto tamen felicitatis faſtigio per fragilitatẽ humanam diu firmus eſſe non potuit. Jam quadrageſimum octavum vitæ, & decimum octavùm Regiminis annum inoffenſo pede decurrerat, cùm aliquando per otium conſpexit de ſolario regio *Betſabeam* vicenam fœminam rarioris formæ, quàm pudicitiæ, in horto domeſtico immodeſtiùs ſe lavantem. Ex hac unda mox in oculum evolârunt ſcintillæ, ex ſcintillis in pectus penetravit tantum incendium, ut niſi adulterio reſtingui ampliùs non valuerit.

III. Labitur ipſe David.

Adulterio.

II. Commiſſum in latebris ſcelus, ne in lucem emergeret, advocari maritus debuit, qui non tam *Veneri* quàm *Marti* deditus, in Caſtris *Rabbathæ* trimeſtri integro jam verſaba-

Homicidio.

ſabatur. Domum, conjugémque ſuam ut hac occaſione reviſeret, non modò juſſus, ſed liberaliore quoque *Lyæo* incitatus â Rege eſt. At fruſtrà; DEO non permittente, ut viri probitas ſerviret ſceleri in tegumentum. Hinc eluſis humanitatis hujus fallaciis, in ſcenam doloſa crudelitas prodiît : * exaratæ illicò litteræ ad *Joabum*, quibus ipſum hunc bajulum in fronte urbis obſeſſæ ponere, & derelictum â ſuis, hoſtium furori objicere juſſus eſt. Scriptum, factum; *Urias* dimicans in fronte, deſertus â ſuis, hoſtiúmque telis confoſſus concidit, innocua Regis adulteri victima. Vix *David* inaudiît *Uriæ* fata, cùm *Betſabeam*, jam priùs adulterio junctam, matrimonio ſibi conjunxit, ut ſcelus careret infamiâ, quod coronatum in ſolio jam locaretur. Natus brevì eſt filius, adulterii fructus, quem

A. M. 2999. concepit libido, enixa eſt ipſa crudelitas, homicidio viri obſtetricante. Atque in hujus delicti duplicis contemptu perrexit *David*, tam ſui ſecurus, quàm oblitus Numinis, pudoris ac famæ : adeò vel ipſa ceſpitat Pietas, ſi cæcum Cupidinem habeat pro Duce.

A. M. 2999. *Pænitentia procurata Quomodo?* *IV.* Surgit.

Mel. Qua ratione motus ad pœnitentiam *David*?

Leuc. Miſſus eſt â DEO *Nathan* Propheta, qui ingenioſa oviculæ unicæ, quam Dives pauperi rapuiſſet, parabolâ, & ejus adumbravit malitiam, & ſententiam propriam exquiſivit. Mox declarata pareneſi: *tu es ille vir*; ſcelus exprobravit potenter; ſceleris pœnam in filii morte, in infamia Domûs, gladióque domeſtico eóque perpetuo denuntiavit audacter non minùs, quàm veraciter: vix enim, excepto *Salomonis* regimine, *Israëlitici Jani* Tem-

* *Vide: Men. C. 9. C. 46.*

Templum, unquam clausum, reperies. Ad hæc inopinata fulmina altùm ingemuit piissimus cæteroquin Princeps, & primò suam, deinde filii sui sortem haud siccis oculis lamentatus, transferre culpam, non tamen pœnam auferre potuit.

II. Hæc dum egit, adfuit nuntius à *Joabo* Regem invitans, ut urbi *Rabbæ* jam ad extrema redactæ adesset spectator, suâ præsentiâ animaret pugnam, sibíque compararet victoriæ gloriam. Advolavit illicò, neque segniùs tentari jussit assultum in muros, pridem hiantes; unde effractis portis, urbs capta, promiscuáque clade est sævitum in hostem, desperatâ veniâ pertinacem: lacerati tandem sunt incolæ carpentis ferratis, cultris, serrísque dissecti, gladiis, & securibus truncati, ignibus, fornacibus concremati, utique crudeli supplicio, mansuetudinem *Davidis* non commendante, nisi enormitas scelerum, qua in brachiis Idoli *Moloch* filios, sua viscera, concremârant, parem sceleribus pœnam â victoribus exegisset. Urbs stirpitùs est eversa, immensæ opes, quas in hanc sedem, Regionis metus congesserat, direptæ omnes: *Molochi* corona, auro gemmisque gravis, *Davidi* cessit in spolium, & triumphum: occiso *Hannone*, *Sobi* frater paterno solio, sed tributario est donatus.

Urbs Ammonitica Rabba, seu Rabbatha victa Quomodo?

Mel. Quæ initia infelicitatis D*avidicæ?*

Leuc. *David*, qui hactenus senserat DEUM Parentem, deinceps expertus est Judicem, haud lenta *Nemesi* scelera punientem. Juxta *Nathanis* oraculum, infamia Patris impudentiâ filiorum punita est, adulterium incestu, homicidium fratricidio. Quatuor hîc memoratu digna: *1. Ammonis* incestus. 2. Ejusdem

Initia infelicitatis Davidicæ Quæ?

dem cædes *3. Absolonis* exilium. *4.* Ejusdem cum Patre conciliatio.

A. M. 3000. *V.* Mox corruit Ammon Thamaris incestu. *Ammonis incestus.*

I. Natus quidem *Davidi* fuit hoc tempore *Salomon*, spes magna solii sempiterni: sed quantum solatii *Salomonis* Natales, tantum mœroris *Ammonis* scelus Parenti attulerat. Erat hic primogenitus in ætatis vicenariæ flore; dum inter Aulæ delicias, ùt solet, oculos in *Thamarem* conjecit, formæ lectissimæ Sororem, eóque amore sensim exarsit, ut sibi sit visus perire, *Thamarem* nî deperiret. Et eò devenit tandem amoris furor, ut *Jonadabi* consilio pessimo, languorem mentis languore corporis palliârit. Ad ejus vota accersita est *Thamar*, quæ cùm sorbitiunculam offerret phrenetico, vitium reluctanti animo passa est. Hoc vix illato deferbuit amentis æstus, amórque versus est in odium amore majus, sic ut sororem, quam priùs accersebat amasiam, jam velut prostibulum, è vestibulo ejici mandârit. Unde puellæ bis miseræ, quia amore fratris, & odio confusæ, nil superfuit, nisi opprobrium, quod scissâ veste & lacrymis *Absoloni* Germano questa, in hujus ædibus pudore penè contabuit. Res ad Regem delata, magnos movit mœroris fluctus, sed inanes: nam vel amore primogeniti excæcatus, vel conscientiâ mali exempli absterritus, scelus pro meritis castigare aut noluit, aut neglexit.

A. M. 3002. *Ejusdem cædes proditoria.*

II. Sed indulgentiam Patris correxit vindicta filii, DEO sic permittente, ut Parentum peccata filiorum sceleribus punirentur. *Absolon*, cui jam per biennium hærebat unguis in ulcere, sororis opprobrium ulturus, convivium paravit in *Baalhasor* villâ, ubi pro more Gentis festiviùs sunt tonsæ oves. Invitatus

tus eſt *David* ad ſpeciem, ſeriò Familia regia, *Ammon* primariò, cui uni ferales epulæ pro inferiis deſtinabantur. Et ecce! dum Hoſpites convivantur hilariter; dum genialiter eſtur; dum largiter bibitur; dum *Ammon* præ reliquis ſe ſe liberaliùs poculis proluit, ſubitò deſtinati ad ſignum ſicarii irruunt, *Ammonem* temulentum ſternunt, atque jugulant in momento: fit clamor, turbantur hoſpites, fugiunt, prævolante in urbem famâ, Familiam Regiam ab *Abſolone* ſtirpitùs exciſam omnem: ſed ſatis erat afflicto Patri unius interitus, in quo videbat punitam ſuæ indulgentiæ culpam: ſatis erat alterius ſcelus, in quo cernebat triſtem ſui homicidii pœnam.

III. *Abſolon* ad Avum maternum *Ammiud* Regem *Geſſur*, velut in aſylon ſe ſe proripuit, quem perſecutus non admodùm *David*, mollis vindex alieni ſceleris, utpote quem par culpa judicem arguebat. *Abſolonis exilium in Geſſur.*

IV. Jámque triennium exegerat Exul, cùm *Joabus* Regem, ipſo die jam mitigatum, ſentiens, ſtratagemate eundem conciliare penitùs decrevit. Mulierem quamdam ſapientiâ celebrem, de Urbe *Thecua*, ſubornârat, quæ fictam cauſam de filio perdito, & altero â cognatis pariter perdendo, verâ adeò ſuadâ, ad regium detulit tribunal, ut lucrata ſit cauſam ſimul, & Judicem, qui remoto ſchemate manus dedit, filiúmque ab exilio revocavit. Traduxit ille domi ſuæ biennium, ſed ita, ut Patris aſpectu, Aulæque aditu prohiberetur. Tandem & hujus pœnæ pertæſus, *Joabum* adeſſe voluit; longiùs cunctatum agri incenſa ſegete venire compulit, quo Mediatore tandem conciliatus ex integro; Patris amico oſculo eſt exceptus, quod ami- *A. M. 3005. Reconciliatio facta per Thecuitidem.* *A. M. 3007.*

amiciùs datum, quàm receptum brevì docuit tristis eventus.

Gradus Infelicitatis Davidicæ qui?

A. M. 3005.

Mel. Quibus gradibus crevit infelicitas *Davidis?*

Leuc. Pluribus, iisque sat magnis, quos *Absolonis* struxit *rebellio.* Videbatur Aula tranquilla frui malaciá; sub *Nathanis* magisterio crescebat *Salomon* in spes Regni amplissimas, cùm *Absolon*, fratribus fato præreptis, jam natu maximus, altiores spiritus ancipiti animo volvere occepit. Erat huic cæsaries tam ornata ac aurea, ut nonaginta aureis detonsæ solùm reliquiæ vænirent: erat illi ea formæ præstantia, ut animos non tam attraheret, quàm raperet, quocunque vellet. Accessit formæ is animi fastus, ut subditos â Patre avertere vellet; ea vafrities, & flexanimis suada, ut avertere posset. Hinc Regis instar, jam sibi currus paraverat; jam quinquaginta satellites, qui eum præcederent; equitum prætorianam cohortem, quæ sequeretur: jam â partibus subditos, â consiliis Proceres numerabat, quos inter primus *Achitophel*, vir primi nominis in Aula, quem *Betsabeæ* nepti suæ, nec non *Uriæ* illata injuria dudum â Rege alienum reddiderat. His alis elatus *Absolon*, Religionis prætenso pallio, petiît â Patre, votum jam ante quadriennium DEO factum, liceret sibi tandem exsolvere in *Hebron*, natali urbe, & Patriarcharum reliquiis religiosa. Huc ubi deventum, larva est deposita illicò; accersitus *Achitophel*; in partes tractus popellus, & consonis omnium votis *Absolon* Rex proclamatus.

VI. Perit Absolon ille rebellisj

A. M. 3008.

A. M. 3009.

Fuga Davidis lamentabilis.

II. Jámque cum exercitu *Solymam* movebat Rex iste extêporaneus, pugnaturus contra Patrê filius, contra Patriam proditor, hostis contra amicos,

amicos. Hic tandẽ oculos aperuit *David*, utpote propiore jam jam periculo, ſalutem fugæ committere coactus. Urbe egreſſus eſt cum familia Regia, pedibus nudis, aperto capite, in lacrymas effuſus, prætorianâ *Celethi*, & *Pheleti* cohorte *(a)* Regium latus ſtipante, cui *Ethai*, *Gethæus* Princeps, Regis *Achis* filius, cum manipulo rara prorſus fide ſe ſe adjunxerat.

III. Jam ſuperârat hic purpuratus Exul *Cedronem*, ipſo propemodùm torrente tam triſti ſpectaculo illacrymante; cùm *Abiathar* Regis fata proſecuturus, Arcam cum Levitarum turba adduxit: ſed ſilente Oraculo, remiſſum eſt ſacrum pignus, monito *Sadoc*, ejusque filiis *Jonatha*, atque *Achimaa*, ut *Abſolonis* conſiliis invigilarent. *Occurſus Arcæ.*

IV. Conſcenſo *Oliveti* monte, Rex proruentibus lacrymis valedixit *Solymæ*; forſan ampliùs non reviſendæ: id unum precatus, *Achitophelis*, quem audierat transfugam, machinamentis ſe ſe Cœlum opponeret. Hîc obviàm illi factus *Chuſai*, amicus in paucis, ad omnes fortunæ vices ſe ſe comitem devovit: ſed amicitiam veram probare juſſus eſt amicitiâ *Abſolonis* fictâ, quâ & exploraret molimina, & *Achitophelis* conſilia diſturbaret. *Occurſus Chuſai.*

V. Ulteriùs progreſſo occurrit *Siba*, boni Domini (*Miphiboſethum* intelligo, *Jonathæ* filium) malus ſervus, quia perfidus: is allatis cibariis *Davidis* gratiam mercaturus, fortunas Domini ut mercaretur, hunc conjurationis participem finxit, palmari ſanè calumniâ, ſed tam felici, ut apud Regem in ſuis malis jam malè credulum, haberet fidem, *Siba.*

(a) 600. Militibus conſtante.

quæ hanc perfidiam possessionibus Domini mox præmiârat.

Semei. VI. Jámque *Bahurim* delatus erat Rex profugus, cùm illi obviàm processit *Semei*, vir agnatus *Saulææ* stirpi, quem ipsi sceleri agnatum meritò diceres. Hic inaudita oris proterviâ Regem innocuum maledictis lacessere, alieni Regni usurpatorem calumniari, adulterum vocitare, tyrannum sanguinarium proclamare non erubuit: immò durissima dicta duriùs confirmare ausus est projecto in Regem, ejúsque comites saxorum imbre. Lacerâssent in frusta canem maledicum viri fortes, *Abisai* præcipuè, Regis ex *Sarvia* sorore nepos; sed repressit vindictam mansuetudo *Davidis*, haud ignari, & hunc lictorem scelerum vindicem, â Divina Nemesi fuisse immissum.

A. M. 3009. *Mel.* Quid molitus est intereà *Absolon?*

Acta ab Absolone Quæ? Chusaï suscipit. *Leuc.* Urbem præsidio vacuam impunè ingressus victor, *Chusai* personatum transfugam, velut inimicum Patri, suscepit lætus, & quia noverat virum, haud vulgari prudentiâ celebrem, cum *Achitophele* à consiliis esse jussit, non tam suo, quàm Patris emolumento.

Concubinis Patris illudit. II. Intereà *Achitophelis* scelesto consilio conjugibus decem, quas custodiendo palatio *David* reliquerat, illusit filius degener; impudenter, quia palàm, & erecto supra solarium Regis tentorio; nequiter, quia eum in finem, ut Populus, sic præcisa reconciliationis *Davidicæ* spe, obfirmatiùs in defectione persisteret, & Regni malè parti fundamenta solidiùs stabiliret.

Consilium Chusaï Achitophelis anteponit. III. Atque hujus consilii scelestus Author *Achitophel* aliud addidit tam ingeniosum, quàm

quàm improbum: ajebat, utendum esse jam tempore, permitteret *Absolon*, ut duodecim millium selecta manu, sine mora, liceret sibi *Davidem* obruere, ac imparatum opprimere, antequàm copiis, & munimentis firmiùs se vallaret. Consilium utique prudentissimum, & pro *Davidis* exitio certum, nisi *Chusai*, si quisquam alius prudens temporis arbiter, & simulator egregius, id disturbâsset. Negabat, suffecturum ejusmodi agmen, ut vel Regem, notis latebris tutum, tectúmque, sine clade extraheret; vel florem militiæ, latus ejus stipantem, acie debellaret: consultiùs fore, si collecto exercitu, plenis viribus profligaretur, sic in victoria minus periculi, plus gloriæ futurum. Itum in Politici hujus sententiam, qua, quod intendit, obtinuit, moram nempe *Davidi*, ut saluti suæ magis consuleret. Et enimverò consuluit: nam per *Jonatham*, & *Achinaam* ægrè quidem, sed tamen certior factus de instanti periculo, *Jordanem* trajecit, & in urbem *Mahanaim* munitissimam se recepit.

IV. *Achitophel* indignè ferens, se in suo consilio neglectum, domum abiit, & præ dedecoris impatientia, laqueo gulam fregit, hoc utique epitaphium meritus: *Sta viator, & lege consilium malum consultori pessimum.* * *Achitophel se suspendit.*

Mel. Quo fine terminata tandem *seditio?* *A. M. 3009.*

Leuc. Absolonis morte: Hic enim copiis præfecto Duce *Amasa*, *Davidis* ex Sorore *Abigæa* nepote, ad urbem *Mahanaim* properaverat. Rex inferior viribus (nam ultra quatuor millia sub signis non numerabat, *Josepho* si fides) sed tamen causâ superior, copias, tripartitò divisas, sub triplici Duce, *Joabo*, *Terminata Absolonis seditio Quomodo?*

* An Politici Ectypo? *Men. cap. 8. c. 16.*

Ingenti clade. bo, *Abisai* & *Ethai*, eduxit in aciem, ipse dimicaturus in fronte, nî Proceres intra mœnia tutum retinuissent. Tentata igitur est decretoria certaminis alea prope saltum *Ephraim*; sed brevì apparuit, quòd justa causa triumphet; nam *Absolonis* acies primò cedere, mox solutis ordinibus terga vertere visa est. Pars multa succubuit ferro, pars major instante hoste, præruptis in sylvæ foveis est sepulta, viginti millium lamentabili clade.

Absolonis morte, II. Et ipse *Absolon* dum præcipiti fugâ eundem mulus subduceret, ventilata per auram cæsarie, condensæ quercui implexus, * subitò pependit ex arbore, dignum pegmate altiore spectaculum. Vidit hoc *Joab*, & licèt Rex servari incolumem jusserit, tribus lanceis confossum, ex alto deturbavit in foveam vicini saltûs, ingenti lapidum acervo Mausolæum dante, hoc epitaphio: *Plures neces qui meruit, plures lapides meruit sepulchrales.*

Davidis ingenti luctu. III. *Absolonis* fata sollicito Regi primò obscuriùs per *Achimaam*; mox distinctiùs per *Chusium* insinuata, victoriæ gaudium penitùs turbârant. Dici nequit, quanto mœrore, quantísque lacrymis Rex deploraverit filii infaustam sortem, identidem ejulans: *Absolon fili mi, fili mi Absolon!* Nec Populo de victoria ovanti Rex indulsisset suum conspectum, nisi *Joab* apostrophe militariter feroci, quasi hostes

* *Quæres primò*: An fuerit mulus? *Pineda l. 2. de rebus Salomonis c. 5.* per mulum, de quo sacra Scriptura loquitur, intelligit equum pernicissimum, è certa specie, quam in *Syria* mulis non absimilem agnovit Philosophus. *Quæres 2.* An capite seu collo, an crinibus pependerit *Absolon*? *Josephus* crinibus implexum existimat; quem sequuntur plerique Interpretes.

hostes plùs amicis foveret, illum protraxisset in publicum.

Mel. Quomodo *David* in Thronum *Solymæ* reductus? *A. M. 3010. Davidis reductio qualis?*

Leuc. Magno plausu, nec minore *Davidis* luctu, nulla ampliùs limpida *Davidi* gaudia indulgentibus Superis.

I. Communi veniâ Populo indicata per Legatos se se Regi submisit *Israël*: Tribus *Juda* morosior cæteris, ab ipso Rege sollicitata est: *Amasa* rebellium Primipilus, ne quid impedimenti objiceret, *Joabi*, propediem exauthorandi, munere in partes attractus est. *Communi veniâ attrahuntur Legati Tribuum.*

II. Et verò adduxit hìc brevì Tribum *Juda*, quæ inter festivos applausus Regem per *Jordanem* traduxit, reduxitque *Solymam* versus. *Tribus Judæ reducit Regē.*

III. Hìc primus occurrit denuò *Semei*, sed quàm mutatus ab illo! veniam rogavit supplex, & pro *Davidis* mansuetudine impetravit, frustrà vindictam suadente *Abisai*. *Occurrit Semei. Abisai.*

IV. Subin & *Siba*, tandem & *Miphibosethus* se Regi stitit. Erat hic *Jonathæ* filius, quem etiamnum quinquennem nutricis casus, in *Saulis* clade præproperè nimiùm fugientis, claudum effecerat: illum in *Jonathæ* gratiam, fortunis patriis donatum, mensæ suæ convivam Rex voluit, qui cùm à *Siba* injustè delatum, bonísque exutum se se hîc comprobâsset, restitutus est denuò, sed non in integrum, dimidiam partem iniquo servo deferente Rege, hìc non nisi partem dimidiam justo. *Siba, Miphiboseth.*

V. Hìc *Berzellai Galaadites*, Regi fidus in fuga comes, immò & in castris *Mahanaim* liberalis nutritius, gratiosè dimissus est, ejus locò recepto filio *Chamaam*. *Berzellai, quia octogenarius, remittitur.*

VI. Denique & Tribus *Israël* effusæ sunt ob- *Decem Tribus, occurrunt, móxque orta seditione redeunt.*

obviàm, non sine querelis, quòd Tribus unica, neglectis cæteris, reducendi Regis sibi arrogâsset honores. In seditionem versa sunt tandem verborum jurgia, tubam rebellem inflante *Seba: Non èst nobis pars in David, revertere in tabernacula Israël.* Et verò ad Lares patrios reversi sunt omnes denuò *Israëlitæ*, aperto schismate, Regem non nisi Tribu unica in *Sionis* Regiam deducente.

Expeditio in Sebam rebellem.

VII. Hic concubinis ob *Absolonis* flagitium perpetuo inclusis claustro, in jussis Rex dederat *Amasæ*, intra triduum colligeret copias, quibus *Sebam* persequeretur, decémque Tribus rebelles ad officium rursus reduceret: sed *Amasâ* longiores moras nectente, jussus *Abisai* continuò *Sebæ* vestigia premere; quod dum præstat, juxta lapidem *Gabaon* occurrit cum copiis *Amasa*, séque *Abisai* conjungit. Opportuna hæc *Joabo* visa occasio, qua in æmulum exauthoratus jam stringeret ferrum vindex: strinxit, non ut miles, sed latro: nam sub amicitiæ larvâ: *Salve mi frater!* una manu amplexus *Amasam*, alterâ occulto ferro rimatus viscera, stravit Ducem proditor infami flagitio, non nisi per fatum simile expiando.

Mors Amasæ.

Seditio extincta morte Sebæ.

VIII. Regi inflictum est hoc vulnere vulnus acerbum adeò, ut dolorem tegere etsi vix posset, dissimulare nihilominùs deberet: adeò regnare nescit, qui suo tempore nescit dissimulare. Ad prius fastigium elatus denuò *Joab*, non tam Regis mandato, quàm beneplacito proprio *Sebam* investigavit, qui *Arbellæ* urbi se se incluserat. Jámque suffodere muros, & parare assultum exercitus cœperat, cùm urbi timentes incolæ fœminam mittunt, quæ de muro pacta est cum *Joabo*

bo, daturam se se *Sebæ* rebellis caput, si modò parceret innocuæ urbi: ejectum est caput, soluta obsidio, & unius capite redempta civium capita, unius morte tota seditio est extincta.

Mel. Quibus malis luctuosum insuper fuit *Davidis* regimen? *A. M. 3011. Infelicitatis Davidicæ progressus Qualis? In fame.*

Leuc. Primò *Fame*: Intestino bello tandem sopito, ne unquam mala deficerent, triennalis secuta est fames. Causam Regi Oraculum dedit, *injustitiam Saulis*, qua fucato Zelo, contra datam â *Josue* fidem extirpare conatus sit *Gabaonitas*. Oblata his satisfactio, quam, *Talionis* lege, in *Saulis* extirpanda Familia petiêre. Traditi igitur sunt duo Filii *Saulis* è *Respha*, Nepotes quinque ex *Merobe*; *Miphibosetum* neci subtraxit data Jonathæ, & â *Davide* jurata fides. Hinc propè *Gabaam* crucibus sunt affixi, tam diu mœrente sub patibulis (a) *Respha*, usquedum placata sidera pluvias, *David* natorum cadavera reddidisset, sepulchro patrio tumulanda.

II. *Bello*: Subin quatuor bella ab hoste extero, *Philistæo* scilicet, sunt suscitata, in quorum primo prostratus fuisset *David* â Gigante *Jesbibenob*, nì illum *Abisai* opportunè in auxilium advolans, virtute heroica prostravisset. In quarto alter occisus est *Goliath*, senis utraque manu & pede digitis monstrosus. Cæterùm hæc bella pugnata fortiter, & DEO dante feliciter sunt confecta, ut adeò domitis hostibus tranquillum *Salomoni* sceptrum relinqueretur. *A. M. 3014. Bello.*

III. *Peste*: factum, ut incesseret Regem cupido, exploratas Regni habere vires, sive id vanitas, sive ambitio suaserit, dissuasit certè *Joabus* non malus hac ex parte consiliarius: at fru- *A. M. 3017. Peste. VII. Sævit Pestis.*

(a) *Per sex menses.*

frustrà. A *Dan* usque *Bersabée* instituta lustratio, & in *Juda* quingenta virorum millia, octingenta in *Israël* sunt conscripta, grandi utique numero, sed quem DEUS brevì imminuit. Nam misso Propheta *Gad*, data optio est *Davidi*, triennem famem, aut trimestre infelix bellum, aut denique triduanam pestem eligeret: unum porrò esse jam necessarium. Tristis favor, infelix scrutinium, lis animi horrenda, quam denique sic decidit, ut mallet peste in manus DEI, quàm bello incidere in manus hominum. * Dictum, factum: mox lues contagiosa septuaginta hominum millia absumpsit, ulteriùs grassatura, nî deprecante *Davide*, Angelo funestum gladium in *Solymam* jam extendenti, DEUS ter optimus dedisset *satis*. Locus, ubi visus *Davidi* Angelus recondere machæram vindicem, area erat, quam possederat *Ornan Jebusæus* in monte *Moria*, quam bis mille quingentis aureis emptam Rex Altari pacifico, subin futuro Templi ædificio destinârat.

Mel.

* *Quæres 1.* Quomodo intelligenda sint illa verba *Davidis 2. Reg. c. ult. Meliùs est, ut incidam in manus Domini, quàm in manus hominum*: cùm omnis pœna â Deo proveniat, nec plus in nos homines possint, quàm Deus permittat? Reponit *Menochius Cent. 4. c. 64.* quia Deum respexit, ùt Patrem, homines ùt Justitiæ executores: ille animo paterno, hi immiti plerumque feriunt, & vel ideò pœnam augent. *Quæres 2.* An *David* famem vel pestem elegerit? ℟. S. Scriptura nihil insinuat: unde sunt, qui circa utramque in Dei beneplacitum se se resignâsse *Davidem* volunt: Alij urgente *Gado*, electam pestem autumant, eò quod habeant Septuaginta: *& elegit sibi David*

mor-

Mel. Quis demum infelicitatis *Davidicæ* terminus? *Infelicitatis Davidicæ finis Quis?*

Leuc. Mors sola, quia solus malorum omnium terminus.

I. Jam ingravescentem ætatem, tumultu bellico immunem, in apparatu ad Templum, in Divinis laudibus, psalmisque componendis Religiosus Princeps consumpserat: jam è *Salomone* filio (qui *Naamam*, Regis *Sobi Ammonitici* filiam sibi matrimoniô junxerat) viderat *Roboamum* nepotem, cùm tandem in morbum incidit, vel si mavis, vitium senectutis, quo corporis assiduo frigore, paralysis in morem, sic conflictatus est, ut nulla vestimentorum congerie calefieret. Medicorum consilio, *Abisag Sunamitis*, puella, & formæ & ætatis flore lectissima, seni calorem suffectura, est attributa, quæ tamen nunquam ab illo cognita. *A. M. 3017. A. M. 3018. & 19. Ægritudo.*

II. Morbo accessit afflictio, quæ suam morbo debebat originem. *Adonias* familiæ Regiæ jam natu major, nec fastu minor, ætatis *A. M. 3019. Adoniæ rebellio.*

VIII. Adoniæ turbatus ab ausu, Rex moritur.

mortem. Quæres 3. Cur David potiùs elegerit pestem? ℞. *S. Chrys. hom. 29. in ep. ad Rom. Propterea in optione suppliciorum illorum non famem elegit, non hostilem persecutionem, sed immissam à Deo mortem, per quam sperabat, alios quidem fore securos, se verò ante reliquos omnes è medio tollendum. Josephus* ait, quia per famem, & bellum potiùs subditi, quàm ipse fuisset punitus, qui in munimentis facilè belli mala; per sua horrea famis pœnam faciliùs evitâsset. *Quæres 4.* Qualis fuerit illa pestis? Respondet *Josephus l. 7. Antiq. Jud. c. 10. Talis pestilentia in Hebræos ingruit, ut variis modis absumerentur, nec facilè esset morbum cognoscere. Mors enim una erat, sed plurimis,*

jure ſceptrum præripere tentârat, & â DEO, & â Rege *Salomoni* dudum jam præparatum. *Abſolonem* in *Adonia* redivivum dixiſſes, adeò & ipſe ſibi parari juſſit currus, & equites, cæterámque prætorianæ cohortis pompam, *Davide* denuò paternè nimiùm in omnibus connivente. Sceleri rurſus eſt prætenſa Religio, ſacrificium extra urbem ad fontem *Rogel*, quod coronavit convivium, in quo, ſi excipis *Salomonem*, fratres omnes comparuêre; immò in quo neque primarii Aulæ *Hebrææ* Proceres, quos inter *Joabus* militiæ Princeps, *Abiathar* Sacerdotii Primas, (firma utique conjurationis ſecretæ fulcra) ſuam præſentiam deſiderari paſſi ſunt. Verbo: *Adonias* inter pocula eſt inunctus, inter jubila Rex ſalutatus.

A. M. 3020. Diſturbata Quomodo? III. Non potuit non rei fama latiùs ſerpere: delatus mox rumor eſt ad *Nathanem* Prophetam, ab hoc ad *Betſabeam*, â *Betſabea* ad Regem, qui & Divini oraculi, & jura-

& incompertis cauſis homines rapiebat. Alius enim poſt alium efferebatur, & clanculùm obrepens malum celeriter exitium afferebat; quidam enim repentè cum vehementi dolore, & amaro cruciatu animam exhalabant. Alii paulò lentiore vexati malo, ne curationem quidem ferre poterant, ſed inter officia Medicorum exſpirabant. Alij ſubitò tenebris ob oculos ſubortis excæcati, ſeu præfocati exanimabantur.

Quæres 5. Cur Populus fuerit punitus dicẽte *Davide, ego ſum, qui peccavi, iſti, qui oves ſunt, quid fecerunt?* Reſpondent Interpretes: Populum fuiſſe punitum propter alia, eáque propria ſcelera: *Theodoreto teſte quæſt. ult. ſupra 2. lib. Reg.* inter peccata fuit quoque *defectio Populi ſacrilega* ad partes *Abſolonis* rebellis. alij alia ſcelera aſſignant.

juramenti ſui admonitus, cùm in mora periculum cerneret, ſine mora *Salomonem* miſit, Regem inaugurandum in Arce *Gibon*. Continuò ad *Davidis* juſſa is mulæ Regiæ impoſitus eſt â *Nathane*, inunctus â *Sadoco* Pontifice, clangore buccinæ Rex proclamatus â *Banaiâ* militiæ Principe. Neque hîc ſtetit Regalis pompa. Inter feſtivos Populi applauſus, Prætoriano milite latus ſtipante, deductus eſt *Salomon* in arcem *Sion*, ibique in Patris ſolio collocatus, â *Davide* declaratus ſucceſſor, acceptatus & adoratus eſt â cunctis. Illapſa convivantium auribus hæc *Solymæ* jubila, *Adoniam* primò rapuêre in extaſin, mox â ſuperveniente *Jonatha*, *Abiatharis* filio, declarata uberiùs, ſic hoſpites conturbârunt, ut, quà data porta, dilapſi omnes; *Adonias* ipſe Aſylum quæſierit in Tabernaculo *Gabaon*, tandémque invenerit, utpote cui â *Salomone* data eſt vitæ gratia, qua uti longiùs licuiſſet, ſi libuiſſet.

II. Diſcuſsâ hac nube, orienti *Phœbo* contrariâ, celebrata ſunt Regni comitia, ubi 1. *Salomoni* confirmatum eſt ſceptrum. 2. Coram Aulæ Proceribus commendata eſt Templi fabrica, oblatis ſumptibus. 3. Sacerdotium ſummum *Sadoco* collatum eſt, aliáque Regni negotia ſunt complanata. Tandem datis *Salomoni* ultimis monitis, *Berzellai* filiis ut benefaceret, quia bonis; malefaceret *Joabo* & *Semei*, quia malis, conceſſit fatis (a) Rex per utriusque fortunæ fata â Cœlo probatus, ut videas quot malis exerceri debeant Juſti, usquedum tandem in pace quieſcere mereantur. *

Mors Davidis. A. M. 3021. æt. 70. compl.

§ II.

(a) *an. æt. ſexageſimo primo.*

* *Quæres*, An cum *Davide* fuerit ſepultus theſaurus

§. II.

De Regimine Salomonis.

Salomonis Regis initia Quæ?

Mel. Quæ Regni *Salomonis* initia?

A.M. 3022.

Leuc. Impleta est primò *Davidis* ultima voluntas. Ansam dedit subtilis stropha, quam *Adoniæ* suggesserant *Joabus*, atque *Abiathar*, Consiliarii pessimi, in sua fata jam destinati. Quiescere haud poterat rebellis trias; *Adonias*, quia sceptro; *Abiathar* quia *Mythrâ*; *Joabus*, quia imperatoriâ privatus virgâ, & dignitate. Accidit, ut *Adonias Betsabeæ* interventu sibi peteret *Abisag*, relictam â Patre virginem, occulto sanè consilio, ut pro Gentis more, novum sibi gradum per hanc Reginam ad solium sterneret. Nil tergiversata est Mater: ut privignum conciliaret sibi Noverca, interposuit preces, Authoritate sua firmatas, apud *Salomonem* nil mali suspicata Mater, sed eâ Filii, quem mox dolus adverterat, indignatione, ut *Banaiæ* ferro mox è medio *Adoniam* fratrem sustulerit, sat reum ratus, quia jam bis rebellem. Tum in sceleris complices desæviît tempestas: *Abiathar*, quia Sacerdos, proscriptus, & in *Anathoth*, paternum agrum remissus est: *Joa-*

Occisus Adonias.

Abiathar proscriptus.

saurus, de quo *Josephus* & *Beniamin* Judæi? Respondetur negativè: nam ter mille talenta, quæ in una solummodò camera, eáque minùs divite fuissêt defossa, excurrissent ultra septem, & triginta milliones scutorum anreorum â quindecim Juliis, ùt vult *Menochius cent. 10. c. 28.* quam summam â *Salomone* defossam, vel intactam fuisse relictam in tanta ultimorum annorum inopia, quâ legimus â Rege *Tyri* centum & viginti talenta, hoc est, sesqui millionem, mutuò acceptum esse, credat *Josephus*, aut *Judæus Apella. Vide Salianum t. 3. annal. A. M. 3021. a. n. 108. usque 114.*

Joabus in Tabernaculum profugit, ſicariis quoque ſupereſſe aſylon ratus: ſed fruſtrà. Nam à *Banaia* exire juſſus, obedire cùm renuiſſet, ad aram immolatus eſt victima, ob proditorium ſcelus, & *Abneris* & *Amaſæ* Manibus dudum devota. Sed & maledicum *Semei* lento pede aſſecuta tandem eſt Nemeſis: prohibitum illi erat efferre pedem è *Solymis*; quæ ſat ampla cuſtodia cùm illi quondam nimis eſſet anguſta, amplior data eſt apud umbras, ad quas miſſus, *Banaiæ* ferro occubuit, fato petulanti linguâ dudum promerito.

Joab interfectus.

Semei jugulatus.

Mel. Quæ *Salomonis* felicitas in ſuo regimine?

A.M 3022.

Salomonis felicitas Quanta? IX.

Leuc. Major, quàm ullus Regum expertus unquam. Nam primò immolatis Numini mille hoſtiis in *Gabaon*, excelſo Tabernaculi *Moſaici* colle, cùm in ſomnio (ſi tamen ſomnium fuit *) cœleſtes Gazas illi obtuliſſet Divina Bonitas, optione facta, præ cæteris donis *Sapientiam*, Regni Conſiliariam, petiit, & etiam impetravit, tam copioſam, ut illi ſimilem neque viderit ulla, nec etiam viſura

Salomonem ornat ſapientia.

In Sapientia.

* *Quæres*: Quale fuerit hoc ſomnium, an meritorium, ùt innuere videntur verba: *Placuit ergò ſermo coram Domino*. 3. Reg. 3. v. 10. Negat *Angelicus* 1. 2. q. 113. *a.* 3. *ad* 2. *Salomon dormiendo non meruit ſapientiam, nec accepit: ſed in ſomno declaratum eſt, quòd per præcedens deſiderium ei à DEO Sapientia infunderetur.* Affirmat *Suarezius to.* 2. *de relig. l.* 2. *de orat. c.* 19. dicens *Salomonem*, ſenſibus externis ligatum, phantaſiâ, & intellectûs uſu perfecto, *prodigioſè* elevato, meritum fuiſſe, uti factum in *Chriſto*, juxta illud Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Item *Adamo* & aliis. *Vide Cornelium à lapid. ſup.* 3. *Reg.*

sura sit ætas. * Argumento sit Judicium celebre, quo prolem unicam, à matre gemina litigiosiùs postulatam, dimidiam secari jussit, cùm ore non posset, veritatem è geminæ Matris pectore expressurus. Et enim verò expressit; nam genitricem veram mox prodidit affectus, vivam malens alieno in sinu, quàm sectam in suo, cui proin *Salomon* rejectâ spuriâ, *infantem vivum, & integrum* adjudicavit. ** Argumento sint lucubrationes, Ingenii Divini partus, *Ecclesiastes, Proverbia, Cantica, Sapientia*

Per Judicium inter duas matres, de prole litigantes, probata.

* *Quæri potest,* Quanta fuerit Sapientia *Salomonis?* R. Majorem fuisse Sapientiâ Sophorum omnium, *Trismegisti,* seu *ter maximi, Orphei, Homeri, Platonis, Aristotelis, Solonis, Lycurgi &c.* dubiũ esse nequit. An major fuerit Sapientiâ *Adami* dubitari potest. *1.* Quia â DEO creatus est *Adam* in statu perfecto: *DEI perfecta sunt opera.* *2.* Quia fuit artium inventor, & magister totius humani generis. Majorem fuisse negat *Tostatus q. 7. sup. cap. 3. l. 3. Reg.* juxta litteram: *Dedi tibi cor Sapiens, in tantum ut nullus ante te similis tibi fuerit. 3. Reg. 3. v. 2.* Affirmat *Pererius l. 5. disp. sup. Gen.* dicens, hæc verba, vel intelligenda in sensu accommodo, uti patet in *Christo:* vel intelligenda de *Sapientia* solummodò *acquisita*, non *infusa*: vel de Sapientia Judicum & Regum in *Israël,* innuente id ipso *Salomone Ecclesiast. c. 1. Præcessi omnes Sapientiâ, qui fuerunt ante me in Jerusalẽ.* Vel denique intelligenda de sola Sapientia Politica, & practica pro regimine Populi requisita, ùt innuere videtur ipse *Salomon*, dicens: *Dabis ergò servo tuo cor docile, ut Populum tuum judicare possit 3. Reg. 3. v. 9.* Vide *Pererium, Cornelium â lap. Suarezium in tr. de opere 6. dierum.*

** *Vide Menochium Cent. 2. c. 98.*

pientiæ liber: octo præterea librorum millia, in quibus Odarum millena varietas, Dramatum tria millia, magnáque Parabolarum copia: verbo, artes omnes, atque ſcientias exhauſit, *diſputans ſuper lignis â cedro usque ad hyſopum*, ita ut eſſet miraculum ſapientiæ, & oraculum Orbis, quod caperet omnia, ſolum à nemine capi poſſet.

II. Et quia contemptis divitiis, deliciis, famæque gloriâ, *Sapientiam* præelegit prudens arbiter, hæ non petitæ, velut vile auctuarium, fuêre ultrò adjectæ. Paucis multa declarat Sacer Codex, dum ait: *Præbuit Rex argentum, & aurum in Jeruſalem quaſi lapides:* (a) Certè trienniis ſingulis quadringenta & quinquaginta auri talenta ex *Offir*, & *Tharſis* attulerat claſſis, utique aurea: affluebant ex *annuis* Regulorum tributis ſexcenta ſexaginta ſex auri talenta, quibus alii ſuperaddunt ſive donum, ſive tributum Regis *Hiran*, centum & viginti auri talenta annua. (b) Accedebant legationum immenſa munera, ſic ut ſola Regina *Sabæ* centum & viginti talenta auri offerret, æſtimationem ſuperantibus gemmis, margaritis, atque aromatis. Inſuper ærario publico infinita vis auri illata fuit â ſubditis, quod jugum non fruſtrà *Roboamo* queſti ſunt *Iſraëlitæ*, velut *duriſſimum:* nam *Lorino* ſi fides, quævis Tribus coacta pendere centum & viginti talenta auri, omnes, ſimul 1440. ſic ut hoc ſolum tributum ad viginti quatuor milliones, ducenta triginta quatuor ſcutorum, ſeu Imperialium millia excurrat. Adde vectigalia publica, tam immenſa, ut *Joſe-pho*

In abundantia.

(a) *2. Paral. 1. 15.* (b) *3. Reg. 9. v. 11. & 14.*

pho teste (*a*) ea etiam *Antiochi Epiphanis* tempore, quidam sibi locanda, sedecim talentorum millibus licitari non dubitârit. *

Gloriæ fama. III. *Sapientiam*, atque *divitias* secuta est *Gloriæ* fama, & quidem tanta, ut ab universis Regum Curiis legatos attraheret, (*b*) & omnes Populos noscendi sui desideriò inflammaret. Hos inter ex *Æthiopiæ* finibus venit Regina *Saba* (*Machedam* nominant) dumque hæc omnia cerneret; ita obstupuit, ut ultrà spiritum non haberet: fassa est tandem, quòd sapientia superaret famam vix superabilem, & abitura hoc valedixerit elogio: *Beati servi tui, qui adstant coram te semper*, & audiunt tuæ oracula sapientiæ. ** *Mel.*

* Juxta *Josephum L. 1. Ant. c. 10.* talentum auri Judaicum exæquat 100. mnas seu libras: juxta *Lorinum* scuta Romana â 10. Juliis, seu nostrates Imperiales, circiter 16800. Talentum argenti scuta, seu Imperiales 1440. *Vide Men. C. 3. C. 29. & 30.*

** *Quæres 1.* Quod nomen fuerit huic Reginæ? ℟. Alij eam vocant *Machedam*, alii *Candacem*. *Quæres 2.* Quæ Religio? ℟. *Religione* Paganam fuisse censent S. *Chrysostomus*, *Hilarius*, *Gregorius Nissenus*: alii contrà putant quasi proselitam, uti *Rhut Moabitis*, *Rahab Chananæa*, *Hiram* Rex *Tyri*: id colligi videtur ex *3. Reg. 10. v. 9. sit Dominus Deus benedictus, cui complacuisti &c.* unde *V. Beda* eandem vocat Mulierem *Sanctam*, *Electam*, *Mirabilem*, ab ipso *Christo* laudatam: devotionis ergò in *Jerusalem* profectam, *Abulensis* testis est. *Quæres 3.* Quale fuerit illius regnum? ℟. *Pineda* censet Regnum illius fuisse *Sabam* in *Arabia*: *Cornelius à lapide* adstruit *Sabam* in *Æthiopia*: primò quia dicitur *Regina Austri &c.* cùm


(*a*) *l. 12. antiq. c. 4.* (*b*) *3. Reg. 10. v. 24.*

ICHNOGRAPHIA INTERIOR TEMPLI HIEROSOLYMITANI.

Porticus Occidentalis
atrium gentium
Soreg siue Sepes Cancellata
Porticus Meridionalis
Porticus Septentrionalis
atrium Culinarium
atrium Ministerij Templi
atrium Israelis
Mare æneum
altare
atrium Sacerdotum
atrium Ministerij Templi
Soreg siue Sepes Cancellata
atrium gentium
10 20 30 40 50 60 70 80 90 100
Cubiti hebræi
Porticus Salomonis Orientalis

a. Sanctum Sanctorum. b. Arca foederis. c. Altare thymiamatis. d. Mensa panum propositionis. e. Candelabrum aureum. f. Sanctum. g. Vestibulū. hh. Conclave cultrorum. l. Sedes Regis. n. Vestiarium. pp. Conclave Cantorum. q. Synedriū magnū. r. Conclave lavantiū holocausta. t. Conclave Salis. u. Conclave Panū propositionis. y. Conclave agnorū. z. Conclave balnei. oo. Portæ cū cellis Ianitorum.

ICHNOGRAPHIA TEMPLI HIEROSOLYMITANI, ÆDIFICIORUM EIUS, ET SUBSTRUCTIONUM.



Mel. Quæ *Salomonæi* Templi magnificentia? *A. M. 3023. & 24.*

Leuc. Memoratu dignissima, & *primò quidem ab Apparatu, & sumptibus.* Pro his jam paraverat *David in paupertate sua*, ùt ajebat, utique splendida, centies mille talenta auri, argenti millies mille, censum superantibus levioris notæ metallis: his addidit de peculio Regio tria millia Talentorum auri mundissimi, argenti probatissimi septem. Ligna paravit cedrina, marmora *Pharos*, aliósque lapides pretiosos, ac gemmas numero innumerabili, quæ omnia inchoandâm solummodò fabricam, Templi exordia, exspectabant. Nec segnior Populus superaddidit quinquies mille talenta auri, argenti decem, (a) sic ut summarum summa, si *Lorini* calculo fides, ad ter mille ducentos septuaginta septem milliones, & septingenta unum & viginti millia, ultra quinquaginta octo scuta Romana, seu nostrates circiter Imperiales excurreret. Verbo: *tria millionum millia* vis auri, argentique transcendit, quam sum-

Templi magnificentia Quanta? Apparatus, sumptus tria millionum millia.

X. Templum commendat.

Pars I. R

cùm Palæstinis *Arabia* sit orientalis. *Secundò* quia venisse dicitur ex *finibus terræ Matth. 12. v. 42.* cùm *Arabia Palæstinis* sit admodùm propinqua. *Tertiò* quia *Æthiopia* auri dives, & aromatum ferax: unde *dedit 120. talenta auri, & aromata multa nimis 3. Regum 10. v. 10. Quartò* Quia in *Æthiopia* Reginam nomine *Candacem* regnâsse testatur *Plinius l. 6. c. 9. Quintò.* Quia id *Abyssini* è suis traditionibus constanter affirmant.

(a) *Universè talenta auri 108000. Argenti 1017000. Imperiales 3277721508. Juxta Cornelium à lapide cit. in font. Bibl. f. 70. 2400,000000 aureorum gallicorum seu 3282, 134024. scutatorum aureorum.*

ſummam, *Saliano teſte*, non ferrent decies mille nongenti octoginta currus, etſi ſingulos ducentis & 50. ſcutatorum aureorum millibus onerares. Suppeditavit inſuper Populus octodecim millia talentorum in ære, in ferro centum millia. Lapides pretioſos quod ſpectat, *apud quemcunque inventi ſunt, dederunt per manum* Jabiel *Gerſonitis*.

Operarum multitudo ingens, ultra trecenta viginti millia ſeptennio integro.

II. Memoratu digna à *Multitudine Operarum*; Nam ſeptennio integro exercuit hæc Templi fabrica centum & ſexaginta quinque hominum millia, quibus ter mille trecenti operis Præpoſiti aderant. (*a*) Bajulorum ſeptuaginta millia, latomorum octoginta, quibus itidem præpoſiti erant mille trecenti. * Triginta millia in ſola cedro *Hirami* lignariis allaborabant: alii *Turamo* in fundendo ære prope *Socothum*: quibus omnibus à *Salomone* toto ſeptennio proviſum de alimentis, ſingulíque finito Templo, decem ſiclis donati ſunt.

Artificium admirabile.

III. Memoratu digna ab *Artificio*, cujus Idea *Davidi* cœlitùs eſt communicata, lapíſque primus à Regum ſapientiſſimo poſitus. Magnitudo totius molis referebat ſpeciem urbis; procul aſpicientibus niveum montem, mixtis auri radiis, non ſine oculorum amœno horrore repræſentabat. Altitudo tota in centum viginti cubitos aſſurgebat: in longitudine ſeptuaginta, latitudine viginti cubitos hæc numerabat Baſilica, quæ gemino cincta atrio, multiſque porticubus diſtinguebatur. Tres numeraverat partes: Veſtibulum, Templum,

(*a*) *Fontes Bibl. fol. 70.*

* Parciore alij calculo, paululùm infra *ducenta millia* extendunt numerum, nihilominùs obſtupeſcendum. *Vide l. 3. Reg. c. 5. & 2. Paral. c. 2.*

plum, Sacrarium, quod illi *Sancta Sanctorum*. Pavimentum ſtratum erat ex marmore verſicolori, lapides ſic ſecti jam priùs erant ad normam, ligna tam exactè limata, ut nullo mallei ictu, vel ſecuris ſtridore ſurgeret octavum hoc mundi miraculum.

IV. Memorabilis ab *Ornamentis*: nil hic vidiſſes, niſi cedrum auro, aurum lapidibus pretioſis intextum ſtupendo cælaturæ prodigio: ſuperbiebant obrizo coruſcantes parietes, *nil enim erat in templo, quod auro non tegeretur.(a)* Decies mille candelabra aurea diu noctúque, *Phœbo* æmula, arſerant: Thuribulorum aureorum viginti millia ipſam *Arabiam* jugiter referebant: hìc vidiſſes decem menſarum millia ex auro, ibi litatoriorum viginti, inſtrumentorum ex electro quadraginta millia. Ex auro denique fulgurabant aræ: hìc oneratæ octoges mille pateris aureis; ibi centum phialarum millibus ex argento candidiſſimo ornatæ, ut adeò vaſorum aureorum ſummam ad quadringenta viginti millia; argenteorum ad mille & quinquaginta millia aſcendiſſe Authores memorent. *(b)* Ut nihil dicam de *Mari æneo* vaſe ampliſſimo, ſeu lavacro duodecim bobus æneis incumbente, quod metretarum tria millia, ſeu centum & octo menſurarum millia capiebat: * verbo, ſacrarium dixiſ-

Ornamenta, & vaſa pretioſa penè innumera.

R 2

(a) *3. Reg. 6. v. 22.* (b) *Joſephus*, aliíque S. Scripturæ interpretes paſſim.

* *Quæres*: An primum *Salomonis* Templum fuerit præſtantius altero *Zorobabelis*, & tertio *Herodis*? *Ribera c. 2. in Aggæum* exiſtimat *Herodis* Templum fuiſſe præſtantius juxta illud *Aggæi 2. v. 10. Magna erit Gloria Domûs*

dixisses, in quo elaborando omnem sapientia humana industriam; in quo ditando Orientis opes natura propè exhauserit.

Ministrorum ingens numerus.

V. Memorabilis á *Ministrorum copia.* Nam Sacerdotes penè innumeri, Levitarum viginti quatuor millia, Præpositorum, & Judicum sex millia, Janitorum quatuor, totidémque organis canentium millia numerabantur.

A. M. 3030. Dedicationis Solemnitas. Immensa victimarum copia.

VI. Denique est memorabis â *Dedicationis Solemnitate*, quæ incredibili pompâ est celebrata, infinita multitudine hominum ex ultimis Regni finibus confluente. Primò Arca in Sancta Sanctorum translata, DEO per nebulam, lucida caligine plenam, non sine sacro horrore, suam præsentiam attestante. 2. Post Regis preces, & adhortationes, aris admotæ sunt victimæ, quas denuò diviniore nebula cinctas, flamma cœlitùs delapsa consumpsit. 3. Septiduum est extracta Solemnitas, qua durante mactata boum viginti duo, arietum centum viginti millia, & denique Populus inter festivos plausus ad propria est remissus.

In cultu Divino memorabilia Quæ? Sacrificij nomen.

Mel. Quid in cultu Divino circa Sacrificia Templi memorabile? *Leuc.*

mûs istius novissimæ plùs quàm primæ. 2. Quia *Salomonis* Templum non nisi septuaginta, *Herodis* verò centum cubitos, longitudine æquabat. 3. Quià multa nova superaddita sunt ædificia, ùt ostendit cit. Author. Sed *Cornelius á Lapìde, Salianus*, & alii ìd probabiliùs negant. Quia *Aggæus* loquitur de templo *Zorobabelis*, *domûs istius*, quod *Herodes* solummodò ampliavit, auxítque. Unde Templum *Zorobabelis*, seu *Herodis* præstantius non est nisi propter *Chrîstum*, qui suâ præsentiâ illud sanctificavit, & supra primum gloriosiùs extulit. Vide *Salianum ad An. M.* 4034.

Leuc.(*a*) Memorabile primò *Sacrificii nomen*, per quod Interpretes *mactationem animalis* in pœnitentiæ signum, & expiationis pignus intelligunt.

Memorabilis *II. Hostiarum diversitas.* Primi generis *cruentæ* erant boves, oves, capræ, turtures, pulli columbarum &c. animantes, mansuetudine celebres, in quibus summum haberi oportuit delectum: *nam si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem*, offerri DEO non poterat. (*b*) * Oportuit nempe immaculatam esse victimam, quæ *Agnum sine macula, Christum* puto, repræsentaret. *Hostiarum diversitas.*

Memorabilis *III. Immolandæ hostiæ methodus:* Victimæ vertici, orientem versus directo, imposita manus est ab offerente, additæ preces, per quas peccata, veluti in hostiam (*Christum* scilicet) transmittebat. Tum jugulata est victima: ejus cruore resperſa vela & aræ cornua, totúsque denique sanguis in altaris (crucem (*c*) referentis) pedem effusus est. Mox detracta pelle in partes concisa victima, â Sacerdotibus sale condíta, adjectis libamentis, ad altare delata est, ibíque igne sacro, vel tota, vel per partes pro Sacrificii genere est absumpta. Victimæ plerumque comedendæ erant in Templi atrio, quia loco sancto, & quidem â viris mundis, ac circumcisis. *Modus immolandi victimas.*

Memorabilis *IV. Oblationum diversitas*: Primi generis erant *fructus terræ, ùt Panis,* *Oblationum diversitas.*

(*a*) *Bern. de lamy in Appar. Bibl. l. 1. c. 7. fol. 200.* (*b*) *Levit. c. 22. v. 22.*

* *Maimonides* enumerat 23. vitia pecudis, sive victimæ: sacrificantis 27.

(*c*) *Bern. lamy. l. c.*

Simila, Sal, Thus, Spicæ, Triticum. Secundi generis *Libamina*, seu liquores, *Vinum, Oleum, Aqua, &c (a)* 2. Prohibitum erat *fermentum*, (b) quia symbolum corruptionis: *Mel*, quia voluptatis. *Sal* semper adhibitus, quia figura integritatis haud corrumpendæ: *Ignis* plerumque usurpatus, quia imago est charitatis: *Sal*, quia sapore condit omnia; *Ignis* quia expurgat cuncta, quæ dotes in sacrificantibus â DEO sunt requisitæ. 3. Ignis, nisi sacer, vel de Cœlo lapsus, vel egressus è Sanctuario, in altari holocaustorum adhiberi non poterat: unde *Nadab* & *Abiu*, *Aaronis* filios, igne consumptos legimus, eò quòd thuribulis imposuêre ignem profanum; cúmque temeritatis causa ebrietas fuerit, vino Sacerdotibus interdictum est eo die, quo officiîs fungebantur.

Probibita Fermentum Mel. Adhibita Sal, Ignis, Et quidem Ignis Sacer. A. M. 2545. Fatum filiorũ Aaronis.

Memorabilis *V. Locus Sacrificiis* destinatus. Ante extructum Templum erat Tabernaculi Ostium; tum Templi atrium: Sanctiores victimæ non nisi ad aram, & quidem ad aræ latus Aquilonare mactari poterant. *(c)*

Locus Sacrificij.

Mel. Quæ fuit Sacrificiorum diversitas?

Leuc. Multiplex I. Primas inter Sacrificia tenuit *Holocaustum:* sic dictum ab *hola* id est *ascensio*, eò quòd tota victima, igne absumpta, in Cœlum *ascenderet*, in odorem suavitatis: aliud erat *Commune*, quia oblatum Populi nomine; ùt agnus Sacrificii perpetui: aliud *Particulare*, ùt agnus pro mundata lepra oblatus. Ritus legere est *Levitici* primo.

Sacrificiorum diversitas. Quæ? Multiplex. Holocaustum.

II. Sacrificiorum alterum, *Expiatorium pro* pec-

Expiatorium pro peccato.

(a) Fontes Bibl. fol. 186. & (b) fol. 189.
(c) Levit. c. 1. v. 11.

peccato, denuò *Privatum* erat, & *Publicum*. Pro Sacerdote ſummo vel Populo crematus eſt vitulus extra urbem, inteſtinis altari reſervatis. (*a*) Pro Principe Aries, qui comeſtus eſt, inteſtinis in altari combuſtis. Mediocris fortunæ hominibus adhibita ovis, aut capra: immò egeſtate premente, etiam turtur, ſive columba pro Sacrificio ſufficiebat. Nullum hîc adhibitum libamen: Vaſculum luteum confractum, lotum eſt æneum, & immolata victima vel combuſta eſt, vel comeſta.

III. Sacrificium tertium dictum eſt *Propitiatorium pro delicto*, ab *Expiatorio* in hoc diverſum, quòd illud oblatum ſit pro peccatis publico notis, hoc pro delictis ſolummodò occultis, & incertis. Victimæ pro delicti varietate variæ adhibebantur. *Propitiatorium pro delicto.*

IV. Sacrificium quartum, *Hebræis Pacificum*, quia erat vel pro accepto beneficio *Eucharisticum*; vel pro votorum obligatione Numini exſolvi ſolitum. Immolata in hoc Sacrificio victima partim ſacro igni in pabulum, (*b*) partim offerenti in cibum, partim Sacerdoti ad uſum domeſticum ceſſerat. *Pacificum.*

V. Sacrificium *annuum Agni Paſchalis*, quem oportuit eſſe maſculum, anniculum, immaculatum. Hic decimâ menſis *Niſan*, qui noſtro Martio reſpondet, ſegregatus, & decimâ quartâ inter geminas veſperas mactari ſolitus eſt, (*c*) pſallentium intereà perſtrepente choro. Sacerdotes, longâ ſerie ſtantes, exceptum vaſculô ſanguinem ſic promovebant mutuâ manuum operâ, ut tandem ab ultimo ſuper aræ pedem effunderetur. Agnum poſteà, exceptîs iîs, quæ cremari *Sacrificium annuum Paſchale.*

(*a*) *Levit. c. 4.* (*b*) *Levit. c. 3.* (*c*) *Exodi. 12.*

mari in ara oportuit, recepit Paterfamilias, eúmque assum cum suis domesticis, aliisque hospitibus (qui esse non poterant pauciores, quàm decem, nec plures, quàm viginti) unà cum azimis, amarisque herbis, ex legis præscripto, comedere consuevit. *

Juge Sacrificium, seu diurnum perpetuum.

VI. E Sacrificiis alia fuêre *menstrua*, alia *hebdomadaria*, alia *diurna:* In his mane & vesperi offerri solitus est agnus, utique immaculatus, (*a*) quia symbolum Agni Divini, & sacrificii in vera Ecclesia quondam perpetuò duraturi. **

Oblationes.

VII. Alia rursus à *Primogenitis* nomen traxêre, quæ etiam nobis sub *Oblationum nomine* veniunt. In his primogenita hominum, & animalium, quæ quidem ob impuritatis notam reje-

* *Bernardus Lamy in Appar. Biblico l. 1. c. 6.* sic ait: Si quis incircumcisus, aut aliqua labe pollutus de carne Agni Paschalis comedere ausus fuisset, statim mors, manu Dei illata, sequebatur comes: sic Deus interminaverat, quod & primis temporibus contingebat, cùm quis corpus veri Agni non dijudicaret. Ad quod alludens ajebat *Paulus*: *Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.*

(*a*) *Num. c. 28.*

** *Quæri potest*: An hæc Sacrificia contulerint sanctitatem, & gratiam? 2. An peccata deleverint? ℞: *Virtute propria* nec contulêre gratiam, nec etiam delevêre peccata. Non enim erant instituta, ut gratiam darent, sed ut eam *per Christum conferendam* significarent, sícque per ea offerentes, *Christi* Domini fidem profiterentur, qui in istis Sacrificijs, tanquam figuris adumbrabatur. Data igitur in his sacrificijs gratia: sed non nisi *virtute*, & *merito Christi*; unde D. *Paulus* ea dixit *infirma*, & *egena. Vide fontes Bibl. fonte 11. §. 8. fol. 190.*

rejecerat DEUS, quinque ſiclis *(a)* redempta ſunt; animalia munda, DEO in ſacrificium offerebantur, ſi tamen omnem conditionem expleverant; ſecùs â Sacerdotibus vendita ſunt, vel comeſta. His annumerarunt alii *Decimas*, atque *Primitias*, ter in anno offerri ſolitas, *Lyrano* teſte: *(b)* nempe in *Paſchate* de novis ſpicis. 2. In *Pentecoſte* de novis panibus. 3. In *Feſto Tabernaculorum*, menſe Septembri, de novis fructibus: atque iſta redimi ex legis norma non poterant, etſi temporum illorum vitio tandem redempta ſint, ipſo Servatore noſtro avaram ſorditiem reprobante. *(c)* Denique Oblatio *Panum Propoſitionis* fieri ſolita eſt ſingulis Sabbathis: Oblatio incenſi ſeu *Thymiama*, in altari aureo, quotidiè renovabatur. ***Decimæ, Primitiæ.***

Mel. Quæ Sacerdotum, & Levitarum in Templo officia? ***Sacerdotum, & Levitarum in Templo officia Quæ?***

Leuc. Varia. Hæc etſi jure ſucceſſionis acquiſita, actu tamen exerceri non poterant, niſi ab iis, qui priùs eſſent ritu legitimo conſecrati. Ritus conſecrandi Pontificem, Sacerdotes, atque Levitas ſacra Biblia enucleatiùs referunt, *(d)* ſpectántque potiſſimùm tria: *Purificationem, Conſecrationem, ac Applicationem* ad uſum Miniſterii. Adhibitæ autem tot Ceremoniæ, cùm ut oſtenderetur officii ſanctitas: tum ut Populus inſtrueretur, quanto honore colendus foret illius Paſtor. En! quo fonte promanârint Ceremoniæ ac ritus Sacri in Orthodoxam Catholicorum Eccleſiam. ***Abſque conſecrationis ritibus non exercenda.*** ***Ritus adhibiti Cur?***

R 5 II. An-

(a) *Numeri 18. v. 15.* (b) *Vide font. Bibl. fol. 140.* (c) *Matth. 23. v. 33. Luc. 11. v. 42.* (d) *Num. 8. v. 6. Exod. 29. Levit. 8. per totum.*

Summmi Pontificis officia propria.

II. Antiſtitis Summi Officia propria erant primò: ſemel in anno, propitiationis ſolenni die, ingredi in Sancta Sanctorum. (*a*) 2. Conſecrare Levitas, ac Sacerdotes. (*b*) 3. In controverſiis legalibus agere Judicem, ultimámque proferre ſententiam, cui ſub pœna mortis omnes acquieſcere tenebantur. 4. In rebus gerendis majoris momenti conſulere Deum, ac reſponſa ab eo accipere.

Sacerdotum claſſes.

III. Porrò Sacerdotes in viginti quatuor erant diviſi claſſes, quævis claſſis in ſeptem ſubdiviſa familias, quæ ſucceſſivo ordine, quot diebus Templo inſerviebant. His abſtinendum erat & vino, & fœminis, quamdiu ſuas implere vices conſueverant: non niſi ſacris carnibus, & Propoſitionis Panibus veſcebantur; nec niſi ſtantes, nudiſque pedibus operari in Templo poterant. Inter officia præcipuum erat, offerre victimas: (*c*) his enim per Laicos jugulatis, Sacerdos effuſo ſanguine aſperſit aram, impoſuit ligna, ignéque ſuppoſito, holocauſtum Domino obtulit. Inter *functiones ordinarias* erant, in altari nutrire ignem perpetuum. (*d*) 2. Offerre ſacrificium diurnum. 3. Quotidie bis, mane nempe & veſperi, adolere incenſum ſuper altare Thymiamatis. (*e*) 4. Quotidiè bis oleo olivarum concinnare lampades in aureo candelabro (*f*) 5. Templi cuſtodes agere. *Inter Hebdomadarias* erat, Sabbathis ſingulis duodecim panes calidos Propoſitionis menſæ imponere, veteres removere, atque comedere. (*g*) Inter *minùs frequen-*

Officia.

Hebdomadania.

(*a*) *Heb. 9. v. 7.* (*b*) *Exod. 29. Levit. 8. Num. 8.* (*c*) *Levit. 1. 2. 3.* (*d*) *Levit. 6.* (*e*) *Exod. 30.* (*f*) *Exod. 25. v. 37. Levit. 24. v. 2.* (*g*) *Ex. 25. v. 30.*

quentes 1. Inflare tubas, & cornua, 2. Discernere inter lepram & lepram, aliásque arbitrari immunditias legales. (*a*) 3. Legem DEI docere Populum. (*b*)

IV. *Levitis* incumbebat cantare psalmos, instrumentis ludere, eorúmque habere curam: immò in Urbibus octo, & quadraginta, quas â *Refugio* dictas, illis attribuit *Josue*, non raró ùt Judices Populi, ex illa Tribu affluentis, & veluti Legis Doctores suspiciebantur. *Levitarum officia.*

Mel. Quænam Festa præcipua, â *Judaico* Populo celebrata? *Festa præcipua Quæ?*

Leuc. I. Tria *primæ classis* numerantur, quibus *Judæi* omnes, legitimè non impediti, sese *Jerosolymæ* sistere debebant. (*c*) *1.* Erat *Festum Paschale*, institutum ad recolendam memoriam exitûs ab *Ægypto.* Incidebat illud in *decimam quartam* mensis *Nisan*, qua die sub vesperum comestus est agnus: tum decimâ sextâ oblatus est manipulus hordei, veluti frugum primitiæ, unà cum agni holocausto, cœpítque *Azimorum Solemnitas*, in ipsum septiduum extrahenda. * Pascha secundum pro iis, quos impedimenta priùs distraxerant, celebrari solitum, est decimâ quartâ mensis sequentis. 2. Festum *Judæis* solenne est *Pentecoste*, sic dictum â *quinquagesimo* die, quo post exitum de *Ægypto* in Monte *Sina* Divinam legem acceperant: unde *Primæ classis Pascha & Solemnitas Azimorum.* *Pentecoste.*

(*a*) *Levit. 13. 12.* (*b*) *Aggæi, 2. v. 12. & Malach. 2. v. 6. 7.* (*c*) *Exod. 23. v. 17.*

* Decima quarta dies, ùt habent fontes Biblici *fol. 248.* tantùm erat profana, sacra verò & festa decima quinta. Negat de *Lamy*, decimam quartam numerans inter dies *Azimorum.*

unde institutum colligimus hoc festum ob memoriam *datæ Legis*. Dictum insuper est *Festum septem hebdomadarum*, quæ à decima sexta demessi hordei numerari consueverant. Hinc dies iste in offerendis primitiis, duabus placentis sive panibus è novo tritico, aliísque sacrificiis, ac jubilis est transactus. *3*. Festum erat *Tabernaculorum*, *Græcis Scenopegiæ* * dictum â construendis hisce tentoriis: institutum est ob memoriam *mirabilium in deserto*, ubi per annos quadraginta pereginati *Israëlitæ* sub Tabernaculis habitârant. Cœptum est decimâ quintâ mensis *Tisri*, seu Septembris, & duravit octiduum, quo nefas erat extra isthæc tentoria,è ramis arborum in publico erecta, cibum, potum, aut somnum capere; *Judæi* fasciculos ramorum in manibus tenentes intonabant *Hosanna*, dum intereà Sacerdos aquam libabat, ac effundebat, qui ritus erat præcipuus hujus festi, & indicabat effusionem cœlestium donorum, quam de venturo *Messia* speraverant. ** Octavus dies *Cœtus atque Collectæ*; (*a*) sic dictus est vel ob collectas pecunias pro cultu Divino, & sacrificiis, ùt vult *Angelicus*; vel quòd relictis Tabernaculis Populus sit collectus, ad grates DEO agendas pro beneficio, quo post 40. annorum peregrinationem salvi tandem in terram, Patribus promissam, pervenerint, ùt *Azorio* visum est.

Scenopegiæ.

FestũCollectæ.

Festa secundæ Classis.

Festum Sortium.

II. *Festa Secundæ Classis*. Inter ista famosum est *Festum Sortium*, sic dictum â sortibus, ab *Amano* adhibitis ad detegendum diem, quo perderet *Judæos*. Institutum est non â Lege, sed â *Judæis* in memoriam Populi

* *Vide Menochiũ cent. 10. c. 88. Item Num. c. 29.*

** *Vide Menoch. Cent. 10. c. 88.*

(*a*) *Levit. 23. 36.*

puli quondam per *Estherem* liberati de manu *Aman*. Præparatio facta est per jejunium, & eleemosynas; initium datum, quartâ, & quintâ Mensis *Adar*, seu Februarii: transactum est partim in lectione libri *Esther*, partim in conviviis, in quibus, quia vinum etiam liberaliùs erat permissum, hoc festum penè iu Bacchanalia degenerârat. 2. *Festum Encœniorum*, sive Dedicationis quadruplicis: prima celebráta est mense septimo pro dedicatione Templi *Salomonis:* secunda mense *Adar* seu Februario pro dedicatione Templi *Zorobabelis*: tertia pro dedicatione Altaris, restaurati â *Juda Machabæo* vigesimo quinto mensis *Kasleu*, seu *Decembris*; quarta pro dedicatione Templi ab *Herode* amplificati: Transacta sunt hæc festa in hymnis, holocaustis, & jubilis. 3. *Festum Expiationis annuæ*, seu *jejunii* sic dicti, ob præcedens jejunium lege præscriptum; institui solitum erat mense *Tisri*, pro expiandis anni præteriti peccatis. Antistes summus, præmisso totius septimanæ jejunio, corpore quinquies; manibus verò & pedibus septies lotis, mutatóque sexies habitu intrabat quater Sancta Sanctorum, id quod hac solummodò anni die ei fuerat permissum. Intrabat autem non sine sanguine, ùt ait Apostolus, eò quòd sine sanguine Cœlum non intraverit *Christus:* nam immolato vitulo pro suis; hirco pro Populi peccatis, utriúsque sanguinem inferebat in Templum, eóque invicem commisto aspergebat altare aureum atque velum. Hircus alius, in cujus caput peccata Populi, factâ confessione, rejecerat Pontifex, emissus est in desertum.

Encœniorum.

Expiationis.

II. *Fe-*

Festa tertiæ Classis Primæ diei in anno. III. *Festa Tertiæ Classis.* Inter ista memorabile primò est *Festum primæ diei* in anno civili. Annus porro civilis initium sumpsit â mense *Tisri*, seu Sebtembri; annus verò sacer incidebat in mensē *Nisan*, seu Martium. Hoc primæ diei festum oblatis victimis est celebratum, scilicet holocausto vituli, arietis, septem agnorum, & hirco pro peccato. *Tubarum.* Memorabile 2. Festum sic dictum, quòd esset præludium, tubarum clangore datum, ad celebritates mensis venturas, ùt vult *Azorius*: vel quòd recoleretur memoria liberati à morte *Isaaci*, ùt putant *Hebræi*. (*a*) *Ignis cœlitùs dati.* Addunt alii festum quo uno uti licebat in altari ad sacrificia. (*b*) Memorabile 3. Festum *Neomeniæ*, seu primæ diei, in quovis mense; *Neomeniæ.* iisdē victimis celebrata sunt hæc 12. festa, nisi quòd duo vituli in holocaustum DEO oblati sint. Memorabile 4. est Festum *Sabbathi* hebdomadis singulis celebratum: *Sabbathi.* nam sicut in festo primæ diei annuo, atque menstruo revocatum in memoriam est beneficium, quo DEUS omnia gubernat, atque conservat: ita in Festo *Sabbathi* beneficium creationis grata mente est celebratum. Initium *Sabbatho* datum est pridiè, die scilicet *Parasceves*, seu *Veneris*, circa solis occasum. Nam horâ tertia pomeridiana (*c*) ad primum buccinæ clangorem cessabant opera agri; ad secundum claudebantur portæ, & horâ ferè dimidiâ ante solis occasum in ædibus accendebantur lucernæ. Tum persolutæ sunt preces in Templo vel Synagogis. * *Sabbatho* mane è sacro

(*a*) *Vide Font. Bibl. f. 249.* (*b*) *de quo 2. Mach. c. 1. Item Levit. 6.* (*c*) *Bern. Lamy & alii.*

* Synagogæ erant Oratoria, in quibus fuit receptaculum legis, pegma lectoris, lampas & scamna varia.

ſacro codice prælecti ſunt pſalmi, pars legis, & paragraphus aliquis è Prophetis, quam lectionem ſecuta eſt exegeſis. A prandio iteratæ preces, & repetita eſt lectio ſacra è libro legis, facta incenſa, * finitúmque eſt *Sabbathum*, tribus ſtellis in Cœlo obſcuriore jam apparentibus. Cœterùm tanta erat religio Sabbathi, ut omni opere, etiam accendendo in focis igne, fuerit interdictum. Bis mille cubitos iter agendo emetiri licitum erat, quod ſpatium quondam inter caſtra, & Arcam intermedium, vel ideo *iter Sabbathi* eſt appellatum. (*a*) ** *Mel.*

* *Incenſum* ſubinde accipitur pro *thure*: *dirigatur oratio mea ſicut incenſum.* pſal. 140. Subinde ſumitur pro *holocauſto*: *holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum.* pſal. 65. Subinde pro *aliis oblationibus* uſurpatur: *oblationes & panes, & incenſum odoris ſuaviſſimi offerte. Num.* 28. Vide *Menoch.* cent. 8. c. 4.

(*a*) Idem *Lamy l. infrà c.*

** *Quæres* 1. Anni *Judaici* quales fuerint? ℟. Lunares. *Quæres* 2. Quando inceperint? ℟ *Annus Eccleſiaſticus* cœpit in menſe *Niſan*: menſis autem initium duxit ab illa lunatione, cujus plenilunium proximum erat æquinoctio verno. *Anno Civili* exordium dedit menſis *Tiſri*. *Quæres* 3. Quænam feſta ſint inſtituta â Deo, quæ â *Judæis*? ℟. A Deo inſtituta ſunt 1. Sabbatha. 2. Neomeniæ. 3. Paſcha. 4. Pentecoſte. 5. feſtum Tubarum. 6. feſtum ſeu potiùs Jejunium expiationis annuæ. 7. Tabernaculorum, ſeu Scenopegiæ. 8. Cœtûs & Collectæ. A *Judæis* inſtituta ſunt Encœnia purgationis Templi, factæ â *Juda Machabæo*. 2. feſtum Sortium. Addunt *Fontes Biblici fon.* 16. *fol.* 245. feſtum ignis cœlitùs dati, & feſtũ ob cæſum *Nicanorem*. Alij alia adjungunt. *Quæres* 4. Quale fuerit Calendarium *Judaicum*? ℟. Illud fuſius exhibet *Bern. Lamy in Appar.. Bibl. l.* 1. *c.* 5. *f.* 151. cujus hæc eſt epitome.

A. M. 3031.
De Salomonis Aula memorabilia quæ?
Magnificentia Palatii Regii.
Causa.

Mel. Quid de *Salomonis* Aula, & Regia memorabile.

Leuc. Magnificentia Templo suppar; quæ memorabilis 1.ò à *Regia*, cujus erigendæ causam (*a*) allegant *Hymenæum* cum Filia *Pharaonis*, quæ pro dote urbem *Gazer*, *Philistæo* ereptam; pro Religione animum fictum, (*b*) pro Rege, & Regno exitium attulit. Hujus gratiâ tredecim ferè annorum spatio

Menses an. Nomen.	*Civilis.* Ordo.		*Ecclesiastici.* Ordo.	
Tisri	I.	-	VII.	-
Marshevan	II.	-	VIII.	-
Kasleu	III.	-	IX.	-
Tebeth	IV.	-	X.	-
Schevet	V.	-	XI.	-
	Mensis embolimæus			
Adar.	VI.	-	XII.	-
Nisan	VII.	-	I.	-
Jiar.	VIII.	-	II.	-
Sivan	IX.	-	III.	-
Tamuz	X.	-	IV.	-
Ab	XI.	-	V.	-
Elul	XII.	-	VI.	-

(*a*) *Salianus ad hunc annum.* (*b*) *Salian. ad A. M. 3048.*

ſpatio exſtructum Palatium, in monte *Sion*, *Situs.*
è regione Domûs *Davidicæ*, orientem verſus, interpoſita valle *Tyropæon*, ſeu *voragine*, ſic ſejunctum à Templo eſt, ut per ædificium *Mello*, pontis inſtar formatum, ad illud facilis pateret tranſitus. In longitudine ducentos & quinquaginta, in latitudine centum & triginta cubitos numerabat: pro hujus materia ſerviebat pretioſus lapis; pro forma tri- *Amplitudo.* *Materia.* *Forma.*

Reſpondentes partim.	*Dies*	*Continentes. Feſta.*
Sept. Oct.	30.	*1. Prima diei: Tubarum.* *10. Expiationis ann.* *15. Scenopegiæ per ſeptid.* *22. Cœtûs Collectæ.* *23. Encœnia Temp. Salom.*
Oct. Nov.	29.	*1. Neomenia.*
Nov. Dec.	30.	*1. Neomenia.* *21. Encœnia purgat. Temp. per oct.*
Dec. Jan.	29.	*1. Neomenia.*
Jan. Febr.	30.	*1. Neomenia.*
certo anno inſertus.		
Febr. Mart.	29.	*1. Neomenia.* *14. &, 6. Feſt. Sortium.* *17. Encœnia Templi Zorobabelis.*
Mart. April.	30.	*1. Neomenia.* *14. Paſcha.* *15. Azima per ſeptid.*
April. Maj.	29.	*1. Neomenia.* *14. Paſcha 2.dum.*
Maj. Jun.	30.	*1. Neomenia.* *6. Pentecoſte.*
Jun. Jul.	29.	*1. Neomenia.*
Jul. Aug.	30.	*1. Neomenia.*
Aug. Sep.	29.	*1. Neomenia.*

triplicis Regiæ magnificentia, quarum prima Regis, altera Reginæ, tertia Domus ſaltûs *Libani* eſt appellata. Quàm pretioſa fuerit ſupellex, S. Scriptura inſinuat; dum ait: *Omnia vaſa aurea, univerſa ſupellex domûs ſaltûs Libani ex auro puriſſimo: argentum enim in illis diebus pro nihilo reputabatur.* Acceſſit ſolium ex ebore, parergis aureis affabrè elaborato, ſplendidum, & duodecim leonibus aureis, per gradus utrinque ſtantibus ſuperbum. Præſidium Regium ornabant haſtæ, clypei ex auro ſolido; duodecim equorum millia ad equitatum prætorianum; quadraginta curulium millia ad uſus reliquos parata ſtabant.

Supellex.

Thronus eburneus.

II. Super omnia *Officialium ordo* erat mirabilis: *Azarias* conſilio Aulico præſidebat: *Zabud* Cancellarii munere fungebatur: *Azarias* filius *Zadoc* & *Elioreph* â ſecretis; â commentariis *Joſaphat* eſſe juſſus: ſuper Tributa *Adonias*, & *Jeroboam* ſtatuti: ſexies mille Judices Levitæ tribunalibus Urbium ſic præpoſiti, ut & his præeſſet cum ſupremo Jure *Chonenias* cis *Jordanem*; ultrà *Jordanem* *Haſabias*. Principem exercitûs *Banajas*, agere juſſus eſt, quem ſecuti triginta Duces, atque Heroës, Familiarum Principes, & Tribuni, ſic ut etiam ſub *Davide*, ſingulis menſibus, viginti quatuor militum millia miniſtrarent in Aula; totúſque exercitus octoginta & octo ſupra ducenta millia numeraret.

Ordo Officialium.

Exercitus.

A. M. 3042.
Felicitas Salomonis ſumma: In Dei approbatione.

Mel. Quando *Salomon* felicitatis ſuæ faſtigium tenuit?

Leuc. Tunc, cùm DEUS, ſecundò illi viſus, ſignificaret, & Regi, & Populo ſe ſe fore in hoc ædificato Templo propitium, atque hanc ipſam

ipsam Basilicam Divinâ suæ Præsentiæ nebulâ sanctificâsset. His tamen favoribus conditionem apposuit servandæ Legis, secùs cum Templo Regem, cum Rege Populum iri desertum, futurúmque Posteritati felicitatis, simúlque infelicitatis summæ spectaculum.

II. Felicitatis summæ fastigium tenuit tunc, cùm aureæ classes ex *Ophir* & *Tharsis* attulêre divitias; cùm reparata per Regnum sunt oppida; cùm *Emathii* domiti famam; Legati Regum, ipsáque Regina *Saba* * suis elogiis, veluti totidem tubis, *Salomonis* gloriam dilatârunt. *A. M. 3044. Regni administratione.*

III. Fastigium summæ felicitatis tenuit, vel saltem tenuisse sibi visus est tunc, cùm dixit: *Vadam & deliciis affluam, & fruar bonis: omnia, quæ desiderant oculi, non negabo eis, nec prohibebo cor meum, quin omni voluptate frua-* *Deliciis.*

S 2

* *Quæres:* An susceperit filium ex *Salomone*? ℞: Id tenent *Æthiopes* constanter: unde â *Salomone* stemma Regium deducunt, juxta illud apud *Abrahamum Ortelium tab. 68. David supremus meorum Regnorum, â DEO unicè dilectus, columna fidei, ortus ex stirpe Juda, filius David, filius Salomonis, filius columnæ Sionis, filius ex semine Jacob, filius magnus Mariæ, filius Nabu secundùm carnem, filius sanctorum Petri, & Pauli secundùm gratiam, Imperator superioris, & majoris Æthiopiæ, & amplissimarum jurisdictionum, & terrarum &c.* Negat *Salianus* cum alijs, ídque de Regina *Sabæ Arabicæ* intelligit: quia credibile non est, Reginam piissimam, â *Salomone* recèns ad Dei cultum traductam, præter hospitij jura violata, turpissimo flagitio esse contaminatã. Ita *Salianus ad A. 3047.* unde & in priore sententia suscepti filii antecessisse nuptias præsumendum esse judicat *Menochius Cent. 3. c. 84.*

fruatur. (a) Hæc erat felicitas illius ſumma, ſi tamen ſumma, quæ in lapſum adeò prona, monſtravit brevì, *nihil firmum eſſe ſub ſole.*

A. M. 3048. Infelicitas Salomonis: Quæ, & quinam gradus?

Mel. An hoc faſtigium diu tenuit *Salomon?*

Leuc. Minimè gentium; nam homo fuit, qui talem brevì paſſus vertiginem, ut è ſapientiſſimo *ſtultiſſimum* ſe ſe ipſe agnoſceret, atque profiteretur; ab uno infelicitatis gradu ruit in alterum, dum denique cecidit in profundum.

Superbia.

I. Tam diuturna pace ſecurus, tot divitiis ſuffultus, tot enervatus deliciis, tantáque ſapientiæ gloriâ elatus, velut terreſtre quodpiam Numen, in ſuperbiam incidit; unde paulatim pietas refrigeſcere; rerum cœleſtium induci oblivio; Numinis incuria ſubſequi; animus in delicias effundi totus.

Luxuria.

XI. Venus obſcurat, ſternítque Cupido

II. Ambitio, ùt ſolet, pediſſequam ſecum traxit libidinem, eámque effrenem adeò, ut tota propemodùm *Aſia* unius viri nefanda vota vix ſatiârit. Certè non *Iſraëlitides* modò, ſed, quod Lex vetabat, *Ægyptias* quoque, *Moabitites*, unà cum *Sidoniis* & *Hethæis* in gynæceum induxerat, tanto numero (pudendum dictu!) ut ſeptingentas Reginas, & quaſi hæ non ſufficerent, trecentas inſuper pellices Regias numeraret: verbo, mille fœminarum thalamis impleta Regia, non expleta Regis libido eſt, ſtupente naturâ, unum omnibus his ſuffeciſſe, non uni omnes.

Idololatria.

III. Tot fœminis mancipatus, virilem animum exuit, non jam Rex, ſed Reginarum mancipium. Hinc primò ad illarum vota diſſimulavit ſacrilegum Deorum cultum. Mox *Aſtarti Sidoniorum*; tum *Molocho Amonitarum*; & denique *Chamo Moabitarum* ex-

(a) *Eccleſ. c. 2.*

exstruxit aras, quique priùs unum vero Numini Templum, jam sex diabolo (a) erexit fana. Neque hic stetit impietas; ipsemet Idolorum suorum Idolis thus adolevit Cultor sacrilegus, ratus, se alienigenas suas non satis colere, nisi earum quoque Numina adoraret.

IV. Libidini tantæ prodigalitas, prodigalitati mox avaritia successit. Nam in tot Aulæ impedimentis, cùm magna ærario detrimenta accrescerent, novas insolitis titulis corrasit opes; idem prodigus, & avarus, ut haberet, quod in *Veneres* suas effunderet. Certè quò blandior fœminis, eò asperior Populo fuit, quem Tyranni in morem exactionibus penitùs exhausit. Unde eò inopiæ demum redactus est, ut etsi quot annis è solo oleo, vino, atque frumento sex milliones collegerit, nihilominùs deficiente semper ærario, immensis tributis vexare subditos sit coactus. *Avaritia. A. M. 3010. & seq.*

V. Denique per artes Magicas aurum scrutatus, vectigales quoque dæmonas voluit; immò in consiliarios elegit, dum scortorum philtris non rarò dementatus, in ejusmodi veneficia curiosiùs indagavit, ut planè nescias, quid magis mirêre, an senium, quod habere visus est infans; an infantiam, quam habere visus est senex. *Magia.*

Mel. Quomodo punitus, & mortuus? *A. M. 3057.*

Leuc. Major erat veternus, quàm ut Prophetarum monita illum excuterent: hinc missus â DEO *Abias*, qui exprobrata ingratæ mentis perfidiâ, intonuit altiùs, nuntiavitque, Regnum, quod *Davidis* meritis possideret, post sua fata scindendum in partes, & â *Punitus Quomodo?*

 succes-

(a) *Abulensis.*

ſucceſſore filio dividendum. Neque inſtar fulguris evanuêre hæ minæ. Nam illicò *Adad Idumæus*, & *Razon Syrus*, qui ſub viro hactenus vectigales, ſub Rege fœmina, excuſſo jugo, in apertam ſeditionem erupeꝛant. Mala hæc novis malis auxit *Jeroboam*: hic enim præfectus colligendis tributis è Domo *Manaſſe*, & *Ephraim*, cùm altiora mente conſilia coqueret, extra *Solymam* obvium fortè habuit *Ahiam* Prophetam, qui novo pallio duodecim in partes diſciſſo, eidem decem fruſta porrexit, Deique nomine jus Regni in decem Tribus *Iſraël* tribuit. Non potuit res iſta diu latere Regem; hinc ambo ad necem quæſiti illicò, qui tamen in *Ægypti* aſylon ſe recepêre.

A. M. 3059. *Qua ratione mortuus?* III. Tandem *Salomon*, ſeu enervatus deliciis, ſeu mœrore fractus, non tam ætate, *(a)* quàm morbis, vitæ mollioris pediſſequis, confectus, fatis conceſſit, in eo potiſſimùm dolendus, quòd peccantem ſciat Poſteritas, ſed neſciat pœnitentem. Illud certum, quòd illius ſalus incerta. * Illud incertum, majorine gloriâ vixerit, an dedecore obierit.

Obſer-

(a) an. ætat. 40.

* *Quæres:* an *Salomon* ſit damnatus? Affirmant S. *Gregorius*, *Theodoretus*, *Eucharius*, *Beda*, *Rabanus*, *Toſtatus*, *Pererius*, *Bellarminus*, & alii, quos citat *Menochius Cent. 1. c. 29.* Ratio eſt *primò*: quia peccantem S. Scriptura memorat, non vero (quod aliàs ſolet) pœnitentem. *2.* quia ingenti ſcandalo fuit *Iſraëlitis*, conſequenter periit aliorum more, *qui peccare fecerant Iſraël*: *3.* Quia non diruit fana, lucos, Idola, ùt colligitur *4. Reg. 23. v. 13.* *4.* Quia ſic habet *Davidis* oraculum: *Si dereliqueris eum, proijciet te in æternum. l. 1.*

Paral.

Obſervationes.

Obſervationes Politicæ Quæ.?

Mel. Quænam obſervationes Politicæ?

Leuc. Variæ, quas ex hujus hiſtoriæ ſerie Interpretes varii deducunt.

Regna.

I. Obſervant *primò*, gemina eſſe Regnorum fulcra, *Religionem*, & *Pietatem*. His ſuum initiò Regnum ſtabilivit *David*, ſtabilitum diu ſervavit *Salomon*: hac baſi gemina ſtante, ſub *Davide* immenſis eſt ampliatum victoriis, ſub *Salomone* elevatum ad ſummæ gloriæ apicem. *Pietate* Regis *Davidis* nutante, mox & Regnum inteſtinis motibus eſt concuſſum: tum ob ejus ſcelera afflictum bello, & peſte; ſecutâ pœnitentiâ firmatum eſt denuò: ſed brevì *Salomonis* impietate turbatum, & denique Idolomaniâ penitùs eſt diviſum: adeò â Regum ſive probitate, ſive improbitate vices ſuas, & fata plerumque Imperia mutuantur.

S 4 II. Ob-

Paral. c. 28. v. 9. Negant contrà S. *Hieronymus*, *Ambroſius*, *Iſidorus*, *Epiphanius*, *Cyrillus Hieroſol*, *Irenæus* & alij. Movet illos *Authoritas 70.* Interpretum: *Prover. 24. v. 23. Noviſſimè egi pœnitentiam.* 2. *Promiſſiones Divinæ: Ego ero ei in Patrem 2. Reg. 7. 14. ſi iniquè geſſerit, arguam eum in virga virorum.* 3. *ſepultura: Dormivit Salomon cum Patribus ſuis*, quod de alijs â Deo rejectis, non legimus. 4. *Dignitas* Scriptoris ſacri, de qua *Petri 2. c. 1. v. 21. Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt Dei homines;* quorum vel unum periiſſe, exemplo probari nequit. 5. *Preces Davidis* pro illo, quem ipſe Deus vocari voluit *Idida*, hoc eſt Amabilem Domino. *2. Reg. 12. v. 25.* Hinc reſpondent

Reges. II. Observant *secundò Regum virtutes, & vitia*, hæc ut Posteri fugiant, illas ut imitentur. In *Davide*, & *Salomone* damnant luxum, atque luxuriam; quia scelerum omnium Matrem, ærarii pestem, Regum, Regnorúmque perniciem: observant Regum scelera neutiquam esse impunita, neque contegi purpurâ, nisi ut vehementiùs erubescant. Regum scandala pessima vident, dum paterna reviviscere scelera, mox in filiis vident æquè, ac subditis, eò quòd efficaciter illa punire, quia sua, neque possint, nec audeant. Vident in *Hannone*, non violanda Gentium jura, nec aures quibusvis Consiliariis præbendas, (a) *quas simplices, & ex naturâ suâ alios æstimantes*, dum hæ viperæ callida fraude decipiunt, non rarò in Regni perniciē abutuntur.

Ministri. III. Observant *tertiò* varias in *Aulæ Ministris* proprietates. Quàm enim diversa horum consilia, quàm tecti in consiliis fines, quàm indoles sæpè vulpina! Suadet *Achitophel*, utendum tempore ad opprimendum *Davidem*; dissuadet *Chusai*; vul-

spondent *ad 1. Adami, Samsonis, Lothi, Bersabeæ* peccata legi, non pœnitentiam: nec tamen ideò damnatorum catalogo inscribendos. *Ad 2.* paritatem negant, & *Salomonem* potiùs comparant *Aaroni, Heli, Manassi &c.* & aliis. *Ad 3.* credibile est â *Salomone* destructa Idola, sed â successoribus mox iterum erecta: vel destrui haud potuisse sine majoribus malis. *Ad 4.* illa verba *Davidis* prophetica fuisse negant, sed monitoria: unde secuta â *Nathane* promissio: *Misericordiam autem meam non auferam ab eo.* Ita illi: nobis inter obscuriora problemata hæc quæstio meritò numeratur.

(a) *Esther. c. 16. v. 6.*

vulpinatur cum vulpe, non ut prosit *Absoloni*, sed obsit. Ille ob violatam neptem privatam coquit vindictam; hic amicitiam: Ille, & iste tempori serviunt, Fortunæ ventos explorant, in omnes formas cum *Protheo* se se transformant. Quàm occultis technis *Joabus*, atque *Abiathar* æmulationis privatæ studia promovent! Ille non horret sub amicitiæ schemate confodere *Amasam*, gloriæ æmulum; hic non dubitat persequi *Sadocum*; uterque conspirare audet cum *Adonia*, ut hujus fortunâ, suam stabiliant, diruant alienam. Sed quid DEUS ad ista? has aranearum telas plerumque dissipat, propriisque laqueis involuit providè: sic periît *Joabus*, ex laqueo pependit *Achitopel*, bellum Pseudo-Politici ectypon, dignúmque *Machiavello* spectaculum.

Mel. Quænam observationes Christianæ? XII. Observationes Christiãæ Quæ?

Leuc. Divinæ Providentiæ dispositio:

I. *In sua Ecclesia exaltanda.* Quæ hactenus in Tabernaculo, tandem in sui Populi medio habitare dignata est Divina Majestas, erecto Templo magnifico, ut in eo Religio per sacrificia, & ritus; Populi gloria per Religionis veræ studia ad summum apicem elevaretur. *Divina Providentia in exaltanda vera Ecclesia.*

II. Observanda eadem Divina Providentia *in vera Ecclesia præfiguranda.* Nam Templum illud magnificum, Ecclesiæ Romano-Catholicæ figura fuit solummodò, immò fuit inanis umbra, quæ tandem evanuit, hæc super petram fundatâ, &, ringentibus nequidquam Inferis, toti Orbi propemodùm dominante. In Sacrificiis omnibus unicum adumbratum est Sacrificium, Altaris scilicet, *In præfiguranda.*

ubi immolatur Divinus ille Agnus, quæ hostia omnes hostias, & victimas infinito pretio superat. In Arca translata, typum Sacrosanctæ Eucharistiæ videmus: in *Oza* punito, puniendam cernimus, Christianorum sacrilegam in *Christum* Eucharisticum irreverentiam: in *Absolonis* & *Achitophelis* proditione apparet *Judæ* proditio, in *Davidis* fuga, atque ærumnis *Christus* patiens; in *Salomone* pacifico, *Christi* sapientia, Doctrina, & Ecclesiæ sponsæ suæ divinissimum regimen est adumbratum. *

In illustranda virtutum incitamentis.

III. Observanda eadem Divina Providentia in vera Ecclesia *illustranda virtutum incitamentis*. In *Davide* apparet, otium esse incitamentum libidinis, è qua facilis descensus in alia vitia, imò in vitiorum omnium abyssum: elucet provida in Viro *secundùm cor DEI* lapsûs tanti permissio, ut nempe Justitia DEI, atque Misericordia magis elucesceret, nobisque præberetur timoris exemplum, pœnitentiæ speculum, salutis recuperandæ incitamentum: non fictè Poëta: *si non errâsset, fecerat ille minùs.* 2. Apparet in *Ammone*, & *Salomone*, quid in hominem

* Non adversantur ista prioribus, ùt imperitis forsitan videri posset. Audiatur *Salianus* in *epito. ad A. M. 3059. nec expressam* Salomonis *cum Christo Domino similitudinem, quam Patres omnes agnoscunt, delevit maculosa senectus, sed has ipsas maculas illa similitudo inumbrat fulgore suo, usque adeò sibi ambo prænuntiatione, ac titulis, ortu, & educatione, indole, ac specie, moribus, ac nominis celebritate, munitione & amplitudine Regni, sapientia, & copia divitiarum, Templique con-*

nem possit furiosa *Venus:* amor nempe est furor, amara dulcedo, triste gaudium, blanda mors. 3. Apparet denique virtutum omnium cumulus in *Davide*; nempe Religio, fortitudo, patientia in tot adversis, pœnitentia non intermissa: *Peccatum contra me est semper;* in *Salomone* apparet sapientiæ decor, qua cum bona omnia sunt conjuncta: in utroque denique apparet scelerum vindex Nemesis, apud quam nulla personarum distinctio, cùm cuivis reddat *secundùm opera ejus.*

Mel. Quæ Observationes Polemicæ? *Polemicæ Quæ?*

Leuc. I. Rursum *Hybnerus Luthero* suo oppositus. Ille dicit: *malum malo, convitia convitiis non retundenda: exemplo Davidis, maledico Semei parcentis.* Hic contradicit: **Das seynd heilose Tropffen / die da sagen / man soll den Papst nit schelten: nur flugs gescholten.** (a)

II. *Hybnerus* ait: *Si peccare non pudet, neque pudeat confiteri, exemplo Davidis: peccavi Domino.* Paulò aliter *Lutherus*, saltem tunc, cùm confessionem è Sacramentorum catalogo expunxit: *unum solum habent sacræ litteræ Sacramentum, quod est Christus Dominus.* (b)

III. Documentis pro Juventute Acatholica *Hybnerus* addere poterat: Ritus Sacri, & ceremoniæ, Authore DEO institutæ sunt, in lege

constructione respondent, ut ne in uxoribus quidem alienigenis, earúmque multitudine elegans similitudo desideretur, quam totam comparationem in annalibus diligentiùs prosecuti sumus. Ita ille.

(a) Tischbrocken *fol. 227.* (b) *In Thes. 18. fol. 49. editis Basileæ.*

Lege veteri, ut rebus Divinis reverentia; Synagogæ accresceret Majestas: igitur nec in Lege nova sunt contemnendæ, & veluti superstitionis reliquiæ explodendæ cum *Luthero*, atque *Lutheri* asseclis. Addere poterat: in Synagoga, quæ erat ectypon veræ, â *Christo* instituendæ Ecclesiæ, â DEO statutus est Antistes summus, in controversiis legalibus supremus Judex, cujus sententiæ omnes acquiescere tenebantur: instituta est subordinatio Sacerdotum; requisita consecratio legitima, consueta sacrificia *Evcharistica, impetratoria, propitiatoria, latreutica*, tanquam Sacrificii cruenti, & incruenti quondam in vera Ecclesia symbola: Archetypon igitur, hoc est, vera *Christi* Ecclesia, haud erit Ecclesia *Lutherana*, in qua analogia Archetypi cum Typo abolita penitùs est, & extincta. *

INSTRUCTIO III.

Fata Regum Israël,

Divisio instructionis.

MElander. Quæ divisio hujus Instructionis?

Leucotheus. In quatuor paragraphos: Primus aget de primis novem Regibus *Israël* usque ad extripationem impiæ stirpis *Achab*. Secundus de reliquis decem Regibus, usque ad eversionem Regni *Israëlitici*. Tertius de Prophetis Regni *Israëlitici*. Quartus de historia *Ruth*.

§. I.

* An Sacrificium Missæ novi Testamenti sit verum, ac propriè dictum Sacrificium? vide *Coll. Histor. contra Sectarios nostri temporis.*

§. I.

De Primis novem Regibus Israël usque ad exstirpationem impiæ stirpis Achab.

MEl. Qua ratione facta divisio Regni Davidici? *A. M. 3060.* *Divisio Regni Davidici facta Quomodo?*

Leuc. In causa fuit sacrilega *Salomonis perfidia: occasionem* præbuit malè consulta *Roboami austeritas*, & *despotici* Sceptri timor. *Causa.* *Occasio.*

I. Indicta erant comitia in *Sichem*, cùm ad recipiendum homagium, tum ad thronum, pleno Populi calculo, stabiliendum. Aderat inter Proceres *Jeroboamus*, post *Salomonis* fata ab exilio redux; in Regis vota prompti favebant omnium animi, id unum precati, non supportanda tributorum onera, â Parente imposita, relevaret paululùm filius, & velut subditos gratiosè susciperet, nec ùt mancipia premeret, opprimerétve. *I.* Sceptra ubi divisit Roboam. *Petitio Populi de relevandis tributis.*

II. Res ad Seniorum consilium delata, unanimíque suffragio est decisa; lenitate corda attraheret, amore potiùs, quàm timore firmaret solium, primísque clementiæ radiis fausta Regni auspicia illustraret. Sed quid tam gravia apud levem adeò juvenem? abiêre in ventum. Causam transtulit ad sui similes, quibus pro ratione animi impetus; & è Juvenum tripode consilium exquisivit malè consultus. Statuerunt illi; non præscribendas esse Regi â Populo leges, maléque materiatum fore imperii solium, si, qui timere debeant, timeantur. Mox initiò vi illos frangeret, *Consilium Seniorum affirmativum.* *Juvenum negativum.*

geret, quos amore vix flecteret; nunquam habiturum Regem demissiùs supplices, quàm si cum *Jove* tonare assuesceret, ac fulminare.

Eventu infausto.

III. Consilium pessimum pejùs est datum effectui. Elapso triduo sic ad Populum hæc purpurata Tigris: Pater meus vos pressit, & ego opprimam; *ille cecidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus.* Ad hæc insperata tonitrua Populus primò obstupescere; mox murmurare: *Quæ nobis pars in David, & quæ hæreditas in filio Isai?* denique in apertam seditionem erumpere, quam ubi *Roboam*, sapere volens cum *Phrygibus*, oblatâ per *Adoniram* quæstorem clementiâ, lenire tentavit, hic ab efferato Populo lapidibus obrutus; Rex ipse fugâ salutem in tuto ponere est compulsus.

Quia Regno diviso, & Anti-Rege electo Jeroboamo.

A. M. 3061.

IV. Mox *Jeroboamo* â decem Tribubus oblatum est Sceptrum, quod ubi *Roboam*, centum & octoginta millium collecto exercitu, eidem extorquere è manibus attentavit, prohibitus est ab ipso Numine, misso per *Semejam* Prophetam hoc nuntio: *A me factum est verbum hoc*; ut intelligeret DEUM esse, qui pietati *Davidis* dedisset Sceptrum, illudque *Salomonis* perfidiæ, suæque stultitiæ denuò eripuisset.

A. M. 3061.

Jeroboami I. Regis Israël Regimen Quale? Scelestum ob idololatriam inductam.

Mel. Quale *Jeroboami* regimen?

Leuc. Si ullum aliud, scelestum: hic Patre *Nabath Ephraimitâ*, Matre *Sarirâ* genitus, ingenio vafer, educatus *Salomonis* in Aula, ut Aulam everteret, postquàm DEI pietate datum possedit solium, illud impietate sacrilega statuit corroborare. Fixâ in *Bethel* regia sede, ne Populus Religionis causâ *Hierosolymam* peregrinari solitus, è Templo sensim ad *Roboami* partes accederet, in Regni

II. DuoNumina firmat Jeroboam.

gni ſui finibus duo erexit delubra, unum in *Bethel Auſtrum* verſus, alterum in *Dan* verſus *Aquilonem*; illud *Api*, hoc *Serapidi*, vitulis aureis, ſacrum, edictóque publico proclamari voluit: *Ecce! Dii tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti!* Inſuper vetuit, ut ne ultrà, Religionis ergò, ad avitum *Solymæ* Templum, ſive ſuperſtitiosè reſpicerent, ſive inutiliter peregrinarentur. Aris impiis magis impios addidit Flamines, his Diis dignos, quia obvios è proletaria fæce fungos. Jámque fumârant aræ, ſensúmque ſacrilegi crevêre luci; immò, & indies auxerant ſe cultores, Popello, ut ſolet, Regis ad exemplum ſe componente. *In Bethel & Dan.*

II. Accidit, ut prima daturus ſolemnia in *Bethel*, Rex cum Popis pararet thura, atque libamina; cùm ecce! *Addo* Propheta, huc *Hieroſolymis* à DEO miſſus, ſubitò exclamat de Populi medio: *Altare*, *Altare!* venient tempora, cùm *Joſias* futurus ultor, in te mactabit pro ſacrificiis ſacrificulos; pro thure cremabit illorum oſſa, & impios cineres diſperdet. Ad hæc auguria indignatus *Jeroboam*, extenſa manu, illicò vatem prehendi juſſit: ſed proterva hæc dextera ſic in momento diriguit, ut retrahi ampliùs non potuerit, nec niſi precibus ejusdem Prophetæ ad vigorem priſtinum rediêrit. Mox ad firmandam vaticinio fidem ſciſſum Altare medium, effusíque ſunt inſpectantibus cunctis victimarum ſacrilegi cineres. Agnovit Rex ſuum ſcelus, Prophetæ ſoſpitatori prandium obtulit, cum prandio munera; ſed Propheta à DEO prohibitus ſe ſe reficere in execrabili loco, viâ inſuper aliâ iter relegere juſſus eſt. *Quæ à Deo confuſa miſſo Addone Propheta.*

III. Ac-

Hujus fatum ob inobedientiam.

III. Accidit, ut quiesceret sub Terebintho, cùm nil opinanti alius adfuit vates ex urbe *Bethel*, qui prodigiorum famâ excitus, virum DEI ut familiariùs nosceret, ei reditum suasit, immò & ficto oraculo de mutato Numinis interdicto, persuasit. Apposuit hospiti frugale prandium hic Propheta, cùm ecce! qui priùs falsus, jam verus vates, Diviniore Spiritu afflante, inobedientiæ suum hospitem arguit, pœnámque indixit, mortem, patriique tumuli jacturam. Nec fefellit istud oraculum: nam *Addo* in reditu ab obvio leone prostratus est, qui cadaveris, uti & asini (cui insederat *Addo*) tam diu perstitit immunis custos, usquedum ab illo ipso *Bethelensi* vate repertum, tumulóque illatum est. Hunc tumulum sibi postmodùm elegit hic ipse vates, & providè, ut ne post fata, etsi tumulatus, tumulo privaretur, ùt videbimus infrà.

Jeroboami Perfidia punita Quomodo?

Mel. Quomodo punita â DEO *Jeroboami* perfidia?

Leuc. *Jeroboam* prodigiis territus, sed tamen â scelere non est absterritus: hinc admonito, nil emendato, aliud fulmen intorsit Divina Nemesis.

III. Perit inde miser.

A.M. 3077. & 78. Abiæ filij morte.

I. *Abiæ* filio, ad mortis confinia properanti, remedium quæsivit Pater ab *Achia* in *Silo*, vate piissimo, sibíque ob Regni auguria olim propitio. Missa est ipsa Regina, sed mutato cultu, ne esset Prophetæ agnita; quasi verò Prophetam latere possint præsentia, quem latere non possunt futura. Mox in domûs limine ab hoc Vidente (utut cæco) fuit agnita mulier; antequàm quæreret, audivit quærenda, immò non quærenda, nam audivit ea, quæ lubentiùs non audiisset.

II. Propheta quippe eidem exprobravit pri-

primò ingratam Largitori DEO mariti perfidiam. Secundò denuntiavit eradicandam stirpitùs familiam Regiam, feris, & avibus futuram infamem prædam. Tertiò Populum quoque Idolomaniæ participem, variis attritum cladibus, dènique in captivitatis vincula abripiendum. Quartò filium hunc sub ipsa urbis Regiæ portâ (quæ tunc â *Bethel* translata erat in *Thersam*) moriturum morte. Dictum, factum: expiravit infans in urbis limine, audivit Pater funesta oracula, luxit, & tamen non deseruit lugenda; adeò in sua mala indurescit animus, semel malè perversus.

III. Subin & *Abias* Rex *Judæ*, ut *Roboami* Patris solium sibi restitueret integrum, cum quadringentis armatorum millibus in Regnum *Israël* irrupit, voto Superis facto, illaturum se Templo, quidquid auri, argentive spoliatis hostibus eripuisset. Nec segniùs occurrit *Jeroboam*, duplo majore exercitu in arenam educto: commissa est inter se se utraque acies, in confiniis *Sichem*: *Jeroboam* numero, sed Superûm favore *Abias* potior, tanta strage afflixit *Israëlitas*, ut quingenta virorum millia succubuisse ferro vindici ferant: cui stragi, sanè immensæ, similem, in ullis Annalium fastis, difficulter leges.

A. M. 3077. Horrenda clade, per Abiam Regem Judæ illata.

IV. Denique quarto pòst anno, securis ad ipsam radicem est posita, & violenta morte *Jeroboamus* è vivis est exturbatus, Regum omnium scelestissimus, pro cujus tumba hoc Epitaphium dictavit sacer Historicus: *Peccavit Domus Jeroboam*, (a) *& deleta est de superficie terræ.*

A. M. 3081. Violenta morte.

(a) 3. *Reg. c.* 13. *v.* 34.

Reges Israël Quot? *Mel.* Quot fuerunt Reges in *Israël*, & quænam illorum fata præcipua?

Novendecim. *Leuc.* Fuêre novendecim, & quod illorum infame stigma, impietate sacrilegâ famosi omnes. *Scelerati omnes.* Compendium vitæ paucis plerumque verbis indicat sacer Codex: *Et fecit malum coram Domino, ambulavítque in peccatis Jeroboam, quibus peccare fecerat Israël.* (a)

Nadab Rex II. ejus fata Quæ? II. Et verò *Jeroboami* filius, & successor *Nadab* mox altero Regni anno vindicem ex- *A. M. 3082.* pertus est *Baasam*, hominem è Tribu *Isachar*, ambitiosum æquè ac truculentum. Hic trucidato proditoriè *Nadabo*, cruentum primus conscendit solium, cujus crudelitate usa Divina Nemesis ad implenda *Achiæ Silonitis* oracula; nam *Nadabi* cadaver in prædam objectum est feris, & avibus, Tyranni furore in totam insuper familiam debacchante.

A. M. 3083. III. Sed, qui ultus scelestam familiam, scelestæ familiæ prosecutus est scelus, aliúmque *Baasæ Regis III.* in suam familiam attraxit ultorem. Nam *Quæ?* Idololatricis *Nadabi* vestigiis insistens, cùm *A. M. 3086:* moneretur â *Jehu* Propheta; monitorem multavit morte, ne haberet, qui ruentem in omne scelus posthac retraheret. Et verò in perniciem ruit per varia bella, ipsis quinque *A. M. 3105.* lustris cum *Asa* Rege *Judæ* commissa, usque dum tandem corruit, pari cum Prædecessoribus scelere prostratus, paríque fato extinctus.

A. M. 3106. IV. Hujus filius *Ela*, impietatis patriæ hæ- *Elæ Regis IV.* res, dum inter epulas baccharetur securus sui, â *Zambri* equestris manipuli Duce, in ebrietate jugulatus occubuit: atque ne superesset

(a) 3. *Reg. c. 15. v. 34.*

esset coronæ æmulus, tota Regis familia pari fato est exstirpata.

V. Sed nemo hactenus suum è medio sustulit successorem; unde nec huic Tyranno deesse Tyrannus poterat. Exercitus quippe, qui tunc temporis *Gebbethon* oppidum obsidebat, intellecto Tyranni hujus facinore, diadema *Amri*, supremo Duci, imposuit, qui illicò *Thersæ* nefarium conclusit Regem, jam non de sceptro, sed sui sceleris ultione sollicitum: hinc, ut evaderet alienas manus, suas adhibuit, séque ipsum in sua Regia combussit; Rex in morte, quàm vitâ illustrior, rogo dignus, etsi non nisi septiduum regnârit. *A. M. 3106. Zambri Regis V.*

VI. *Amri* combustâ cum Rege jam Regni Regiâ, coëmpto monte â *Somer*, ibidem ædificavit *Samariam*, urbem impietate Regum *Israël*, quàm translatâ in illam Regiâ famosiorem. Cæterùm & ipse tritam trivit scelerum semitam, & pari fato post annum Regni undecimum ad inferos abiit. *A. M. 3110. Amri Regis VI.* *A. M. 3117.*

Mel. Quis, inter Reges *Israël* scelestos, fuit omnium scelestissimus? *Regum Israël scelestissimus Quis?*

Leuc. Nullus fuit impietate major *Achabo*, *Amri* impii impiissimo filio. *Achab Rex VII. ob Jezabelem conjugem.*

I. Hic enim ut maritali fœdere ipsum scelus sibi conjungeret, refragante lege, delegit in conjugem *Jezabelem*, Regis *Sidonii* filiam, quam si quartam ex orco furiam dixeris, non infamâsti. *A. M. 3113. IV.* Perit impius Achab.

II. Hac conjuge malè persuasus *Achab*, mox in ipso Regni sui exordio, *Baalis* cultum *Jeroboami* vitulis adjecit, tanta superstitione, ut octingentos & quadraginta Sacrificulos aleret Regina; Rex ipse, solus ne de- *A. M. 3118. Ob cultum Baalis inductum.*

deliraret, Idolomaniam in ſubditos, Regéſque poſteros propagaret.

A. M. 3124. Ob vexatos Prophetas.

III. *Eliæ* monitis, minísque nequidquam motus *Achabus*, vatem â conſpectu rejecit, *Jezabele* interim in viros Propheticos, atque Religioſos, crudeliter ſæviente. Huic nihilominus lanienæ centenos ſubtraxerat *Abdias*, *Achabi* Oeconomus, Vir timens Deum & Religionis avitæ retinens, quos ſpeluncis abditos, clàm ſubminiſtrato victu, in vivis ſervaverat.

Ob mentis pervicaciam.

IV. Intereà temporis accidit ut triennali ſterilitate Regnum exſiccaretur, unde *Elias* Regis juſſu quæſitus eſt, at non inventus. Tandem Probante DEO ſe ſtitit ipſe, & licèt prodigioſas de Cœlo pluvias; immò & ignem ad confundendos Popas, ſua in ſacrificia attraxiſſet, nihil tamen his motus *Achabus*, ſua in impietate obduruit, *Jezabele* iterum, ob occiſos *Baalis* Sacrificulos furorem omnem in *Eliam*, viróſque Propheticos effundente.

A.M. 3130. Ob raptam Nabothi vineam. Hæc ablata Cur?*

V. Necdum ſatìs. Erat prope urbem *Jezraël*, *Nabothi* cujusdam vinea; quæ, quia prædiis *Achabi* contermina, ſitúque percommoda, à Rege vel pretio emenda, vel meliore mutanda fundo inſtantiùs expetebatur. Sed cùm *Naboth* Majorum hæreditatem alienare ob inſtituta Patriæ recuſaret, repulſa tam potenter Regem afflixerat, ut æger decumberet, cibo abſtineret, omníque

Quomodo?

ſuorum ſe ſe conſortio privaret. *Jezabel*, cauſam edocta, Regi exprobrat imbellem animum, objectat inane ſceptrum, quo validiùs uſura ipſamet, mox vineam ſpondet. Hinc Regis

* Ita alii Hiſtorici probabiliùs contra *Salianum*.

gis nomine litteras dat ad Judices *Jezraël*, quibus jubet, velut in publica calamitate jejunium sine mora indicerent; tum *Nabothum* judicio postularent, subornatis testibus, velut blasphemum, & Divinæ juxtà ac Regiæ Majestatis reum arguerent; mox condemnarent, & denique lapidibus obruendum Populo traderent. Iniqua jussa iniquiis mox dantur effectui: *Naboth* lapidibus exturbatur è vita simul, & vinea; occiduntur & quadrigemini filii, ne superesset, qui repetundarum postulare possent sive iniquos judices, sive Tyrannum Regem. Hic de morte vix certior factus, mox ad vitiferum collem, fisco Regio attribuendum, accingitur: sed nec lento pede insecuta est *Nemesis*. Nam nil opinanti obviàm occurrit *Elias*, missus à DEO nuntius, qui tam ipsi Regi, quàm nefariæ conjugi, omnique Posteritati denuntiat, eo ipso in agro, quem insontis *Nabothi* cæde funestâssent, omnium sanguinem â canibus lingendum, cadavera bestiis in pabulum objicienda. *Qua Numinis vindicta?*

Mel. An *Achab* his oraculis motus ad pœnitentiam?

Leuc. Inclinârunt cervicem hæc fulmina, non fregerunt: nam scissis vestibus, sacco indutus, atque cilicio, funestam sententiam distulit magis, quàm abstulit, DEO in diebus filii hæc vaticinia penitùs complente. Nec desunt (*a*) qui huic pœnitentiæ, geminæ victoriæ fructum adjudicent. Nam *A. M. 3133. Achabi pœnitentiæ fructus Qualis? Dilata sententia.*

I. Rex *Syriæ Benadad* cùm *Samariam*, fœderatis duobus & triginta Regulis, bello premeret, dictatoria potestate primò petiît bona *Achabi* Regia; neque petitioni, utut durissimæ, refragari ausus est *Achabus*: sed cùm insu- *Victoria de Syris. A. M. 3134.*

(*a*) *Cornelius à lap. & alii.*

insuper peterentur civium fortunæ omnes, renuit, DEO per Prophetam anonymum ei victoriam spondente. Et verò non ampliùs ducentis triginta duobus Satraparum pedissequis, sic irruit in hostem, ut sui securum confuderit, atque fuderit ingenti clade, ipso Rege vix vitam fugâ à victoribus redimente.

A. M. 3135. Victoria erat.

II. Sed vertente anno, *Syris DEO montium* cladem hanc imputantibus, reversus est *Bennadad* amplioribus copiis, *campestres Deos*, magis sibi fore propitios auguratus. Hinc castra metatus in vicinia Urbis *Aphec*, Cœlo denuò adversante, profligatus est centum millium clade. Necdum satis: cùm in *Aphec*, septem millibus stipatus, se se reciperet Rex fugitivus, muri suâ sponte collapsi sunt, invisum sibi hostem, victrici ferro sic exponente Divina Nemesi. Sed quæ *Achabi* constans impietas! dum contra Numinis nutum *Benadado* veniam precanti parcit; dum in currum suum fratris instar recipit; dum ùt amicum sibi fœdere devincit, malè pius in Numinis hostem, & hoc ipso impius; Divinam sibi attraxit Nemesin, ignoto Vate, quia fœdùm saucio, hanc illi sub parabolico schemate * annuntiante sententiam: *quia dimisisti virum, dignum morte, erit*

* Paradoxam paraphrasin dat sacer Codex 3. *Reg. 20. v. 35. &c. Vir quidam de filiis Prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini, percute me. At ille noluit percutere: cui ait: quia noluisti audire vocem Domini, ecce! recedes à me, & percutiet te leo: cùmque paululùm recessisset ab eo, invenit eum leo, atque percussit: sed & alterum inveniens virum, dixit ad eum, percute me: qui percussit eum, & vulneravit. Abiit ergo Propheta, & occurrit Regi in via, & mutavit aspersione pulveris os, & oculos*

erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus, pro populo ejus: id quod brevì probaverat eventus.

Mel. Quod ultimum *Achabi* bellum, & quænam mors?

A. M. 3138. *Ultimum Achabi Bellũ Quale?*

Leuc. Triennium fluxerat, cùm *Achab* urbem *Ramoth* in *Galaad*, quam contra pacis conditiones Rex *Syrus* restituere detrectârat, vi sub potestatem redigere est conatus. Hoc ut faciliùs præstaret, *Josaphatum*, qui tunc fortè ad illum, utpote consocerum suum inviserat, in belli fœdera pertraxit. Quæsiti de expeditionis eventu sunt *Baalis* Augures, qui, numero quadringenti, unanimi tripode (quem animâratSpiritus mendax) fausta omina præsagière. *Josaphatus* suspecto tripodi non bene fisus, *Michæam*, *Achabo* infaustum plerumque Vatem, adesse jussit: hic, quia Spiritu diviniore afflatus, unus contra omnes, infausta fudit auguria; sed consueto veritatis ingratæ præmio; nam â *Sedecia*, Pseudopropheta cornuto, & turbulento, palmari alapâ percussus; ab *Achabo* carcere multatus

Causa: Syri perfidia. Comes Josaphat.

Omina.

oculos suos. Cúmque Rex transiisset, clamavit ad Regem, & ait: servus tuus egressus est ad præliandum cominùs, cúmque fugisset, vir unus adduxit eum ad me, & ait: custodi virum istum; qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus &c. Dum autem ego turbatus huc, illúcque me verterem, subitò non comparuit. Et ait Rex Israël ad eum: hoc est judicium tuum, quod ipse decrevisti. At ille statim abstersit pulverem de facie sua, & cognovit eum Rex, quòd esset de Prophetis. Qui ait ad eum: Hæc dicit Dominus: quia dimisisti virum &c.

tus est. Verbo: prævalente *Baalitarum* mendacio, tentata est certaminis alea.

Successus. II. Rex uterque armato curru invectus movit in hostem: *Josaphatus* quidem ornatu Regio eminebat; *Achabus* contrà mutato habitu latebat inter gregarios, ut vel sic eluderet interminata *Michaæ* omina, Vatémque redderet mendacem. Sed luditur, qui ludere DEUM cupit. Commissa est inter se se utraque acies; *Syri*, dum Regis jussu, armatorum curruum impetu in unicum *Achabum* intendunt, ornatu Regio decepti, *Josaphatum Achabi* locò, propemodùm obtrivissent, nî *Mors.* maturè *Josaphatum* se demonstrâsset. Jámque aliò se averterat hostilis furor, cùm ecce! gregarius miles, sagittam evibrans in incertum, tam certo vulnere *Achabum* transfixit, ut detractus è curru, infelicem animam mox exhalârit. (a) Subin signum receptui datum est, *Syro* permissa victoriæ gloria, *Achabi* corpus *Samariæ* est illatum, in cujus piscina dum currus ablueretur, defluentem sanguinem, juxta Prophetæ oracula, certatim lambere sunt visi canes: adeò nemo potest effugere manus Domini.

A. M. 3138. Achabi successores Qui? *Mel.* Quinam ex *Achabi* stirpe successores in solio *Israël*?

Ochozias Rex VIII. *Leuc. Ochozias* filius primogenitus, qui postquàm cecidit in Patris scelera, casu, ùt Pater, periît: nam de tecti solario in cænaculum fortè delapsus, afflicto graviter corpore, graviùs animo sauciatus decubuit: cùm enim è *Beelzebub*, DEO *Accaron*, sua fata impius per Legatos exquireret, illa intellexit ab *Elia*, Numinis veri interprete: *Nunquid DEUS non erat in Israël? Idcirco de lecto non*

(a) *Anno Regni vigesimo secundo.*

non descendes, sed morte morieris. Ita factum; nam è solario in cænaculum, è cænaculo in lectum, è lecto cecidit in sepulchrum, (*a*) inde prolapsus etiam in orcum, casu *Israëliticis* Regibus non insueto.

II. Huic in Regno successit secundo-genitus *Joram*, Parente melior; nam sustulit Idolum *Baal*, nec ideò tamen bonus; non enim sustulit Idola *Jeroboam*; hinc malus ex integro, & quia ex beneficiis DEI constanter pejor, denique est rejectus ex toto. Primum beneficium fuit victoria de *Mesa*, Rege *Moabitarum*: hunc enim, excusso tributario onere (quod decem millia ovium, totidémque arietum conficiebat) dum fœderatis armis Regis *Judæ*, & *Edom* aggreditur, ecce! septiduum integrum per *Idumææ* deserta ductus exercitus, aquæ penuriâ propè exhaustus est. Circumspiciunt Reges de Vate, sistitur *Elisæus*, qui opem rogatus, *Joramum* ad *Apis* Flamines ablegat; *Josaphati* tamen reverentiâ motus, aquam, & absque pluviis quidem, in alveos deducit, simúlque victoriam de hoste spondet. Nec fefellit augurium: nam aurorâ, ignotis alveis rubedinem aspergente, *Moabitæ* cruentam hostium cladem interpretati, illicò malè providi irruunt: sed repelluntur, sternuntur, cæduntur, strage adeò cruenta, ut ipse Rex *Mesa* per fugam ægrè se in urbem receperit. Atque, ne quid crudelitatis huic scenæ deesset, in hisce desperatæ sortis angustiis, *Phœnicum* more, primogenitum filium Rex sua ipse manu supra murum, inspectante hostili exercitu, *Diis Patriis immolavit*, * sive ut opem à Diis; sive ut com-

Joram Rex IX. A. M. 3139.

A. M. 3139. Ejus victoria de Moabitis Qualis? fæderatis Regibus Judæ, & Edom.

Prodigio aquæ.

Ingenti clade. Immolato à Rege Mesa, filio.

(*a*) *Anno Regni secundo.*

* *Quæres* 1. Cur Rex *Mesa* primogenitum immolâ-

commiserationem extorqueret ab hoste: extorsit sanè horrorem; nam fœderati Reges, immane facinus indignati, soluta obsidione ad sua reversi sunt.

A. M. 3148. Ejus victoria altera de Syris. Fames Samariæ horrenda.

II. Secundum Beneficium fuit, victoria de *Benadado* Rege *Syriæ*. Ab hoc obsessa erat *Samaria* foris instante hoste, intùs premente fame, & quidem tantâ, ut asininum caput, utique pretiosum, tunc octoginta argenteis væniret; ut columbina stercora præberent cupedias, & ipsæ matres ob devorata viscera (filios puto) litem sibi intenderent. Rex dirâ hac malorum facie territus, nec tamen sibi, quod debuisset, sed *Elisæo* iratus, Vatem subornato sicario interemisset, nî gratiore Oraculo caput periculo subduxisset: nam promisit Regi in crastinum vilitatem annonæ, tantam, ut duplex hordei modius vix stateris unius pretio æstimanda foret. Res â Magna-

molârit? *Arias Montanus* existimat, â *Mesa* non *filium suum*, seu proprium, sed *filium ejus*, hoc est Regis *Idumæi*, in eruptione captum, fuisse immolatum. Sed hæc fabula est â *Salomone Rabbino* desumpta. *2. Lyranus* censet, â *Mesa* filium proprium esse immolatum, sed *Abrahami* exemplo, in honorem veri Numinis, cùm â suis Idolis adeò turpiter derelictum se cerneret. Sed veriùs *Theodoretus*, *Abulensis*, *Cornelius â lapide*, & alii asserunt, â *Mesa* hoc holocaustum Diis esse oblatum, ut eos ad misericordiam flecteret: ídque more *Phœnicum*, teste *Porphyrio apud Eusebium l. 4. de præpar. evangel. c. 7.* quibus solenne erat, in desperatis rebus, per ejusmodi victimas vanorum Numinum auxilia advocare. *Quæres 2.* Cur ad hoc spectaculum *Israëlitæ* obsidionem illicò solverint? *Burgensis* putat, verba illa

gnatum non nemine inſtar delirii eſt exploſa: ſed repoſuit Vates, viſurum illum hæc omnia, non fruiturum. Oraculo reſpondit eventus: nam illa ipſa nocte, terrore Panico ſic confuſus eſt â DEO *Syrorum* exercitus, ut veluti inſtante jugulis victrici gladio fugam, quà data via, capeſſerent, & opulenta caſtra hoſti exſpolianda relinquerent. Leproſi quatuor, fugæ hujus & oculati teſtes & nuntii, apud obſeſſos vix fidem invenêre initiô: ſubin explorata â civibus caſtra, tandem & expilata ſunt, tritici modio ſtateris pretium haud adæquante. Sed & Patritius ille, qui priùs modicæ fidei, *Eliſæi* oraculo jam fidem habuit; immò & fidem fecit, dum ſub ipſa *Samariæ* porta, deprædantium pedibus obtritus, occubuit. *Ablata, Deo hoſtilem exercitum in prædam dante.*

Mel. Quî tandem periît *Ioramus*? *A. M. 3150.*

Leuc. Tot DEI beneficiis â ſcelerata Majorum ſemita non abſtractus, tandem & ipſe vindicem ſibi attraxit Nemeſin. *Ramoth* in Ga- *Jorami interitus Qualis? Cauſa:*

illa: *facta eſt indignatio magna in Iſraël*, de Deo intelligenda, qui iratus ſit propter ſcandalum, quod *Iſraëlitæ*, *Molocho* infantes ſuos immolando, dediſſent *Meſæ*: unde *Lyrano* teſte per Angelum percuſſi peſte, obſidionem ſolverant. Sed hæc ſapiunt *Hebraicæ* ſomnia. *Cajetanus, Pererius &c. indignationem* illam de *Iſraëlitis* intelligunt, è quibus Idololatræ inexpugnabilem hoc ipſo facto urbem crediderint; unde contradicentibus orthodoxis, lis orta ſit, ſícque obſidio ſoluta. *Cornelius â lapide, & Tirinus* cenſent, *Iſraëlitas* hoc horrendo facinore ad commiſerationem commotos ſua ſponte abiîſſe. *Menochius* exiſtimat, *Iſraëlitas* ex hoc facinore obſeſſorum deſperata collegiſſe defenſionis conſilia, & vel ideò periculoſam, ac dubiam ſolviſſe obſidionem. *Vide Men. cent. 9. c. 94.*

Ramoth Galaad. V. Totáque Posteritas, ultus quam vindice ferro est Jehu.

Galaad urbem, â Patre nuper amissam, cùm tentaret *Syro* eripere, non uno vulnere repulsus, *Iezraëlem* se se recepit æger, *Iehu*, ferocis genii & ingenii Duce, ad conficiendum bellum relicto in *Galaad*. Huic, dum suos inter ne quidem per somnium sibi blandiretur de sceptro, subitò adstitit missus ab *Elisæo* Discipulus, qui â cæteris abstractum, nec quidpiam simile suspicantem, derepentè unxit in Regem *Israel*, adjecto DEI Imperio, *Achabi* stirpem radicitùs exstirparet. Tum â suis, quod sanè mirum, pro Rege illicò agnitus, & tumultuariè constructo è chlamydibus solio, Rex proclamatus, *Iezraelem* contendit ultor.

A. M. 3161. Jehu vindice.

Jorami morte.

III. Semel & iterum de adventûs causa quæsitus, cùm sine responso detineret Legatos, Joramus ipse, in *Ochoziæ* Regis consortio (qui tunc fortè ad ægrotum inviserat) in occursum effusus est. Sed cùm quæreret: *an Pax est* Jehu? mox audiît hostile classicum: unde proditum se se sentiens exclamavit: *insidiæ Ochozia, insidiæ!* Et enim verò adfuêre insidiæ: nam dum inverso curru fugam arriperet, â Jehu confossus sagittâ, corruit, in agrum *Naboth* projectus â *Badazer*, ut inter lapides *Nabothi* Patris & ipse lapidem quæreret sepulchralem. *(a) Ochozias* quoque in fuga percussus, vitam finiît in *Mageddo*, relicto Posteris exemplo, mala cum malis consortia etiam bonis nunquam bene cessisse.

A. M. 3151. Jezabel punita Quomodo?

Mel. Quomodo tandem punita Jezabel, totáque *Achabi* familia exstirpata?

Leuc. Jehu Jezraëlis portas subeuntem cùm conspexisset fuco stibióque depicta *Jezabel*,

(a) *A. Regni 12.*

zabel, convitiis laceſſere victorem non formidavit: hinc ejus imperio per Eunuchos de feneſtris acta in præceps, equorum ungulis eſt contrita: tum â canibus raptata in agrum *Naboth*, ibíque ſic lacerata eſt, ut præter infamem calvariam, ſummáſque manuum, ac pedum reliquias nil ſupereſſet. Ita periît illa *Jezabel*, multiplici digna morte, utpote quæ ſuo malo tot alios, omnémque *Achabi*, *Joramíque* familiam involvit.

Præcipitata per feneſtrã.

II. Nam *Jehu* mox per litteras monuit *Samariæ* Proceres, ut nullâ interpoſitâ morâ vel declararent ſe hoſtes, vel amicos ſe demonſtrarent, amicitiæ ſubmiſſo pignore, capitibus ſeptuaginta filiorum *Achab*, & *Joram*. Illi victoris iram reveriti, maluerunt ſtringere, quàm experiri crudele ferrum; hinc una nocte jugulârunt omnem progeniem Regiam, abſciſſáque capita, cophinis concluſa, miſerunt ad *Jehu* Regem in *Jezraël*, quæ ante portas in geminum erecta cumulum, præbuêre novum, ídque formidandum Divinæ vindictæ ſpectaculum. Sed necdum finis tragœdiæ: eodem ferro vindice jugulati quoque duo & quadraginta *Ochoziæ* filii, ac nepotes, quorum infelicitas fuit, *Athaliâ Achabi* filiâ fuiſſe progenitos; culpa verò, quòd *Jeroſolymis* ad opem cognatæ familiæ ferendam profecti, in manus *Jehu* ultrices inciderint. Denique & in *Jezraël*, & in urbe *Samaria* conquiſiti omnes, *Achabum* qualicunque neceſſitudine contingentes, quos eodem fato ultor abſumpſit gladius, ut adeò nec folium viride, ne dicam ramus, ex genealogica *Achabi* arbore ſupereſſet.

Tota Achabi familia extirpata.

§. II.

§. II.

De reliquis decem Regibus Israël usque ad eversionem Regni.

Jehu Rex X. Regimen Quale? Bonum initiò.

A. M. 3151.

MEl. Quale Regimen Regis *Jehu*, & mors?

Leuc. Initiò laudatum, illaudatum in fine; nam sic ultus est scelera, ut tamen penitùs non extirparet. *Samariam* profectus, *Jonadabo* comite (viro Religioso, & magni nominis inter suos) solennis Sacrificii titulo, *Baalis* Flamines convocavit: sed dum victimas parârent hi Sacrificuli, ipsimet victimæ sunt destinati; nam conclusi omnes in fano *Baal*, immissis sicariis occubuêre; Idolum penitùs destructum, fanum eversum funditùs, & latrinis publicis est assignatum. * Promeruit Zelus iste, ut ad quartam usque progeniem solium *Israël*, *Jehu* familia possideret.

Ob Baal dirutum.

VI. Sed & iste pari per crimina fato sublatus cum stirpe.

II. Et

* *Quæres*: An peccaverit *Jehu*, simulans se cultorem *Baal*, ut Popas congregaret, & interimeret? *4. Reg. 10. v. 18. Petrus Annatus in Appar. ad Theol. q. 2. dub. 12. fol. 206.* affirmat *Jehu* peccâsse. Ita ad mentem *Angelici* qui *2. 2. q. 111. art. 1. ad 2.* sic ait: *Simulationem verò Jehu non est necesse excusari à peccato, vel mendacio; quia malus fuit, utpote ab Idololatriâ Jeroboam non recedens. Nec obstat primò.* Quòd *Jehu* laudatus à Deo, ac præmiatus legatur *4. Reg. 10. v. 30.* Nam: ℞. Doctor *Angelicus l. c. Jehu commendatur, & temporaliter remuneratur à Deo, non pro simulatione, sed pro Zelo, quo destruxit cultum Baal. Nec obstat 2.* Illud S. *Hieronymi in ep. ad*

II. Et hucusque egit ſat bene, ſed tamen malè, quia ſic ultus eſt ſcelus, ut tamen ipſe ſceleſtus eſſe haudquaquam deſineret. Deſtruxit *Baal*, & tamen *Jeroboami* vitulos adoravit; Idololatra peſſimus, quia tantùm ex parte bonus. Hac ſuperſtitione, cum veri DEI cultu permixta, tantum is Numini tædium attulit, ut horrenda flagella in ſe, & Populum ſuum attraheret, *Hazaële Syro* per excurſus continuos impunè in terram *Iſraël* debacchante. Sic poſtquàm per annos viginti ſeptem regnavit inglorius, conceſſit fatis, ſanè infauſtus, quia commune epitaphium Regum *Iſraël* meritus: *Non receſſit â peccatis Jeroboam, quibus peccare fecerat Iſraël.* (a)

Malum ob cultum Apis, atque Serapidis.

A. M. 3152.

A. M. 3178.

Mel. Cuinam ſceptra transmiſit. *Iehu?*

Leuc. Filio *Joachaz*, qui Parente neutiquam melior, ideóque nec in Regno fuit felicior: nam tot & ipſe â *Syro* cladibus eſt attritus, ut non niſi decem millia peditum, quinquaginta equites, & decem currus pro fulcimento Regni ſuppeterent. (b) Sed dum, DEO ſupplex, deprecatus eſt culpam, DEUS, quia pius, etiam impio remiſit pœnam; juſſus proinde eſt aſſumere in regiminis ſocietatem *Joam* filium, veriſſimè *Salvatorem*: nam longè felicior Parente (qui brevì abiît ad (c) Patres pariter infauſtos) trina clade ſic repreſſerat *Syros*

A. M. 3180, Joachaz. Rex XI.

A. M. 3193.

ad Galat. c. 2. Utilem ſimulationem, & in tempore aſſumendam *Jehu*, Regis *Iſraël*, nos docet exemplum, qui interfecit Sacerdotes *Baal*, fingens ſe Idola colere velle. Nam ℞. idem *Angelicus*: *Quòd Hieronymus largè utitur nomine ſimulationis pro quacunque fictione &c.* non ſtrictè pro ſimulatione mendaci.

(a) *4. Reg. 10. v. 31.* (b) *4. Reg. 13. v. 7.*
(c) *Anno Regni decimo ſeptimo.*

Syros, ut urbes multas, *Hazaëlis* jugo prostratas, asseruerit denuò in libertatem. Debuit hanc fortunam *Elisæi*, quem moriturum inviserat, meritis, qui sagittæ, solo allisæ, symbolo hanc triplicem eidem victoriam est auguratus.

A.M. 3204.

A.M. 3210.

Mel. Quid ultrà memorabile de *Joa?*

Joas Rex XII Victor Judææ.

Leuc. Quem hactenus *Syrorum* vindicem, mox quoque *Judæorum* flagellum DEUS constituit. *Belli occasio*, fuit miles *Samariæ*, nuper ab *Amasia* Rege conductus, qui missione facta, cùm non liceret hostem, hospitem est aggressus, vagâ ferri licentiâ *Judæam* depopulante. *Causa* fuit *Amasiæ* impietas, DEO perfida, neque minor superbia, qua prior ad arma ausus est provocare, *Ioa* inutilem fastum nequicquam cardui, â bestiis mox obterendi, parabolâ reprimente.

Belli occasio. Causa.

Amasiæ Impietas.

Eventus tristissimus pro Amasia.

II. Propè urbem *Betsames* arenam ingressus est uterque exercitus, Superis pro *Ioa* pugnantibus, qui licèt malus, *Amasiâ* tamen tunc erat melior. Nam *Iudaica* acies, tanto pavore cœlitùs est consternata, ut ante pugnam jam terga verterit miles; *Amasias*, injectis vinculis, oblatus sit *Ioæ* (nempe carduus Cedro) cui interminatus est ultima, nî efficeret illicò, ut victor exercitus *Ierosolymam* admitteretur. Admissus est enimverò, & ne prohiberi posset imposterùm, muris quadraginta cubitos dirutis, Rex, triumphantis in morem, *Amasia* ligato & ante currum raptato, in Urbem invectus est; nec nisi expilatis Templi, Regiæque thesauris, Regno sub precario Rege jam tributario, abductisque obsidibus est reversus in *Israël*.

Et Jerosolyma.

Mors Joæ.

III. Sic obtrivit hunc carduum Cedrus ista, quæ & ipsa tamen *Samariæ* mox mortis falci suc-

ci ſuccubuit (*a*) infelici fato, quia Regibus *Iſrael* communi: *nam fecit malum coram Domino, nec declinavit â peccatis Ieroboam.*

Mel. Quis *Ioæ* ſucceſſor? *A. M. 3211.*

Leuc. Ieroboamus II. primô felicior, non diſſimilis Patri, cujus per annos undecim in Regimine conſors, relictum ſibi ſceptrum, ſi non majori, pari certè felicitate rotaverat. Nam *Ionâ* Propheta animatus, arma movit in *Syros*, ſucceſſu adeò proſpero, ut *Galaaditidem*, omnémque terram, trans *Iordanem*, ab *Hazaële* olim avulſam, armis victricibus Regno iterum aggregârit.

Jeroboamus II. Rex ordine XIII.

Regimen quale?

A. M. 3212.

II. Sed fuerunt hæ palmæ non pietatis Regiæ, ſed Divinæ Miſericordiæ fructus, quæ Regnum *Iſrael*, quantumvis ſceleſtum, necdum tamen penitùs everſum voluit. Nam & ipſe *Ieroboam, Ieroboami* primi infami ſtigmate notatus, *malum fecit coram Domino*, & poſt Regnum, quadraginta & unum annos * feliciùs, quàm ſanctiùs adminiſtratum, ad Patres, vitulósque aureos abiît.

Mors infelix.

A. M. 3251.

Mel. Quæ *Ieroboamo* demortuo *Iſraelitici* Regni fata? *A. M. 3252*

Leuc. Duodecim annorum ſecutum eſt interregnum, *Iſraelitis* civilî diſcordiâ tumultuantibus. Tandem *Zachariæ*, *Ieroboami* filio, delatum eſt ſceptrum, quod tamen evoluto ſemeſtri, unà cum vita eidem eripuit *Sellum*, ſicque in quarta ſtirpe familiam *Iehu*, & ipſe ſcelerum vindex, ſolio deturbavit. Sed nec *Sellum* coronam, ſcelere obtentam, diu retinuit, ſublatus uno pòſt menſe, â *Manahen* Exercitûs Duce, manifeſto Rei-

Fata Regni Iſraëlitici poſt Jeroboami II. mortem quæ?

A. M. 3263. interregnum.

A. M. 3264. Zacharias Rex XIV. Sellum Rex XV.

(*a*) *An. 16. Regni.*

* Incluſis annis regiminis 11. ante mortem patris.

publicæ mox ruituræ indicio, quæ sensim in tot Tyrannos fatisceret.

A. M. 3264. Manahen Rex XVI. A. M. 3265. Ejus crudelitas in urbem Thapsam.

II. *Manahen* ut thronum crudelitate partum, tyrannide stabiliret, primò in urbem *Thapsam* imperia detrectantem, ita desæviit, ut promiscuâ cæde sus deque verteret omnia, crudeli ferro in ipsa matrum viscera grassante.

Imprudentia. Mors.

III. Et quoniam Tyrannidis comes est metus, *Phulem Assyriæ* Regem mille talentorum impendio * advocavit in Regnum, *eíque* tributarium sceptrum jugo spontaneo obtulit. Sic inter odia publica, exacto malè decennio, sicca morte (quod rarum inter Tyrannos) descendit ad Inferos.

A. M. 3274. Phaceia Rex XVII.

IV. Patri successit *Phaceia* filius, & quia impietatis paternæ hæres, & ipse, post biennale regimen, è solio simul, & vita, à *Phacée* Chiliarchâ, *Romeliæ* filio, est deturbatus.

A. M. 3279. Phacée Rex XVIII. Quæ Regni corruentis Prœludia?

Mel. Quæ denique ultima Regni agonizantis excidia?

VII. Ipsum cùm denique Regnum corruit. Prima captivitas.

Leuc. Phacée prima dedit prœludia: nam sceleribus suis bilanci Divinæ tantum adjecit pondus, ut *Israëliticum* Regnum sensim ad interitum declinaret. Hinc denegato tributo, *Theglat Phalassar* irruit in Regnum; omníque terra, quam quondam occupaverat *Hazaël*, ferro vindice subactâ, Tribum *Nephtali*, *Ruben*, & *Gad* cum dimidia *Manasse* abstraxit in vincula servitutis. Sic ob scelera castigati ab *Assyriis Israëlitæ*, eandem ob caussam, & ipsi *Judaicum* Populum castigârunt, *Phacée* ingentem cladem *Ierosolymæ* inferente; de quâ sub *Achazo* redibit mentio. Tan-

A. M. 3296. dem Rex ipse malorum omnium origo, pœnas dedit Divinæ Nemesi, trucidatus ab *Osea*, *Elæ*

* 1375000. aureorum nostratium.

Elæ filio, Parricidâ Parricidæ *Talionem*, ùt assolet, rependente.

II. Hoc tandem Rege tot sceleribus quassata corruit Regni moles. Initiò illi sceptrum negârant intestina dissidia; Sed illo tandem potitus adnitente *Theglat Phalassar*, Rege *Assyriæ*, usurpavit Regnum, annos aliquot tributarium. Monstraverat *Osea*, se Regem esse, non quidem bonum, nec tamen pessimum: nam postquàm aureos vitulos jam abstulissent *Assyrii*, ipse præsidia in Regni finibus sustulit, ut ne subditi libero posthac ad Templum *Solymæ* aditu prohiberentur.

Osea Rex ultimus ordine XIX. Regni eversio Quæ? A. M. 3299. Causa; perfidia.

A. M. 3310.

III. Sed cùm *Ægyptio* fœdere fretus sensim niteretur *Salmanassaris*, novi Regis *Assyrii*, jugum excutere, triennali obsidione sub potestatē est redacta *Samaria*, Rex captus, (*a*) & compedibus vinctus (in quibus postmodùm obiisse dicitur) & unà cum subditis, quos inter *Tobias*, in æternam servitutem abstractus est. Ita Regnum *Israëliticum* funditùs est eversum, postquàm *Roboami* stultitiâ à Regno *Iudæ* avulsum; *Ieroboami* impietate fundatum, per annos quinquaginta quinque ultra ducentos, tot Idololatris Regibus pessimè administratum, jam priùs vitulis pudendam serviit servitutem, lento, sed tamen tremendo Divinæ Nemesis exemplo.

A. M. 3311. Per Salmanassarem Regē Assyriæ.

A. M. 3314. Israëlitis in captivitatem abstractis.

Mel. A quibus subin habitata est terra *Israël*?

Leuc. Israëlitis per varias mundi plagas dispersis, a *Salmanassare* missi *Assyrii*, qui erectis coloniis *Samariam* habitarent, sed cùm in terra, â Numine electa, passim erigerent Idola, immissi Leones, multa clade alienigenas hósce vexaverant. Causam mali, ignorantiam cultûs, quo coli oporteret DEUM *Israël*

A. M. 3315. Terra Israël habitata â quibus? Ab Assyriis.

VIII.
Orbatas Syris habitantibus oras.

(*a*) *4. Reg. 9.*

Per leones vexatis. Et liberatis sacerdotis Hebræi operâ.

Israël interpretati recentes isti coloni, à Rege *Assyriæ* Sacerdotem *Hebraicum* & petiêre prudenter, & obtinuêre salubriter. Hic quippe, sede fixa in *Bethel*, cùm Incolas in ritibus *Iudaicis* instrueret, cessavit plaga, & in sylvarum abditis innocui mansêre leones. Sed cùm sic colerent DEUM *Israël*, ut tamen Idololatricis *Assyriæ* ritibus inhærerent, prodiît Religio spuria, nempe media, quæ, quia ab ingenio proprio fabricata pro genio, bona non fuit, sed pessima, dictáque hæresis *Samaritana*, ob quam & ipsi â DEO cum tempore è terra *Israël* sunt ejecti.

§. III.

De Prophetis Regni Israëlitici.

Eliæ Prophetæ fata, atque prodigia Quæ?

MEl. An non durante Regno *Israëlitico* celebris fuit *Elias*, & quænam ipsius fata, atque prodigia?

IX.

Leuc. Elias, illustre nomen inter Prophetas, cognomento *Thesbites* ab oppido *Thisbe* in Tribu *Gad*, pietatem cum lacte, Zelum Domini instillante Cœlo, *Galaaditidis* in solitudine, hausit. Hujus quot pene fata, tot fuêre prodigia. Nam

Interea Zelo Elias.

Ortus. A. M. 3123. Educatio.

I. Cùm Regnum *Israël* magìs magísque in scelus ruere cerneret, adiît *Achabum*, impietatem sacrilegam exprobravit audacter, contemptis monitis minas, minis oracula superaddidit fortiter, dixítque suis precibus sic claudendos per triennium Cœlos, ut velut ære fusi nec roris stillam, nec pluviæ guttulam essent largituri.

Inducit triennium sterile.

A. M. 3123. Nutritur â corvis.

II. Sed pro minis retulit minas, rejectus â Rege

Rege in ſcelus omne projecto, & fugere compulſus, delituit propter Torrentem *Carith*, qui illi dederat potum, corvis manè, & veſperi cum carne panem indies miniſtrantibus.

III. Siccato Cœli caloribus torrente, â DEO pergere juſſus eſt *Sareptam*, urbem *Sidoniorum*, ubi ſedem Regiam fixerat *Jezabelis* ſceleſtus Pater. Hic â paupere vidua ſuſceptus, cui cùm præter aquam vix ſupereſſe intelligeret buccellam panis, in egeſtate ſuccurrit, farinæ hydriâ, oleique lecytho annonam, nunquam poſthac defecturam, ſuppeditante. *A. M. 3124. Viduæ annonam multiplicat.*

IV. Huic ipſi viduæ, cùm filiolum unicum, orbitatis ſuæ ſolatium, mors cruda ſurripuiſſet, is effuſus in preces, cadaveris membris ſingulis ſua ſuperimponens, tertiùm repetito incubitu, quaſi calorem afflavit vivificum, animámque exulem reduxit. *A. M. 3124. Mortuum ſuſcitat.*

V. Intereà *Elias* undique per emiſſarios conquiſitus ab *Achabo*, Numinis juſſu tandem ultrò ſe ſiſtit, ductúsque ab *Abdia* Oeconomo in Aulam, Regi promiſit pluvias, ſi modò annueret certamini inſtituendo cum Sacrificulis *Baal*, alterutri parti propoſito mortis ſupplicio, cujus victimam flamma, Cœlo lapſa, non devoraret. Et ecce dignum viſu ſpectaculum! in montem *Carmelum* coguntur Popæ; confluit attonitus Populus; â *Baalitis* exſtruitur ara; bos ſectus lignis imponitur; tripudiis, clamoribus intonant Sacrificuli: *Baal exaudi nos!* cultris in ſe ſe ſæviunt inſani *Stentores*, & quidem ad usque plenum meridiem, non ſine ſplene ſarcaſtico adhortantis *Eliæ*; *Clamate voce majore; nam certè dormit Baal, ut excitetur.* *A. M. 3126. Holocauſto cœlitùs accenſo* Baalis *Popas confundit.*

Tandem & *Elias* è duodecim lapidibus altare erigit; lignis imponit victimam, ter liberali undâ suffusam; mox invocato Numine ignis de Cœlo delabitur, victimam, ligna, lapides devorat, ipsam aquam, circa altare stagnantem, lambente flammâ: tum Sacrilegos Flamines, â Populo prehensos, duci jubet ad torrentem, ubi ad pedem montis, irruente in ipsum Zelo Domini, mactat ad unum omnes, & quinquaginta ducentas victimas Divinæ Nemesi immolat heroicus hic Divinæ gloriæ Zelotes.

Morte multat.

A. M. 3126. *Pluvias impetrat.*

VI. Hoc reorum sanguine rigata Tellus, ut quoque pluviis irrigaretur, *Elias* montem conscendit, missóque septies exploratore, tandem audit, quòd è mari sensim ascendat nubecula ad instar vestigii humani. Mox *Achabum* maturare reditum jubet in *Jezraël*, dúmque ipsemet rhedam præcurrit, effusi illicò de Cœlo imbres, ipsa penè vestigia inundârunt.

A. M. 3127. *Fugit.*

VII. Sed cùm *Iezabel*, intellecto Poparum excidio, versa in furiam, Authorem cædis ad cædem deposceret, *Elias* fugere coactus, peragratis inviis, tandem lassus sub junipero quievit: subin præ tædio non tam fugæ, quàm Patriæ, tot vitiis obvallatæ, bis in somnum delapsus, bis excitatus ab Angelo, refectúsque pane *subcinericio*, ipsos quadraginta dies jejunus, per ambages contendit in montem *Horeb*, ibíque in spelæo delituit. Sed brevi evocatus â DEO, quem præmisso turbine, terræ motu, & erumpentibus flammis, transeuntem in *Sibilo auræ tenuis* adorârat, inaudiit arcana verba; *Hazaelem* nempe in Regem *Syriæ*; *Iehu* in Regem *Samariæ*; utrumque in scelerum vindicem ab *Elisæo*, sui vicario,

Ab Angelo confortatur.

In visione discit futura.

rio, inungendum, quem proin *Elisæum* prope *Abelmeulam*, (*a*) fortè arantem, sibi in discipulum objecto pallio adscivit.

Elisæum adsciscit Discipulum.

VIII. In *Carmelum* reversus, dum *Ochozias* æger, hunc vatem sibi fatidicum, armata manu tentaret adducere, is quinquaginta satellites semel, & iterum flammâ vindice, de Cœlo vocatâ, combussit; & etiam tertium combussisset manipulum, nisi Centurio, submissa prece, avertisset periculum, cui subin, hortante Angelo, se se comitem adjunxit, mortémque jam priùs annuntiatam, iterato oraculo Regi perfido annuntiavit.

A. M. 3138. Igne cœlesti consumit Ochoziæ satellites.

IX. Inde cum *Elisæo* Discipulo, quem â se dividere frustrà ter conabatur, ad *Jordanem* progressus, undas pallio divisit, fluvio siccum transitum offerente.

A. M. 3139. Jordanem dividit.

X. Tum copiam *Elisæo* fecit petendi, quidquid luberet: petiit ille duplicem spiritum, * Miraculorum scilicet, & Prophetiæ: mox cur-

In Cœlum rapitur.

(*a*) *In Tribu Manasse cis Jordanem.*

* *Quæres*: Quid *Elisæus* intellexerit per duplicem Spiritum? *Theodoretus q. 7. in 4. Reg. c. 2.* intelligit duplo majorem Spiritum in potestate patrandi miracula, & prophetia: unde *Petrus Damianus serm. 2. de Nat. S. Joan. Bapt.* testatur *Elisæum 24.* patrâsse miracula, *Eliam* solummodo *12.* Alii *Eliæ 7. Elisæo 14.* prodigia adscribunt. *Menochius Cent. 10. c. 44.* existimat, ab *Elisæo* petitum majorem spiritûs & cœlestium donorum abundantiam in sanctitate vitæ, qua utilior Populo esset; non vero spiritum prodigiorum, qua *Elia* famosior appareret, quod arrogantiam spirâsset. Alii per duplicem Spiritum intelligunt duas (ùt vocant) tertias Spiritûs *Eliæ*: alii magnũ simpliciter Spiritum, id quod pluribus, ejusmodi formulis, è sacra Scriptura petitis. confirmant. *Vide Cornel. â lapide, & alios.*

currus igneus per aëra advolans ſublatum in turbine *Eliam* in Cœlos rapuit, acclamante *Eliſæo*, & dejectum pallium, cum pallio ſpiritum entheum excipiente. * Fruſtrà poſtmodùm â quadraginta emiſſariis Prophetarum quæſitus in terra *Elias* eſt, vir Zelo plenus, qui translatus ad Superos, ut eodem Zelo quondam rediret, oris gladio Impium debellaturus.

Eliſæi prodigia quæ & quanta?

Mel. Quid de *Eliſæo*, ſub hæc ipſa tempora, celebri?

X.

Virtute ſtupenda lucet Eliſæus.

Leuc. Duplici ſpiritu, Prodigiorum & Prophetiæ æquavit certè, ſi non ſuperavit *Eliam* Magiſtrum. Nam primò vix bene natus, fuiſſe dicitur jam Thavmaturgus: ad ejus quippe natales, veluti Idolis funeſtos, Vitulum aureum immugiiſſe teſtis eſt S. *Epiphanius*, & *Iſidorus*.

Mugitus aurei vituli.

A. M. 3139.
Jordanem divdit.

II. Accepto *Eliæ* pallio redux, cùm & ipſe bis percuſſiſſet *Iordanem* initiò refractarium, mox prodigioſam ſibi quoque aperuit ſemitam, ſiccis pedibus terendam.

III. Dum

* *Quæres 1.* Quid ſentiendum ſit de *Eliæ*, uti etiam *Enochi* raptu? ℟. Non eſſe mortuos, ſed etiamnum vivos, & *Antichriſti* tempore venturos denuò, communis eſt Patrum ſententia in illud *Apoc. 11.* de duobus teſtibus ſe ſe Beſtiæ oppoſituris: & patet ex S. Scriptura *Eccleſ. 44. 15. Enoch translatus eſt in Paradyſum, ut det Gentibus pænitentiam.* Item *Eccleſ. 48. 9. Qui receptus es in turbine ignis, qui ſcriptus es in Judiciis temporum lenire iracundiam Domini &c.* Hinc I. verba *Gen. 5. 24. Tulit eum DEUS*, non indicant mortem, ùt illa *Eliæ 3. Reg. 19. 4. Tolle animam meam*, quia Septuaginta legunt, locò *tulit*, *transtulit*, & *S. Paulus* expreſsè dicit ad *Hebr. 11.*

5.

III. Dum in *Ierichо* ſubſiſteret, ſteriles aquas & noxias, injecto ſale, fœcundas reddidit, atquepotabiles. *A. M. 3139. Aquas amaras edulcat.*

IV. Inde Progreſſus in *Bethel*, cùm procax puerorum turba ſenilem calvitiem dicteriis vellicaret, maledixit maledicis, & evocatis è ſylva geminis urſis, duos & quadraginta ſanniones nequam tradidit dilaniandos, ſevero utique exemplo, è quo filii diſciplinam, educationem diſcant Parentes. *A. M. 3139. Puerorum petulantiam caſtigat.*

V. Tribus Regibus (quos inter *Ioſaphat*) in *Idumææ* deſertis prodigioſum aperuit laticem, ùt memoratum ſuprà. *A. M. 3139. Dat aquas in ſicco.*

VI. *Samariam* reverſus, obviam habuit pauperculam viduam, relictis mariti debitis ſic gravatam, ut onus non niſi onere graviore (ſervitute gemini filii) relevare compelleretur. Mox *Eliſæus* huic vulneri affudit oleum: nam pauxillum olei, quod ſuppetebat, copioſè adeò fluere juſſit, ut vaſa, etſi à *Oleum viduæ multiplicat.*

U 5 filiis

5. *Enoch translatus eſt, ne videret mortem: Quæres 2.* Quò translati ſint? ℞. Multi in Paradyſum terreſtrem: verius in locum quemdam amœnum teſte *S. Greg. M. hom. 29. in Evang. In Cœlum aëreum Elias ſublevatus eſt, ut in ſecretam terræ regionem repentè duceretur, ubi in magna jam carnis & Spiritûs quiete viveret, quouſque ad finem Mundi redeat. Quæres 3.* An videant Deum, síntque comprehenſores ſimul, ac viatores? *Petrus Annat. in Appar. ad Theol. l. 2. Dub. 5.* contra *Catharinum*, *Salmeronem* & alios ℞. negativè. Quia communi Theologorum calculo ſoli *Chriſto* competit hæc prærogativa, neque *Moyſi*, nec *Paulo* conceſſa juxta illud *Exodi 33. v. 20. Non videbit me homo, & vivet.* Unde *Eccleſia 20. Julii* non celebrat feſtum Eliæ, ùt *beati*, ſed memoriam recolit illius, ùt *rapti*. Ob eandem

raptûs

filiis undique comportata priùs, defecerint, quàm iste liquor: hoc proin uncti sunt creditores, & emollita est durior egestas.

A. M. 3140. Fœcunditatem impetrat.

VII. Transiens non raro per *Sunam*, matronam hospitem habuit, quæ præter frugalem mensam, ei cænaculum præpâr arat, genio Viri Sancti accommodum: nam separatum, parvulum, uti superfluis carebat, sic necessariis non egebat, utpote lectulo, sellâ, mensâ, & candelabro ritè instructum. Hospitalitatis gratiam ut compensaret, munus promisit, quo unico tot inter bona carebant conjuges, hæredem filium. Assensit Cœlum, deditque filium, sed quem denuò rapuit, ut

A. M. 3143. Mortuum suscitat.

geminato favore denuò daret. Trimulus dolore capitis cùm fortè langueret, mox elanguit in sinu matris, tanto ejus mœrore, ut illicò advolans in *Carmelum*, Viro DEI munus

raptûs prodigiosi memoriam à *Græcis Eliæ* erecta sunt Templa: non verò, ut velut *Beatum* venerarentur. *Quæres* 4. An ergò *Enoch* & *Elias* etiamnum cibîs indigeant? ℞. *Theodoretus q. 15. super Gen.* hoc curiosiùs non indagandum. *S. Aug. l. 1. de peccat: meritis c. 3.* aït, vel sine cibo conservari utrumque, vel nutriri ex ligno vitæ. *Quæres* 5. An etiamnum mereri possint? Negat *Suarezius in 3. p. q. 59. Art. 6. Disp. 55. sect. 1.* Eò quòd aliàs eorum merita ita excrescerent, ut omnium Sanctorum merita, etiam Deiparæ, superarent. Contrà affirmat *Pererius L. 7. in Gen.* eò quòd etiamnum versentur in statu viæ, non termini: unde quia longiùs merentur, superabunt meritis plurimos, non tamen omnes, quia suaviùs merentur; multò minùs Beatissimam, ultrà puras Creaturas omnes immensis meritis elevatam. Ita *Menochius Cent. 2. c. 92.*

nus ab illo datum, â morte rurſus ereptum lamentaretur. Promiſit ille reddendum denuò, móxque miſit *Giezi* ſervum cum baculo, ut nemini propalato negotio mortuum ſuſcitaret. Tandem Matronæ lacrymis permotus, ipſe ſe accinxit itineri, & neceſſariò quidem; nam ſervo cùm obedire mors renuiſſet, *Eliſæus* repetito incubitu, vel precibus potiùs animavit denuò mortuum, & oſcitantem ſepties, vitæque jam reſtitutum, Matri reſtituit.

VIII. Inde *Galgalam* progreſſus, cùm Diſcipulis olerum locò colocynthidas appoſuiſſet ignarus lixa, clamantibus convivis: *Mors in Olla!* is modico farris & mortem, & amaritiem abſtulit. Mox viginti panibus, quos de *Baalſaliſa* non nemo attulerat, is viros omnino centum ſic ſaturavit, ut etiam reliquiæ ſuperarent. Immò velut per jocum, & otium patrabat miracula. Diſcipulo ligna cædenti, fortè ſecuris è manubrio cecidit in *Iordanem*: *Eliſæus* manubrium aliud injecit in undas, quod, levitate ligni nequidquam obſtante, illicò delatum ad fundum, ſuâ ſponte ſecuris foramini ſe ſe inſeruit, ac ſuper undas ferrum adnatans obtulit lignatori.

A. M. 3144. Cibum emendat.

A. M. 3144. Panes multiplicat.

A. M. 3141.

Ferrum ex undis revocat.

IX. *Naaman Syricæ* Aulæ Primas, Regíſque favore celebris, ſed leproſus, cùm ab Ancillula inaudiiſſet *Eliſæi* prodigia, litteris Regiis, muneribúſque inſtructus ad *Ioramum* Regem *Iſrael*, ſanitatis recuperandæ ergò, dimiſſus eſt. Territus *Ioramus* mirabili hoc Regis petito, *Naamanum* amandavit ad *Eliſæum*, qui ne quidem admiſſo in ſui conſpectum, per famulum indici juſſit, ſepties ſe ſe lavaret in *Iordane*. Indignatus initiò

Naamanũ leproſum ſanat.

A. M. 3150.

Naa-

Naaman & inurbanam Prophetæ curiam, & ineptum ſanandi modum, â ſuis tandem perſuaſus, ſe ſe lavit, & lavando mundatus eſt. Rediît ille, ſanatus non modò corpore, ſed etiam mente; nam vero Numini cultum ſpopondit, * Prophetæ gratias habuit, & munera obtulit; quæ cùm ille recuſâſſet ſanctè, *Giezi* famulus avarè depopoſcit: & verò accepit pœnam cum munere, lepram ſcilicet *Naamano* abſterſam, quam in avaritiæ ſuæ ſtigma etiam in ſuos poſteros propagavit.

A. M. 3146. Hoſtes â Rege Syriæ miſſos excæcat.

X. *Benadadi* Regis *Syriæ* ſtratagemata, prophetico ſpiritu ſibi explorata, cùm *Joramo* Regi ſæpè detegeret, is iratus inviſo Syndico, militarem manum miſit in *Dothaim*, velut in uno Vate totam *Samariam* debellaturus. *Eliſæus* de periculo monitus, famulo oſtendit montem, in monte copias auxiliares, currus, equos igneos, terrificam cœleſtis militiæ

* *Quæres:* An adoratio, quam 4. *Reg.* 5. *v.* 17. ſibi ab *Eliſæo* permittendam petiît *Naaman*, ad veram fidem converſus, fuerit adoratio Idoli *Remmon*, propriè dicta, ac proinde peccaminoſa? ℞. *Annatus in appar. ad poſit. Theol. l.* 2. *Dub.* 13. *fol.* 207. fuiſſe ſolummodò politicam, & civilem, 1. Quia videtur ab *Eliſæo* approbata: *Vade in pace.* 2. Quia Regem non Religionis intuitu, ſed obſequii ſolummodò civilis cauſâ comitabatur, manu ſuſtentabat, eóque flectente pariter ſe inclinabat. 1. Vnde cooperatio illa non fuit *moralis*, ſed ſolùm *phyſica.* 2. Neque acceſſit ſcandalum, teſte *Abulenſi*, *Lyrano*, *Cajetano*, *Sanchezio*, *Suarezio*, & aliis, eò quòd omnibus notum fuerit, ab *Naamano* repudiata publicè jam Idola, DEO *Iſraëlis* erectum domi ſuæ Sacellum, hócque eſſe merè officium, Regi civiliter præſtandum.

litiæ phalangem. Mox obviàm hoſtibus progreſſus, cùm *Eliſæum* ab *Eliſæo* exquirerent, Ducem ſe præbuit, oculiſque glaucomate obnubilatis ignaros ſtitit in urbe *Samaria*: hìc demum remoto palpo, hoſtili caveæ incluſos ſe ſe intuiti, velut certæ jam mortis victimæ cohorruêre. Sed obſtitit Prophetæ pietas, qui liberali prandio refectos dimiſit denuò, ſatisfactum ſibi ratus, quòd ad capiendum ſe miſſos Regi remitteret â ſe captos.

XI. *Samariam* inſuper foris ab hoſte, intus â fame jam ad extrema redactam, non liberavit modò, ſed etiam immenſis ditavit ſpoliis, ùt narratum ſuprà.

A. M. 3148. Samariam & hoſte & fame afflictam liberat.

XII. Denique cùm *Joas* Rex *Iſraël*, ad eum ægrotantem inviſeret, & in Prophetæ fato Regni ſui fata meritò deploraret, juſſus eſt arcum intendere, unáque cum morituri manu vibrare jaculum contra *Syriam*: fecit, & audivit omen reportandæ victoriæ in *Aphec*. Mox ſagittâ, quoties vellet, terram percutere juſſus eſt: percuſſit pulſu ter repetito, qui numerus, aliàs perfectus, imperfectus hìc audiît. Nam ſi ſæpiùs terram Rex percuſſiſſet, ſæpiùs *Syriam* debellâſſet, immò & exarmâſſet *Eliſæo* teſte. Sic inter prodigia tandem mortuus eſt Propheta, ſi tamen mortuus, qui mortuo mox dedit vitam. Nam accidit, ut *Moabitæ* latrunculi, excurſione ſubitâ, mortui cujuſdam exequias diſturbarent; unde cùm fugitivi ſandapilæ, urgente timore, cadaver raptim in *Eliæ* ſpelæum projicerent, illud ſacrorum oſſium contactu animatum illicò eſt, fugítque mortem, dum reliqui fugerent hoſtem, relicto tumultuariè hoc epitaphio. *Eliſæus in vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia eſt operatus.*

A. M. 3204.

Mortuus mortuum ſuſcitat.

Mel-

Quales Prophetæ alii sub Regibus Israël?

Mel. An plures Prophetæ, vaticiniis celebres, vixêre sub Regibus *Israël*, & quales?

Leuc. Præter *Eliam*, qui sub Rege *Achab* & successoribus annos exegit viginti quinque; & præter *Elisæum*, qui sub *Jehu*, *Ioahaz*, & *Ioaz* annos omninò quinquaginta vaticiniis floruit, celebris quoque fuit *Micheas*, filius *Jemla*, *Achabo* invisus, cui, utpote malo, semper auguratus est *malum*. * floruêre insuper Anonymi alii, quos insecutus

Jonas Quis?

I. Est *Ionas*, filius *Amath*, *Zabulææ* Tribûs, qui lucem primam hausit in oppido *Galilææ*, quod primò *Geth-Ephe*, deinde *Iotapatam* nominârunt. Inclaruit ille sub *Ieroboamo II.*
A. M. 3212. cui non unam contra *Syros* victoriam est
Ejus legatio. vaticinatus. Cum tempore missus quoque â DEO est, ut urbi *Ninive*, sceleribus famôsæ, nuntiaret exitium, sed metu infamiæ detrectavit legationis honorem, veritus, ut ne DEUS, placabilis facilè, mutaret sententiam,
A. M. 3216. sibíque Prophetæ mendacis stigma postmodùm adhæreret.

Fugientis fata in mari.

II. Hinc conscensa navi, solvit ex *Ioppe*, facturus vela in *Tharsis*: & mox venti cœperunt fremere, intumescere fluctus, horrenda tempestas in discrimen ultimum vectores conjicere. Suspicati demum, quod erat, offensum scilicet DEUM maris quopiam scelere, miserunt sortes, quæ illicò cecidêre in *Ionam*, in ima navi sopore anxio oppressum. Exci-

* Nam teste *Josepho* est is ipse Vates, qui vulneribus deformatus, *Achabo* nuntiavit interitũ, eò quod pepercisset *Benadado* 3. *Reg.* 20. Et postmodùm, *Josaphato* præsente, eidem *Achabo* vaticinatus est cladem.

Excitatus â nautis, cùm detectum se cerneret, neque abnuit culpam, neque renuit pœnam, ultrò se se offerens victimam ad placandos Numinis furores. Navarchus, nequidquam littori reum exponere conatus, vix undis hoc tradidit spolium, & illicò siluêre procellæ, illicò secuta malacia. Ille intereà immani belluâ absorptus, cùm triduum didicisset orare & obedire, vivo liberatus est carcere, ceto in littus incolumem evomente.

Ninive servata ob pœnitentiam.

III. Tum enimverò, morâ omni abrupta, *Niniven* contendit, & peritura intra quadragesimū diem mœnia, incolásque potenter adeo proclamavit, ut urgente Regis edicto pariter & exemplo, ingens morum conversio, & pœnitentia sit subsecuta. Sic ab interitu servata est civitas, ringente *Ionâ*, qui meritò reprehensus â DEO, quòd, cùm ipse tuguriolum suum, umbrosâ vestitum hederâ, exaruisse rodente verimiculo doleret, immensæ urbis interitum, & centum ac viginti millium stragem, sine gemitu exspectaret.

Jonas correctus per hederam.

Prophetæ reliqui in Regno Israël Qui?

Mel. Quinam Prophetæ reliqui, in Regno *Israëlitico* celebres?

A. M. 3227.

Osée.

Illius vaticinia.

Leuc. I. *Osée* Filius *Berri*, è Tribu *Isachar*, sub *Ieroboami II.* tempora, â Cœlo missus ad annuntiandum *Israëlitico* Regno interitum, jubente DEO, ex meretrice publica tres liberos suscepit, quorum primo nomen imposuit *Adhuc modicum.* Secundo *Absque misericordia.* Tertio *Non Populus meus*, ut dandum Synagogæ repudium, vivo hoc veluti spectaculo, exhiberet. Hinc invectus est sæpè in sacrilegam meretriciæ Gentis perfidiam; hinc ominatus est crebrò, Synagogæ rejectæ substituendam è Gentibus meliorem sponsam. Nunc resipiscentibus obtulit veniam,

niam; nunc pervicacibus minatus eſt pœnam, omnibus denique funeſtum Regni eſt vaticinatus excidium: ſed ſurdis cecinit fabulam, minimè fabulam, ùt brevi probaverat eventus.

A. M. 3248. Amos. II. *Amos* natus in *Thecue*, oppido Tribûs *Juda*, â paſtoritio pedo ad Propheticum tripodem evocatus â DEO, ſub *Ieroboami II.* Tempora, vaticiniis (a) celebris extitit. Primò *Syris* prædixit vindictam de *Hazaëlis* tyrannide ſumendam: tum *Philiſtæis*, *Tyriis*, *Idumæis*, *Moabitis*, & *Ammonitis*, denique & *Judæis*, ac *Iſraëlitis*, præcipuè ob Idololatriæ horrenda ſcelera, vaticinatus eſt triſtem interitum. Oraculi merces fuit obſtinatio morum, & mors Prophetæ; nam ab *Amaſia* Pſeudo-Propheta ſeditionis poſtulatum, â *Ieroboamo II.* damnatum, & vecte per temqora adacto, immaniter enectum volunt.

A. M. 3255. Abdias. III. *Abdias*, quem Prophetæ *Amos* contemporaneum aſſerunt Chronologi. Hic in *Idumæos* detonuit, qui afflixêre *Iſraëlitas*, â quorum Poſteris deſtruendam Idolomaniam, *Chriſtique* Regnum cum tempore erigendum prædixit.

A. M. 3315. Nahun. IV. *Nahun*, qui de *Galilæa* oriundus ſcribitur. Hic Spiritu Prophetico celebris, poſt *Jonæ* tempora, *Ninivitis* novum interitum eſt ominatus.

§. IV.
Hiſtoria Tobiæ.

In Hiſtoria Tobiæ memoranda Quæ? MEl. Quid tempore diſperſionis *Iſraëliticæ*, in captivitate *Ninivitica* contigit cum utroque *Tobia*, tot Scripturæ elogiis celebri? *Leuc.*

(a) *Per 28. annorum periodum.*

Leuc. In amabili hujus Historiæ serie memorandæ *1. Tobiæ* Senioris virtutes. *2.* Junioris peregrè euntis fata. *3.* Utriusque merces à Cœlo data, & felix Mors.

Senioris virtutes.

XI.

Splendet pietate Tobias.

Ejus educatio & pietas.

I. *Tobiam* illustre sidus, è *Tribu Nephtali*, oppidóque cognomine superioris *Galilææ* ortum legimus, *Phacée* Tyranno *Israëlis* solium invadente. Orbatus utroque Parente, pro nutrice *Deboram* piissimam aviam, pro magistra ipsam visus est habere virtutem, adeò educatus est piè, ut Virtutis ipsius ectypon audiret: sic inter pessimos pius, etsi non contraxerit culpam, culpæ tamen expertus est pœnam, ac *Salmanassare* thronum *Israël* evertente, unà cum *Anna* conjuge & *Tobia* filio, *Niniven* ductus est in mœstæ vincula servitutis. *A.M. 3314.*

A. M. 3315.

Liberalitas.

II. In captivitate liber à vitiis, virtutis favore factus quoque est liber à vinculis, *Salmanassare* ad Oeconomi Regii honores magnásque opes Virum spectabilem elevante; quâ fortunâ non ad luxum, sed afflictorum fratrum levamen usa est illius liberalitas. *A.M. 3316.* Expertus illam *Gabelus* est, cui, quia contribuli, in urbe *Rages Medorum* argenti talenta decem, * beneficio mutui commodârat.

Charitas.

III. *Sennacheribo Judæorum* flagello succedente, in theatrum prodiit *Tobiæ* charitas: nam tunc illi erat solenne concursare domos, consolari afflictos, suis facultatibus sublevare egenos, roborare in fide infirmos, sepelire mortuos: verbo, sic sustentaverat omnes unicum Gentis miseræ fulcrum, ut à Rege ad necem quæsitus, arreptâ fugâ, possessiones fisco Regio cedere sit coactus.

Misericordia in defunctos.

IV. Tyranno è vivis postmodùm exturbato,

* *8000 Florenos.*

to, cùm à successore *Assaradone* restitutus esset in integrum, mox ille cœptam cœpit denuò texere misericordiæ telam, quæ in defunctos præcipuè tam fuit mira, ut etiam relicto convivio, occisa fratrum cadavera tolleret, cum vitæ periculo domi suæ per diem occuleret, & noctu denique sepeliret.

A. M. 3331. Patientia in cæcitate mira.

V. Accidit, ut quondam per charitatis obsequia solito lassior, quieti plusculùm indulgeret, cùm ecce! è hirundinum nido deciduæ sordes utriusque oculi lumen eidem extinguunt. Evigilans bonus senecio sensit, se dormiisse fatalem noctem, quam vigilare cæcus jam jugiter deberet. Nihilominùs Providentiæ Divinæ placitis pro sua pietate ad amussim se conformavit.

Lacessita ab amicis & conjuge.

VI. Patientia sic tentata à DEO, egestate quoque concussa est, imò & ab amicorum dicteriis lacessita: *Ubi est spes tua? eleemosynæ ubi? ubi jam sepulturæ?* sibilabant affines viperæ. Quodam tempore cùm hœdulum attulisset uxor, textrini operis mercedem, is percepto balatu, furtivum fors suspicatus, simplicitate pia restitui jussit. Tunc & ipsa uxor, ùt est præceps in convitia mulieris genius, opprobriis virum exagitare non dubitavit: *Manifestè vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modò apparuerunt.* Hac addita afflictione tandem ingemuit, & ad DEUM conversus in hæc erupit suspiria: (*a*) *Secundùm voluntatem tuam fac mecum: præcipe in pace recipi spiritum meum; nam expedit mihi magis mori, quàm vivere.*

A. M. 3335. Junioris Tobiæ peregrè profecti fata Quæ?

Mel. Quænam Junioris *Tobiæ* peregrè euntis fata?

Leuc. Tobias propinquum sibi tumulum augu-

(*a*) Tob. 3. 6.

auguratus, filio pro testamento legavit virtutes, pro patrimonio argentum, *Gabelo* concreditum, quod dato chirographo ut in tempore afferret filius, consultum duxit. Cúmque in viæ Ducem, ac Comitem inquireret solicita Parentum cura, opportunus se obtulit quidam Juvenis, præclara facie visendus; qui quæsitus de nomine, *Azariam, Ananiæ* filium, & viarum apprimè gnarum se dictitárat. Absque mora susceptum est iter, Patre bene precante, illacrymante Matre, cùm cerneret hoc cordis sui dimidium â se se longiùs peregrinari. Primo die ad *Tigris* ripam perventum est; ubi cùm pedes lavaret *Tobias*, ecce tibi horrendum piscem! (*Uranoscopum* nominant) qui exerto capite, hiantéque rictu misellum devoraturus, continuò imminebat, sed *Tobias* & animatus â Comite, & apprehendere monstrum jussus, illum feliciter traxit in littus, ad Ducis imperia eviscerarit, sepositóque corde, felle, ac jecore, partem *Balenæ* hujus paravit in cœnulam, partem seposuit in commeatum.

Ducem viæ nanciscitur.

Ceti periculo liberatur.

II. Sic ubi perventum *Ecbatanam*, *Tobiæ* suo Author est Comes, ad *Raguelem* affinem, & contribulem suum diverteret, ejusque sibi filiam unicam, *Saram* nomine, desponsaret. Non renuit *Tobias*; unde post mutua humanitatis officia petiît sponsam, ad quod petitum illicò diriguit *Raguel*, memor, quòd septem jam sponsi, â Dæmonio jugulati, in nuptiali thalamo tumulum reperissent. Sed timorem discussit *Tobiæ* Comes, datis jam priùs eidem monitis, incensi cordis vel jecoris, è pisce extracti, fumô *Asmodæum* daret in fugam, castóque trinoctio ad nuptiales tædas sanctiùs se pararet. Ita factum: cúm-

Saræ, Raguelis filiæ, relegato Dæmonio desponsatur.

que *Raguel* jam ante diluculum paraſſet hoſpiti tumulum, *Tobias* ſalvus progreſſus eſt, moxque in lætitiam effuſa familia, ſolennes nuptias apparavit.

Mutuum à Gabelo affertur, & cum ingenti dote Domum remittitur.

III. Intereà ſuo Comiti ſupplicavit *Tobias*, ſui locò in *Rages* concederet, datóque chirographo mutuum, & cum mutuo cognatum ſibi *Gabelum* ad *Hymenæi* ſolennia adducere ne gravaretur. Ad vota complevit juſſa fidelis Comes; ſtitit ſe cum argento *Gabelus*; tum celebratæ ſunt nuptiæ, & cùm longiores moras trahere recuſaret *Tobias*, ſponſus cum ſponſa, unà cum ampliſſima dote, dimidia bonorum omnium parte, domum remiſſus eſt.

Tobiæ Senioris ſolatia Quæ?

Mel. Quo tandem ſolatio DEUS ſolatus eſt afflictum *Tobiæ* Patrem, & quàm fauſta fuit illius mors?

A. M. 3335. Recipit Filium.

Leuc. Dum hæc aguntur foris, domi ſuæ triſtiſſima Mater, veluti ſenectæ ſuæ orbata baculo, lugebat jugiter; immò ob longiores moras magis ſollicita, dies & horas, quin & momenta ſingula mittebat in digitos: unde egreſſa quotidie vicinum in montis jugum, ex alto anxia circumſpexit, num uſpiam ſuum corculum appropinquaret. Et ecce! apparuit tandem; quo â longè mox agnito, cucurrit nuntia ad Maritum, clamans: *Venit filius tuus.* Exiliît ad hæc verba *Tobias* Pater haud minore ſolatio; & titubante greſſu, neque ſemel offenſo pede, obviàm aliquantulùm Nato factus, in ejus ſuaviſſimos amplexus ruit. Mox *Tobias* filius, Comitis ſui juſſu, felle piſcis illiniît oculos Parentis, &

Mox viſum.

ecce! ſoluta illicò eſt albugo, qua ſenſim extractâ viſum recepit denuò cæcus Pater. Propediem & inſecuta eſt *Sara*, filii Sponſa, cum ingen-

ingenti familia, jumentis, atque divitiis; cui accessit argentum â *Gabelo* receptum ad vota, quanto Parentis solatio, cogitari faciliùs potest, quàm exprimi; gaudium certè in ipsam quoque viciniam se diffudit, accurrentibus certatim amicis, & tristis scenæ lætam catastrophen Familiæ piæ aggratulantibus. *Novam familiam Opes.*

II. Certiorem subin reddidit Parentem Filius, fortunam omnem fideli Comiti referendam unicè in acceptis: dixit, ab illo feliciter se se ductum, reductúmque; ab illo se liberatum â Ceto; ab *Asmodæo Saram*; ejus operâ procuratum esse hunc *Hymenæum*; ipsius industriâ pecunias â *Gabelo* receptas; ejus denique beneficiô redditum Parenti visum. Hinc vocatum in conclave secretius etiam atque etiam rogitârant, dignaretur saltem dimidiam bonorum partem, quæ recepissent ex *Media*, pro quali quali mercede recipere. Sed ille grates Numini referri jussit, Remuneratori bonorum operum, quæ per *Tobiam* facta obtulisset ipse, & DEUS occasione hac compensâsset: *Ego enim*, inquiebat, *sum Raphaël unus ex septem Spiritibus, qui adstamus ante Dominum.* Ad hæc verba uterque attonitus in terram illicò corruit, Angelus disparuit, ipsi verò, tres continenter horas humi strati, præconiis Largitorem bonorum omnium DEUM concelebrârunt. *Remuneraturus filii Comitem.* *Agnoscit, fuisse Raphaëlem Angelum.*

III. Denique, ne quid ad felicitatem deesset, felicitate suâ diu frui permissus est optimus senex. Denique cùm jam ageret annum secundum supra centesimum, advocavit Filium suum, septémque alios ex generatione quarta Nepotes; quibus Prophetico afflatus spiritu vaticinatus est *1.* ruinam urbi *Ninive* impendentem; unde filium jussit, eâ derelictâ de- *A. M. 3377. Moritur tandem.* *Editis oraculis.*

migrare in *Mediam*. 2. Dixit *Judæos* quoque in servitutem trahendos, annorum tamen septuaginta evolutâ periodôredituros in Patriam. 3. Addidit insuper, Gentes quoque futuris sæculis ad veram Numinis cognitionem perventuras. His oraculis editis, *A. M. 3410.* Propheta simul & Patriarcha, oculos clausit, meliorem visum in vita altera recepturus. Sed & Filius, virtutis Paternæ hæres, sicut non degeneravit â Patris vita, ita non degeneravit â morte, fato pariter felici immortuus anno vitæ nonagesimo nono.

Observationes.

Observationes Politicæ Quæ?

Mel. Quænam Observationes Politicæ?

Interitûs Regnorum causæ. Ex parte Regnorum.

Leuc. Colligere I. est causas, cur intereant Regna, & â Gente devolvantur ad aliam Gentem; & quidem ex parte Regnorum præcipua est *Religio vera deserta*. Res patet in *Salomone: Quia non custodisti pactum meum &c. scindam Regnum tuum â te.* (a) Patet in Idolomania â *Jeroboamo* inducta, propter quam eversum est Regnum *Israël*. Hinc meritò *Stagirita* pro Reipublicæ fulcro posuit: *curationem Divinorum*; *Papinianus* pro summa ratione statûs, *quæ pro Religione facit*: & *Machiavellus* ipse *speciem* saltem desideravit *Religionis, ac pietatis*. Ex parte Regum causa prima est *imperitia regendi*: patet in *Jeroboamo*, cui congruit illud, *Væ! tibi terra, cujus Rex puer est*: (b) Adde, cujus Consiliarii imperiti; quibus plus sæpè lanuginis, quàm experientiæ: *Nempe in antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia, Jobo teste.* (c) Est item *Severitas nimia* in emungendis

Ex parte Regum.

(a) 3. *Reg.* 11. *v.* 11. (b) *Ecclesiastici* 10. *v.* 16. (c) *Job.* 12.

gendis subditis; exemplum præbet *Roboamus:* * bellè *Tacitus: Tyrannorum est,* (a) *novos subinde sinus, & varia prædandi vocabula exquirere.* Quid firmi alienatis Populi mentibus in Regno Regi sperandum? Causa sunt denique Principia Pseudo-politica, quæ dum erigere multa conantur, hoc ipso plurima destruunt: *Machiavellum* sapit, cui ad conservationem statûs cuncta sunt æqualia media, justa sint, an injusta; honesta, an inhonesta: sic *Jeroboamus*, dum per Idololatriam Regnum firmare voluit, per hanc ipsam deperdidit, ac destruxit. Ex parte Populi causa sunt *peccata* Propheta *teste: Ecce oculi Domini DEI super Regnum peccans, & conteram illud à facie terræ.* (b) *Ex parte Populi.*

II. Colligere secundò est causas, cur Reges *Israël* perierint ad unum omnes. Prima fuit, *Ambitio:* ne perderent Regnum, perdere noluêre Idola, & sic cum Regno terrestri amisêre simul Cœleste. Secunda *Scandalum* fuit: unus *Ieroboam* scaturigo pestifera, extitit è qua tot promanârunt scelera, per tria propemodùm sæcula, contagione in successores omnes, in omnes ferè subditos se se diffundente: nempe ob scandala *Potentes potenter tormenta patientur.* *Causæ Interitûs Regum Israël.*

III. Colligere item est causas, cur Populus *Israël* sit â DEO dispersus: Prima hæc ipsa sunt Regum *Scandala*, quæ subditos non tam movent, quàm trahunt ad omnis generis scelera. 2. *Voluptas* in Idolorum cultu: nam non modò videbant sic permissa sibi flagitia, sed â Diis suis etiam apotheosi esse donata. Denique colligere *Causæ dispersionis Populi Israëlitici.*

* Exigenda tributa quâ moderatione? *Perezius Jur. publ. fol. 100. & alii.*
(a) *l. 3. & 4. annal.* (b) *Amos. c. 9. v. 8.*

ligere est media, quibus interitus, jam jam Reipublicæ imminens, averti possit: *Ninivitæ* dabunt exemplum pœnitentiæ, qua ruituram intra quadraginta dies civitatem ab interitu præservârunt.

Medium avertendi interitus. Pœnitentia.

XII. Observationes Christianæ Quæ? *Divina Providentia in vera Ecclesia regenda.*

Mel. Quæ Observationes Christianæ?

Leuc. I. Observanda est *Divina Providentia in regenda sua Ecclesia:* Quid non egit Providum Numen, ut turbulenta in tempestate fluctuantem Synagogæ servaret naviculam? quot non misit Prophetas, qui desertores avitæ fidei ad saniora rursus reducerent? an non ostendit cultum impium *Ieroboamo* per Prophetam *Addo*; *Achabo* per *Eliam?* sed quoties repulsam tulit? quoties pœnas inflixit, ésque denuò favoribus mitigavit? quot non miraculis, minis, ipso interitu prædicto errantes in viis *Ieroboam* revocare voluit frustrà? quàm providè in hisce tenebris servavit tamen, lucidissima veræ Ecclesiæ lumina, Prophetas, *Tobiam*, *Abdiam*, & alios, de quibus ipsemet DEUS *Eliæ: Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal.* (a)

In præfiguranda.

II. Observanda eadem Divina Providentia *in sua Ecclesia præfiguranda:* sic pro perfido *Israëlis* Regno Regnum aliud erigendum â *Christo*; pro *Synagoga* adultera Sponsam aliam è Gentibus eligendam, sæpè per Vatum oracula prænuntiavit. Sic in *Elia* prædicante monstravit *Christum* docentem, in fugitivo patientem, in prodigioso thavmaturgum, in *Iona* morientem & resurgentem, genuinis coloribus adumbravit.

In illustranda virtutum exemplis.

III. Observanda eadem Numinis Providentia in sua Ecclesia *virtutum exemplis illustran-*

(a) 3. Reg. 19. v. 18.

franda. Nam ſic uſus eſt DEUS Impiorum flagitiis, ut in virtutibus exerceret Juſtos; ſic eorum uſurpavit flagella, ut omnes â vitiis abſterreret. In *Achabo* ſic ultus eſt vineæ unius rapinam, ut contremiſcerent Reges, qui variis ſæpè titulis, & ſubditorum diripiunt bona, & ipſum propemodùm ſanguinem exſugunt. *Giezium*, *Eliſæi* ſervum, percuſſit leprâ, ut colligerent Judices, munera eſſe contagioſa. Tot pueros lacerari juſſit ab urſis, ut Juventus dediſceret petulantiam, Parentes meliorem diſcerent diſciplinam. Sic iis, qui reluctantur Divinis conſiliis genuinum dedit in *Iona* ſpecimen: Eccleſiaſticis in *Elia*, & *Eliſæo* virtutum Apoſtolicarum præbuit exemplar: In *Tobia Chriſtianis* familiis abſolutum monſtravit archetypon, in quo, veluti ſpeculo, virtutes omnes, huic ſtatui congruas, cernerent, ac imitarentur.

Obſervationes Polemicæ Quæ?

Mel. Quæ obſervationes Polemicæ?

Hybnerus Luthero oppoſitus.

Leuc. I. Dat inter doctrinas alias *Hybnerus* hoc Acatholicæ Juventuti documentum, *Luthero* ſuo planè oppoſitum. *Decem præcepta non pro ſubditis tantùm, ſed & pro Regibus ſcripta ſunt: expertus id Achab, qui decimum; Jezabel, quæ quintum haud impunè infregit.* Aliter paululùm *Lutherus*, qui certè in decimo (ut de cæteris ſileam) diſpenſavit, dum bona Eccleſiaſtica Principibus laicis, æquiſſimè ſcilicet cum Judicibus *Jezraël*, adjudicavit. O ſi *Achabo* fuiſſet talis *Elias!* quo eum nomine ejus aſſeclæ *(a)* honorant, cùm ipſe tamen ſe *Iſaiam* ſolummodò nominârit. *(b.)*

II. Documentis pro Acatholica Juventute

(a) *Juncker in vita Luth. p. 25.* (b) *Coll. menſ. lat. t. 2. p. 201.*

Hybnerus addere poterat. *Elisæi* ossa solo attactu mortuum suscitârunt ad vitam: non ergò malè Catholici Sanctorum reliquias venerantur, quæ, ùt *Elisæi* corpus, *DEI virtute*, cultoribus beneficia conferunt.

III. Addere poterat: *Lutherus Tobiæ* Librum è Canonicorum catalogo expunxit, quia favet bonis operibus: expungunt *Syncretistæ* ob antilogias quasdam, ùt asserunt, quæ tamen solummodò sunt apparentes: * haud igitur certum, hunc librum esse apogryphum, unde nec certi esse poterunt Acatholici de sua Scriptura, quia mutila, & incerta.

* *Quæres:* Quænam sint illæ antilogiæ, & quomodo complanandæ? ℞. Prima. Tribus *Nephtali*, è qua ortus *Tobias*, â *Theglath Phalassar* in servitutem abstracta legitur, & tamen liber *Tobiæ*, post triginta & plures annos, *Tobiam* adstruit â *Salmanassare* abductum. ℞. sacri Interpretes *Cornel. â lap. Salianus*, & *alii.* Tribum *Nephtali* abductam quidem â *TheglathPhalassare*, non tamen è Tribu omnes & singulos esse abductos: quàm enim facilè fuit, ut periculo se se multi subducerent? quos inter *Tobias* utique censendus. 2. Legimus in hoc libro *Tob. 3. v. 7. Raguelem* habitâsse in *Rages* civitate *Medorum*, & tamen Angelus ab hac urbe *Rages* profectus dicitur in *Rages* civitatem *Medorum*, ubi habitaverat *Gabelus Tob. 9. v. 3.* ℞. *Rages* ubi habitaverat *Raguel* in *Græco Ecbatana* dicitur, dicta forsitan simul *Rages*, quia hoc erat nomẽ toti Regioni, ac promontorio illi commune. 3. *Raphaïl* Angelus nominavit se *Azariam*, *Ananiæ* Magni filium: & hoc quomodo sine fallacia? ℞. in allegorico sensu, id quod ab Angelis haud alienum: nam *Azarias*, idem est, ac

INSTRUCTIO IV.

Fata Regum Juda

A Regni Divisione usque ad captivitatem Babylonicam.

MElander. Quæ divisio hujus Instructionis?

Leucotheus. In duplicem paragraphum. Cùm enim post *Salomonem* novemdecim Reges * numeret Regnum *Juda*, paragraphus primus aget de primis undecim Regibus. 2*dus* aget de octo reliquis.

Divisio Instructionis in §. duplicem.

§. I.

De primis undecim Regibus Juda post Regni divisionem.

MEl. Quot, facto Regni *Davidici* schismate, Reges *Judæ*? Quis primus? Quænam illius fata?

Reges Judæ Quot? Novem decim.

Leuc.

Auxilium Dei; *Ananias* sive *Hananiel* idem est, ac *gratia Dei*, quæ nomina & ministerium Angeli, & beneficium Dei verè, aptéque expresserant. 4. Legitur dixisse Angelus, utique veritatis interpres: *Venio è filiis Israël: itinera ambulavi frequenter, & mansi apud Gabelum fratrem nostrum. Tob. c. 5. v. 7. &* 8. & quomodo hæc sine fictione, sive mendacio? ℟. E filiis *Israël* venit, quia missus ad filios *Israël* à Deo custos: ambulavit itinera, utique passu Angelico: mansitque apud *Gabelum*,

* In censum non veniente *Athaliâ*.

I. *Leuc.* Numerantur novemdecim, è quibus pauci elogio, plerique vituperio digni, tam funesto denique corruêre fato, ut Regnum simul ad interitum traxerint. Hos inter Primus infelix *Roboam*, cùm *Jovem* alterum diviso in Imperio cerneret, ne amitteret totum, munimenta reparare aggressus est. *Jeroboamus* contrà impietate Idololatricâ Regnum, ùt putabat; fines verò armato milite muniit, ut ne ullus è subditis ad avitæ Religionis castra *Ierosolymam* transiret. Sed fidos non habuit, Cœlo perfidus, Sacerdotibus, Levitis, aliisque, quos melior animaverat Spiritus, certatim ad *Roboami* partes reversis, sic ut triennii spatio hujus Regnum indies & numero & viribus creverit, & ampliùs crevisset, nisi scelera denuò minuissent robur.

Ecce perit Roboam.
A. M. 3060. æt. 41. Roboami Regis I. fata Quæ? Regnū munit.
A. M. 3062. Augetur viribus.

II. Nam â Patris stultitia ne audiret filius degener, primi stematis conjuges sibi junxit octodecim, levioris notæ concubinas sexaginta, libidine tam fœcunda, ut viginti octo filios, & sexaginta filias numeraret. Hinc tot Idolis cùm esset addictus, quid mirum? quòd Idolorum suorum Idolis se quoque addixerit, & suadente Matre *Naama*, alliciente uxore *Maacha* passim plantârit lucos, erexerit aras, adoleverit thura, victimas immolârit, etiam *Priapo*, Idolorum spurcissimo, ipsâ Reginâ, inter effœminatorum greges, sacrilegam nefandi Sacerdotii Antistitam profitente.

A. M. 3063. Cadit in Luxuriam, & Idolomaniā: Quomodo?

III. Hoc domûs Regiæ scandalo in Populum

A. M. 3064. Punitur â Deo per Sesácum Ægypti Regē: Quomodo?

belum Dei imperio, non semel eidem inter Ethnicos assistendo, & tutelare auxilium ferendo. Dicant jam Acatholici, quinam extra illorum cerebrum, in his vulpanseres volitent, vel Chymæræ?

lum quoque, contagiosæ luis instar, diffuso, tandem cumulata scelera clamârunt vindictam, missusque â DEO *Sesácus Ægypti* Rex (*Herodoto Sesostris* dicitur) qui mille ducentis curribus, sexaginta millibus equitum, majorique peditatu irruit in *Iudæam*, & ipsam *Hierosolymam* ad extrema propemodùm redegit. Sensit Populus, sine Numine semper imbellis, imminere jam vindex ferrum, minisque *Semeiæ* Vatis conterritus, ad preces se se convertit; audiît benignum Numen, sicque avertit extremam cladem, ut urbs hostibus dedita sit, eâ tamen conditione, ut ne cædibus, incendiis, & rapinis devastaretur. Sed *Sesácus* exactè pactis haud stetit, utpote deprædatus Templum, Regiam, ablatis ingentibus thesauris, clypeis præsertim, quos *Salomon* ex auro solido fabricârat. *Durâ obsidione.* *Expilatis thesauris.*

IV. *Roboam* scuta substituit ænea, & thesauri sacri jacturam ingenti planctu unà cum Populo est prosecutus. Sed tantùm pœnam deflevit, non culpam; nam â Matre *Naama* jam ab infantia corruptus; à *Maacha* conjuge jam â juventute depravatus, brevì rediît rursus ad vomitum. Ætatis anno quinquagesimo octavo sceleribus tandem suis immortuus est, Patre haud paulò insanior, cùm hic sapuerit saltem semel, is nunquam. *A. M. 3066. Moritur infeliciter: Quomodo? A. M. 3076. æt. 58.*

Mel. Quis *Roboami* in Regno successor? *Roboami successor Quis?*

Leuc. Abias, qui non natalium prærogativâ, sed *Maachæ* Matris favore, elevatus in solium per *Roboamum*, bonis auspiciis, sed malo fine triennale regimen coronavit. Nam I. Cùm educto contra *Ieroboamum* exercitu, de monte *Semeron*, *Israëlitis* sacrilegam in DEUM & *Davidem* perfidiam exprobrâsset, *Jeroboami* insidiis circumventus, ad preces *A. M. 3077. Abias Rex II. initiò felix cur?*

se

se se convertit: nec frustrà; mox enim sensit auxilia, DEO inter Sacerdotalium tubarum clangores hostem cœlitùs sic conturbante, ut ad internecionem propè deletus, victori tutum posthac reliquerit solium.

Tandem infelix, quomodo? *A. M. 3078.* II. Sed quod *Hebrææ* Gentis infame stigma, tanto Numinis beneficio nil nisi maleficia Rex rependit. Urbem *Bethel*, & *Sichem* victor ingressus, Idololatras conterere maluit, quàm Idola, salvis profanorum Numinum aris, fanorum aurum abstulisse contentus. Mox impietatem Patris, libidinem Matris secutus, amores suos in quatuordecim conjuges divisit, nulla re aliâ memorabilis, quàm quòd triginta & octo liberorum infamis Pater, paterna vitia *A. M. 3079.* pro patrimonio, Matrem *Maacham* pro *Priapi* Antistita, & vitiorum nutrice post se reliquerit.

II. Moritur malè credulus Asa.

Mel. Quis *Asa*, & quænam ipsius fata?

Leuc. Meliora paululùm, quàm fuerant *Abiæ* Patris. Bene cœpit & iste; Nam

Asa Rex III. Regni initium optimum Cur? *A. M. 3081.* *Idolorum excidiò.* I. Faustis Regni auspiciis destruxit Idola, evertit aras, exscidit lucos, diruit fana, impurissimis lustris purgavit Regnum, * immò & *Maacham* aviam (juxta alios Matrem) pro-

* *Quæres:* Quomodo intelligendum sit illud? *Excelsa autem non abstulit.* 3. *Reg.* 15. *v.* 14. ℞ cum P. Pexenfelder *in Flor. Bibl. Narr.* 77. per *Excelsa* intelligi Oratoria, Sacella, Aras &c. in locis *excelsioribus*, seu collibus, montibus, lucísque erecta, in quibus *Judæi*, cùm Tabernaculum, & Templum non suppeterent, à tumultu segregati, primorum Patriarcharum exemplo, ad sacrificia, precésque convenerant. Hæc, postmodùm non semel â Gentibus polluta, etsi Deus ob periculum superstitionis aversaretur, tolerabat tamen, usque dum

propudiosi cultûs Antistitam, repudiavit Filius, ut esset Patriæ Pater: quin & ipsum *Priapum*, comminutum in frusta, combussit in torrente *Cedron*, ut & subditi pariter impuros ignes pœnitentiæ lacrymis delerent. Sic restaurata Religione restauravit quoque urbes, & munimenta, pace usus cum hoste, quia pace usus cum Numine.

II. Tandem ut & in bello tanta floreret Pietas, occasionem præbuit *Zara Æthiopum* Ductor, & ultimæ *Ægypti* Princeps, qui cum decies centenis hominum millibus, & trecentis curribus falcatis, ad *Maresam* urbem in tribu *Juda*, *Asam* dimidia parte debiliorem, præfidenti superbiâ est aggressus. Sed Rex ad DEUM conversus, cùm pro justa caussa pietas peroraret, Superos in subsidia traxit, qui *Zaræ* exercitum, primò conterritum, mox fugatum, profligatúmque internecione penitus delevêre. Victoriæ, ùt ajunt, ab orbe condito maximæ, fructus fuit urbs *Gerara* cum finitimis Populis hosti erepta, immò & præda, humanam fidem propemodùm superans, ipso DEO per *Azariam* Prophetam Regi

A. M. 3094. Victoriâ ingenti contra Æthiopes.

dum à *Salomone* Templum erectum est. Tum à Deo interdicta sunt privata ejusmodi delubra, eò quòd superstitionem fovere, & Templi religionem, ac magnitudinem minuere viderentur. Hæc igitur excelsa diruere *Asa* dissimulârat, sive metu seditionis, sive eo ex capite, ne consuetudo Populi, immolandi in *Excelsis* repressa, ad idololatriam deflecteret. Unde & ipse & *Josaphatus*, contenti extinxisse nefarias religiones, *Excelsa* permiserunt, non tamen citra reprehensionem omnem, eò quòd *Siracides* dicat *Eccl. 49.* Præter Ezechiam & Josiam omnes (intellige Reges *Judæ*) *peccatum commiserunt.*

gi victoriam gratulante, pluresque spondente palmas, si Cœlo fisus, fidúsque etiam deinceps perseveraret.

A. M. 3095. Regni finis illaudatus Cur? Ob diffidentiam in Deum.

III. Sed quid firmitatis ab arundine speres? cùm *Baasa* Rex *Israël*, subactâ urbe *Ramâ*, munitáque, Regnum *Iudæ* frequentiori excursione impeteret, *Asa* DEO diffisus, â Rege *Syriæ Benadad* auxilia emendicat, eúmque magnis expensis, etiam thesauri sacri jacturâ, in Regnum *Israël* evocat, eo fine, ut *Baasam* è ditionis *Iudaicæ* finibus avocaret. Id præstitit *Syrus*, nec minùs celeriter, quàm potenter, Regnum *Israël* sic infestans, ut *Baasa* sua defendere, aliena relinquere cogeretur. Sed displicuit DEO ab infidelibus empta fides: hinc â Propheta *Joanano* liberiori apostrophe reprehensus *Asa*, cùm deprecari pœnam debuisset, duplicavit culpam, DEI interprete in carceres detruso, plurimísque, qui injustitiam hanc damnabant, majori injustitiâ trucidatis. Sed hæsit in tergo sævitiæ hujus vindicta: nam triennali podagrâ dejectus in lectum, cùm iterum neglecto DEO, spem in Medicis poneret, dejectus est quoque in tumulum, meretriciis aromatibus ambitiosiùs condito cadavere, cui quodnam epitaphium congruat, meritò dubites, cùm ipsa Scriptura sit dubia, asserens: *(a) Nec in infirmitate sua quæsivit Dominum*: & *(b) Cor ejus perfectum erat cum Domino cunctis diebus.*

Crudelitatē.

A. M. 3118. Salutem dubiam.

A. M. 3120.

Josaphati IV. Regis virtutes quales, & quantæ?

Mel. Quid de *Iosaphato*, *Asæ* Filio memorabile?

Leuc. Splendor virtutum omni ex parte summus, ni gemina eundem macula paululùm obscurâsset. (c)

III. Sed floret Josaphat. *A. M. 3122.*

I. Pie-

(a) 2. *Parall.* 16. *v.* 12. (b) 3. *Reg.* 15. *v.* 14. (c) 2. *Paral.* 17. 6.

I. Pietate insigni succidit lucos, abstulit Excelsa, Idolis omnibus diem dixit, útque reviviſceret Religionis avitæ vigor, primus suscepit dignam Regibus curam, missis undequaque Sacerdotibus, ac Levitis, qui in Lege Domini Populum erudirent. *Pietas.* *A. M. 3123.*

II. Pietati junxit Justitiam comitem, præficiendo subditis Judices, Judicibus Inquisitores: cunctis tribunalia suprema duo, Ecclesiasticum, sub *Amaria* sæculare sub *Zabadia*, quæ ipsam Judicum Justitiam judicarent. *Justitia.*

III. In ipsa Aula ambitiosum moderatus est luxum, Proceres reformavit, & im̃odica mitigavit vectigalium onera, in opibus servandis prudentior, quàm avarior in emungendis: hinc benedictio Numinis, Populique benevolentia tanta, ut in ærarium Regium *divitiæ infinitæ multa cum gloria* incessanter influerent. (a) *Prudentia.*

IV. Insuper munivit urbes, restauravit munimenta, ordinavit præsidia, quæ in Regni præcipuè finibus validissima, ab omni incursu Patriam præservarent: immò in tantum auxit Imperii vires, ut decies mille, centum & sexaginta militum millia, ad omnem nutum parata, sub vexillis campestribus numeraret. *A. M. 3127.* *Potentia.*

V. Accessit felicitas tanta, ut etiam absque milite ingentes exercitus vinceret. Nam *Moabitis*, *Ammonitis*, & *Idumæis* exercitu triplici tractum *Enggadi* integrum inundantibus, *Iosaphat* ad DEUM conversus, jubetur â *Iahaziele* Propheta fidenter egredi in occursum: & ecce! immisso cœlitus furore confusi hostes mutuis in se cædibus sæviunt, auxiliares proprios sternunt, ad internecionem usque conficiunt, sic ut *Iudæi* aspectu so- *Felicitas.*

(a) *2. Par. 17. v. 5.*

lo vincerent, cantúque, ac jubilis triumpharent. Triumphum ornârunt ſpolia, vel potiùs onerârunt: nam tanta fuit prædæ opulentia, ac multitudo, ut illi colligendæ nec triduum, portandæ nec tot millium manus, ac dorſa ſuffecerint: valli *Benedictionis* nomen inditum eſt â *Ioſaphato*.

A. M. 3124. Joſaphati maculæ Quales? Affinitas inita cum Achabo.

VI. Sed ut videas, quòd in humanis nil perfectum ex integro, etiam *Ioſaphato*, *Iudææ* lucidiſſimo *Cynthio*, non nullæ maculæ adhæſerunt: nam cum *Achabo*, Regum ſceleſtiſſimo affinitatem contraxit, & *Athaliam*, dignam Parente viperam, *Joramo* filio in Sponſam dedit; unde malorum ilias in *Ioſaphati* Domum, inque ſeros Nepotes lentæ manârunt peſtes.

A. M. 3138. Belli fœdus cum eodem.

VII. Cum eodem contra *Syros* belli fœdera iniît, ſed minimo minùs abfuit, quin pro *Achabo* peſſimo ſocio optimus ipſe trucidaretur: unde illæ Numinis querelæ per Prophetam *Iehu*, *Hanani* filium: *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris: idcircò iram quidem DEI merebaris*, ſed bona opera Nemeſin inhibuêre.

Societas cum Ochozia. eodem anno.

VIII. Necdum ſapuit, *Ioſophatus*, etſi jam ſemel ictus: etiam *Ochoziæ, Achabi* Filio, fœderis ſocietate ſe junxit, claſſémque expenſis mutuis adornavit in *Ophir*, ac *Tharſis*, quos alii *Taprobanam*, & *Sumatram* nominant. Nam mox audivit DEI ſententiam, *Eliezere* Prophetâ interprete: (*a*) *quia fœdus habuiſti cum Ochozia, contritæ ſunt naves:* ita factum, nam in ipſo ſinûs *Arabici* portu *Aſinogabere*, antequàm

Mors qualis?

ſolveret, naufragio demerſa eſt claſſis: ita bis ictus jam *Ioſaphat* ſapuit tandem, & ne ſalutis naufragium faceret, DEO intentus, felici

(*a*) 2. *Paral.* 20.

felici fato enatavit in littus beatæ æternitatis *A. M. 3145.*
anno Regni 25. vitæ 60.

Mel. Quis *Iosaphati* Successor? *Jorami Regis V. Scelera Quanta?*

Leuc. Joram, columbini Patris corvinus pullus, quia *Athaliæ* Matris degenere ovo exclusus. Triennium in Patris regimine consors simulavit; ovem, sed Patre mortuo, mox lupum induit, & per sex funera Fratrum, veluti totidem gradibus, *Salomonis* solium conscendit. Necdum satis: Fraterno sanguini *Primatum* quoque commiscuit cruorem, ut Tyrannorum ostro crudeliùs ruberet Regia purpura. Sed nil mirum, quod sævierit ita in homines, qui etiam in DEUM sacrilegus extitit. Excelsa, quæ Pater diruit, is erexit; Idola, quæ contrivit ille, hic suscitavit denuò, & prurientes in scelera subditos, ipsa licentiâ scelerum incitavit.

A. M. 3146. *Crudelitas. IV.* Sævit Joramus. *A. M. 3147.* *Idololatria.*

II. Sed perfidiam impunè non tulit: Nam 1. Regis DEO rebellis jugum, urbs *Lobna*, omnísque *Idumæa* rebellis excusserat: & ubi allatâ quoque *Eliæ* pridem defuncti epistolâ nihil motus est, * suscitavit DEUS *impium Spiritum Arabum, & Philistinorum*, qui vasta-

A. M. 3148. *Pœna qualis? defectio subditorum.*

* *Quæres:* Quid de hac *Eliæ* epistola sentiendum? ℞. cum *Petro Annato, Menochio &c.* hanc epistolam, quam legere est *2. Parall. 21. v. 12. Joramo* allatam esse, novennio integro post *Eliæ* raptum. Unde de illa variæ Authorum sententiæ: *Cajetanus* censet alium hunc esse *Eliam*, & à *Thesbite* diversum: sed gratis. *2. Vatablus* putat per *Eliam* hìc intelligendum *Elisæum*: sedabsque fundo. *3. Emanuel Sà* existimat, has litteras ab *Elia* ante raptum scriptas, & *Elisæo* vel alteri traditas esse, ut suo tempore ad *Joramum* deferrentur: sed non satis verosimiliter. Unde *Liranus, Serrarius,* *Sanchetz*

Clades familiæ. vaſtatâ latè *Iudæa*, ipſam familiam Regiam abripuêre in vincula ſervitutis, ſola *Athaliâ*, quæ prima omnium meritò periiſſet, unà cum *Ochozia* filio natu minimo, tantæ cladi ſe *A. M. 3149.* ſubtrahentibus. Rex ipſe fœdiſſimo morbo *Mors fœda.* vexatus, poſt biennalem tabem, vitalia mœrens, non pœnitens egeſſit anno Regni, vel potiùs Tyrannidis octavo, addita cineribus quoque ſuis infamia: *& non fecit ei Populus ſecundùm morem combuſtionis exequias*, (a) *ſicut fecerat Majoribus ejus.* *

Ochozias Rex VI. quomodo periit? Per Jehu.

Mel. Quid *Ochozias?*

Leuc. Et ipſe *Athaliæ* ſibilis, amicorúmque conſiliis perverſus, omnia impiè, ſtolidè, & infeliciter geſſit: nam peſſimo armorum fœ-*A. M. 3151.* dere *Ioramo* Regi *Iſraëlitico* junctus, cùm ad cognatum hunc, *Hazaëlis Syri* telis victricibus vulneratum, inviſeret, uterque â *Iehu*, *Achabææ* familiæ vindice, eſt trucidatus.

Athaliæ Tyrannis Qualis? Et atrox Athaliæ faſtus.

II. Hinc *Athalia* Mater, ut ex *Achabi* ſtirpe relictam ſe ſe Furiam demonſtraret, Nepotes ſuos, *Ochoziæ* filii filios, cruento ſanè conſilio, è medio ſuſtulit, unico *Ioa*, infante anniculo, pia fraude *Ioſabethæ* (quæ *Iojadæ* conjux & *Ochoziæ* ſoror) purpuratæ Tigridi ſubducto, & in ſecretis Templi adytis educato.

III. In-

Sanchez, *Bellarminus*, *Cornelius à lapide &c.* paſſim tenent, *Eliam*, è loco, ubi cum *Henoch* vivit, miſiſſe litteras, vel per Angelum humana formâ indutum, vel per *Eliſæũ*, vel per alium Prophetam. *Vide Annatum in appar. ad Theol. Bib. 5. fol. 194.*

(a) *2. Par. 21.*

* *Anno æt. 22. non 42. nam textus 2. Par. 22. 2 corrigitur per alium 4. Reg. 8. 26.*

III. Intereà sub ambitiosæ mulieris Tyrannide jam septennium pressus ingemuit Populus, cùm *Iojada*, Antistes summus, propudiosam colum potiùs, quàm sceptrum despoticum exosus, Regni Primates tacitè convocat, *Ioam* septennem parvulum, sub silentii jurata fide, producit, & ad excutiendum infame jugum suos hortatur. Quid multis? armis in Templo absconditis, Levitísque atria munientibus, statuto die, *Ioas* Regiis ornamentis indutus, Legisque volumen manu tenens, inungitur, & hæres sceptri *Davidici* proclamatur. Tumultu excita Regina cum suis mox advolat, ad aram prorumpit; sed exclusis jussu *Iojadæ* stipatoribus, cùm cerneret Regem in suggestu splendido stantem; cùm audiret acclamantium voces: *vivat Rex!* rei novitate attonita, scissis vestibus exclamat: *insidiæ, insidiæ!* at imperio *Iojadæ* * mox extra Templi septa abripitur, & prope palatium jugulatur, ut quæ in palatio Regiam Sobolem extirpare conata est, prope palatium ipsa, & in ipsa stirps *Achabæa* omnis penitùs extinqueretur.

Vindicata Quomodo? A. M. 3157. Per Joiadam.

Mors Qualis? Violenta.

Mel. Quæ *Joæ* Regis septimi fata?

Leuc. Inconstantis, & ingrati animi ectypon post se reliquit infelix Princeps, tam diu bonus, quamdiu alienâ; tum demum pessimus, cùm manu propriâ clavum Imperii direxit.

A. M. 3157. Joas Rex VII. Bonus Tutore Jojada Cur?

I. Nam Rege parvulo in solium collocato omnium votis in Regis, Regnique Tutorem evocatus est *Iojada*, ut qui Regem servâsset, etiam servaret Regnum, ac restitueret; & verò præstitit hoc non minùs feliciter, quàm pru-

V. Pius est Pupillus Joas. Ob restauratam Religionem.

* An imperium hoc *Jojadæ* justum? *Causinus de Regno Dei Tr. 5. Dist. 87. & 88.*

prudenter: nam primùm eò curas intendit, ut in integrum restitueretur Religio: hinc simulacra *Baalis* diruit, fana evertit, *Hierosolymam* expiavit: Templo nitorem, sacræ fabricæ sarta tecta denuò reddidit, didrachmo quot annis pendendo â singulis; stimulatâ Sacerdotum incuriâ, ipsóque Populo ad libertatem profusam in sacros usus piissimè provocato. Pacem insuper, Regnorum conservatricem, & coluit pius Politicus, & procuravit: nam etsi fuisset occasio, ut in *Jehu*, ejúsque filium stringeret vindex ferrum, cicatrices privatas subditorum felicitate obducere maluit. *Hazaëli Syro*, belli fulmen eripuit, maluítque thesauris publicis, quàm civium sanguine periculosam restinquere *Bellonæ* facem. Verbo: præter immortalitatem nil defuit huic Regis Vicario, qui anno vitæ 130 ubi fatis concessit, luctu publico Regum sepulchris illatus est meritò, quia Regis Pater, etsi cognatus solummodò, & Sacerdos.

Ob conservatam pacem.

A. M. 3185. Pessimus defuncto Tutore Cur? Ob restauratam Idololatriam. A. M. 3192. Ob lapidatum Zachariam.

II. Vix sibi soli relictus Rex *Joas*, ostendit continuò, quòd Tutore & indiguerit, & etiamnũ vel maximè indigeret. Nam Aulicorum blanditiis delinitus, permisit restaurari Idola; *Baali* lucos, *Astartæ* fana nuper diruta rursus erigi vidit, neque inhibuit. Immò cùm *Zacharias* Pontifex, & *Iojadæ* filius in impietatem sacrilegam detonaret, Divinæ legis Zelotem, in ipso Templi atrio, jussit lapidibus obrui, nihil veritus, pro beneficiis Patris, filio rependere lapides, vindictam clamante ultimo exspirantis suspirio: *Videat DEUS, & requirat.*

Punitus Quomodo? A. M. 3192.

III. Nec distulit Nemesis vindicare innocuum sanguinem: nam vix annus decurrit, cùm

cùm *Hazaël Syrus* exiguis copiis (quid enim pluribus opus adversùs Regem, â Numine derelictum?) immensum *Joæ* stravit exercitum, *Hierosolymam* spoliavit thesauris, Regem ipsum, & ignominiis & plagis malè multatum, reliquit suis pejùs multandum; nam qui peccavit per Aulicos, ab Aulicis *Zabat*, & *Jozabad* in lecto oppressus est, anno Principatûs quadragesimo, infelicior *Zachariâ*, quem lapidibus oppressit in Templo, cùm illum Divina Nemesis plumis suffocârit in lecto.

Ingenti clade.

Violenta morte.

A. M. 3196.

Mel. Quid de *Amasia*?

A. M. 3197.

Leuc. *Amasias* pro Patre languido jam per biennium Pro-Rex, eo sublato nil antiquius habuit, quàm ut parricidas Talione promerito multaret.

Amasias Rex VIII. regnavit Quomodo? ultus parricidas.

II. Subin *Idumæam*, sub Atavo jam rebellem, út sub jugum denuò mitteret, lecto trecentorum millium flore (nam *Israëlitarum* subsidia, stipendiis conducta, â DEO remittere jussus est) hostes aggressus est, & DEO comite sic prostravit, ut decem millibus captis, totidem ex alta rupe agerentur in præceps.

A. M. 3108. Ultus Idumæos rebelles.

III. Sed quod planè stupendum! qui veri DEI auxilio vicit Idololatricam Gentem, Idololatriâ Gentis devictus est victor. Nam Deos, quos inter manubias captivos adduxerat, in Larario positos, mox adoravit, ipsis lignis lapidibúsque stupidior.

A. M. 3209. Lapsus in Idololatriam.

VI. Hinc objurgantis Prophetæ minas audire cùm noluit, sentire mox debuit, inconsulto bello cum *Joa Israëlis* Rege implicitus: nam à DEO vindice potiùs, quàm hoste pugnante victus, captus, ductúsque est in triumphum: immò post expilatos Templi thesau-

A. M. 3210. Victus ingenti clade.

sauros vectigali in Regno precarius Rex, cùm à propriis subditis ad necem deposceretur fugitivus, in *Lachis* suorum manibus est obtruncatus, DEO pro fracta fide parem perfidiam permittente. (*a*)

A. M. 3225. A suis tandē occisus.

A. M. 3227. Ozias, seu Azarias Rex IX. Initio felix Quomodo? Belli gloriâ.

Mel. Quale *Oziæ* regimen?

Leuc. Prædecessoribus simile, quia felix simul, atque infelix. Exoso Patri hunc filium, annorum sedecim, substituit Populus, ut Juvenis corrigeret senis errores. Correxit; nam *Zachariæ* Vatis, qui *Joiadæ* famosi nepos, consiliis usus, 1. *Hierosolymam* turribus munivit. 2. Exercitum non modò auxit ad numerum trecentorum septem millium & quingentorum militum, sed etiam omni armorum genere instruxit. 3. *Philistæos*, *Arabes*, *Ammonitas* non unâ victoriâ debellavit. 4. Dirutis *Philistæorum* propugnaculis, *Azoti* nempe, *Gethæ*, ac *Jamniæ* mœnibus, munimenta alia erexit. 5. Vineas, pascua, omnémque agriculturam sic coluit, ut meritò dubites, prudentiúsne rotârit sceptrum, an utiliùs direxerit stivam: verbo, foris strenuus, domi sedulus; & quod super elogia omnia, Religionis avitæ tam amans, quàm tenax extitit.

A. M. 3230. Oeconomiæ peritiâ.

Infelix Cur? & Quomodo? A. M. 3274. Involans in Sacerdotum officium.

II. Tot decora nævus unicus diluit, *animus ambitiosus.* (*b*) Nam coronæ mythram juncturus, Templum ingressus est, ut in altari Thymiamatis thus adoleret DEO, fastum Diabolo. Obstitit *Azarias*, Sacerdos summus, & validè quidem, quia octoginta validis Levitis stipatus. Sed cùm Rex, fumo jam turgidus, mentem in thuribula obstinâsset, Deus ipse, (*c*) subito terræ motu, temerarium terruit, & abominabili leprâ percussum abster-

VI. Leprâ percussus Osias.

(*a*) *a. æt. 49. Reg. 24.* (*b*) *Reg. 49.* (*c*) *S. Hieronj.*

ſterruit: hinc illicò ejectus è Templo, excluſus è Regia, in ſolitudine luxit, quod publicè peccârat. Nam tradito in manus filii Regni clavo, pulſus arâ, Templo, ſolio, proprio in Regno exul, privatis in ædibus, velut in Inſulam deportatus, denique exſpiravit. (a) Immò videri poterat etiam mortuis fuiſſe horrori; quia extra Mauſolæum Regium in agro tumulatus: adeò ſuperborum infamem lepram averſantur vivi, horrent etiam mortui.

Leprâ percutitur.

A. M. 3377. Moritur.

Mel. Quis ſecutus in ſolio?

Leuc. Joathan, qui vivo Patre, triennium Adminiſtrator, ſubin hæres Regni effectus, alieno damno ſapuit, & Patris ſuperbiam modeſtiâ compenſavit. Princeps fuit per omnia laudatus: nam portâ illuſtri, & excelsâ decoravit Templum; Regnum urbibus auxit, ac arcibus; *Ammonitis* bello devictis vectigale jugum impoſuit: ſi lucos inſuper excidiſſet, fuiſſet conſummatus ex toto, & ſæculorum omnium laudem promeruiſſet. Humana deſeruit anno ætatis quadrageſimo primo, dignus longiori regimine, ſi Regnum tali Rege non fuiſſet indignum.

Joathan Rex X.

A. M. 3278. (b)

Ejus Regimen Quale?

Laudabile.

A. M. 3286.

A. M. 3293.

Mel. Quinam è Regibus *Juda* omnium peſſimus?

Leuc. Achaz, quem *Achabo* ſupparem, nomine & omine ſceleſtiſſimum, non niſi ſacrilega in DEUM impietas memorabilem fecerat. Audi ſceleſtæ vitæ epitomen, & cohorreſce hinc provocantis malitiam, illinc DEI flagellantis juſtitiam.

Achaz Rex XI. Regum Juda ſceleſtiſſimus Cur?

VII. Peſſimus eſt Achaz.

I. Vix ſceptro erat admotus, cùm præceps ruit in omne ſcelus: Idolomaniæ portentum ulti-

Ob horrendam Idololatriam.

A. M. 3293.

(a) a. æt. 68. Regi. 52. (b) Incipit 1. Olympias.

ultimum. Sacrificabat in Excelsis, in collibus, in omni loco frondoso: *Baalis* aris urbes cunctas, immò & urbium Reginam *Hierosolymam*, ejúsque angulos omnes sacrilegus implevit: in valle, *Gehenna* non immeritò dictâ, *Molocho* filium proprium, Idoli brachiis concrematum, obtulit holocaustum, natósque reliquos, per eandem traductos flammam, lustravit. Denique ne solus esset scelestus, etiam suos sibi similes non modò voluit, sed etiam coëgit, pœnis insectatus illos, qui avitæ Religioni firmiùs adhærerent.

A. M. 3294. Punitus Quomodo? Clade geminâ.

II. Tot flagitiis provocata adfuit Divina Nemesis. Nam primus *Rasin*, Rex *Syriæ*, in *Judæam* effusus, vastato Regno, & opima spolia, & ipsum Regem in vincula *Damascum* abripuit. Tandem libertate donatum, urbe *Ailâ* in lytrum traditâ, mox novis belli fluctibus *Phacee* Rex *Israël* obruit: immò & profligavit tam horrenda clade, ut centum & viginti millibus cæsis, ducenta insuper millia promiscuæ ætatis & sexûs, præter infinitam prædam, in captivitatem *Samariæ* abstraherentur. Actum fuisset de Regno, nisi providum Numen, Prophetâ *Oded* interprete, sic repressisset victoris licentiam, ut irâ in commiserationem versâ, captivos non modò incolumes, sed etiam refectos cibis, vestitósque ad sua remiserit.

A. M. 3298. Quæ alia Achazi scelera?

Mel. An sic tandem castigatus *Achaz* resipuit?

Leuc. Minimè gentium: scelera sceleribus auxit, & DEUS pœnas pœnis multiplicavit.

I. Qui priùs â gemino Rege seorsim, nunc ab utroque simul lacessitus, *Hierosolymis* obsidetur. Dum tremit tot inter Deos ignavus, DEUS per *Isaiam* illi auxilium offert, animos

animos addit, titiones hos belli geminos, brevì extincturum se spondet, si modò saniora ipse consilia iniret: incredulo fidem offert, prodigiis firmandam, immò ultrò obtrudit prodigiorum prodigium: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Sed prodigia respuit superbus, auxilia aversatur perfidus, *ponénsque carnem brachium suum*, â Rege *Assyriæ Theglat-Phalassar* opem petit, & obtinet, majore suo, quàm hostium detrimento. Nam *Theglat Phalassar*, ubi Rege *Rasin* devicto, cepit *Damascum* metropolim *Syriæ*; ubi vastatâ *Samariâ* Regem *Phacee* ab obsidione *Solymea* abstraxit; *Achaz* Servatori suo (ùt putârat) *Damascum* usque obviàm factus, immensas opes, undique corrasas, obtulit, & victorem, triumphantis in morem, *Hierosolymam* deduxit. Sed DEO perfidus, mox sibi similem sensit victorem, perfidum scilicet, quia è socio *Assyrio* hostem, ex amico prædonem: nam *Theglat-Phalassar* expilato Templo & urbe, tributum grave imposuit Regno, Regem sibi tributarium subjecit, precario sceptro & vitâ pro amicitiæ pignore relictâ.

DEI contemptus.

A. M. 3298.

II. Quid ageret deceptus *Achaz*? Iram, quam in hostem non potuit, in DEUM per summum scelus effudit. Jam priùs *Damasco* miserat *Uriæ* Pontifici cujusdam aræ Idololatricæ ideam, cujus ectypon in Templo erigì jussit, ut in Regis *Assyrii* favorem Diis *Syriacis* & ipse, & subditi sacrificarent. Sic in *Assyrii* conspectu cùm immolâsset inter sacrilegas voces: *Dij Syriæ auxiliantur nobis!* itáque profanâsset Templum, post hostis ascessum hostis ipse effectus, quater illud diripuit. Immò ut impius, omnes

Horrenda insania.

A. M. 3291.

mnes esse cogeret impios, sacra altaria diruit, vasa aurea sustulit, & confregit, obstructisque valvis, Templum Domini clausit, ut nec ipse DEUM ampliùs colere, nec quisquam alius adorare posset.

A. M. 3298. & 3299. Quomodo castigatus, & mortuus? Multiplici clade.

III. Tam insanam in DEUM rabiem ulta est ipsamet scelerum mater Gentilitas. Mox enim *Idumæi* & *Philistæi* proruentes ab occidente, vastatâ igne & ferro *Iudæâ*, urbes *Getham*, *Azotum*, *Gazam*, *Ascalonem*, & *Accaronem*, victrici *Marte*, recuperant, dum intereà *Achaz* redactus ad incitas, emuncto etiam per iniquissimas leges pauperum sanguine, sceleribus suis immortuus, scelestam evomuit animam, (a) Rex, cujus vel sola memoria execrabilis, honore sepulchri Regii meritò privatus, infami tumulo hoc epitaphium affigente *Jeremiâ Propheta: maledictus homo, qui ponit carnem brachium suum, & â Domino recedit cor ejus.*

A. M. 3309. V. C. 8. Scelesto fine.

VIII. Est optimus Ezechias.

Mel. Quem post se fructum in throno reliquit arbor adeò maledicta?

Ezechias Rex XII. Piissimus Quomodo? a. eodem.

Leuc. Mirare, pessima optimum, *Ezechiam*, tam celebrem pietate, quàm ejus Pater impietate fuerat infamis. * In Patre vidimus mali-

(a) *Æt. a. 36. R. 17.*

* *Quæres:* Cur ex mala Matre vix unquam boni nascantur liberi? ℞. P. *Pexenfelder in Flor. Bibl. Narr. 90. fol. 437.* in hæc verba: Observant Scriptores sacri, profaníque, ex improbo Patre probos non raró prodire filios: vix tamen unquam ex Matre moribus corrupta, prolem existere incorruptam. Documento sunt plerique *Judææ* Reges, quorum improbitas ab impietate Matrum profluxit. Causa ejus rei non una. Nam *1.* quanta vis partem in

malitiam hominis cum DEI Nemesi certantem, in filio cernemus pietatem Regis cum DEI munificentia æmulantem.

Restaurata Religione.

I. In primis curis habuit Princeps iste, bono publico natus, ut Religionem collapsam denuò redintegraret: hinc Templum aperuit, sceleſtiſſimis ritibus prophanata atria purgavit; altare reposuit, à Patre per summum nefas amotum; aras sacrilegas, Idola, lucos, delubra in toto Regno destruxit, exussit, cineribus in *Cedronem*, aliósque fluvios dispersis; serpentem æneum, olim salutarem, nunc virulentum superstitione sacrilega, confregit; *Salomonis* libros de herbarum virtutibus, (a) cùm ad DEI neglectum, usúsque magicos illis *Judæi* abuterentur, abolevit; Ministrorum sacrorum ordinem, Cantorum officia, ritus, ac sacrificium juge Templo restituit; Paschæ festa, propemodùm jam exoleta, exquisitissima pompâ ad florem pristinum renovavit, missis undequaque tabellariis, qui etiam *Israëlitas* ad avita solennia invitarent. Pars horum comparuit, pars (nempe progenies *Belial*) Zelum regium derisit; ipsa solemni-

(a) *Euseb. Anastas. Nicænus.*

in utramque lactis est materni, quocum non corporis modo vitia, sed animi quoque imbibuntur? 2. novem illa mensium in visceribus genitricis commoratio, quas & quàm diversas affectuum intemperies Infanti non imprimit? 3. Institutio à teneris est penes Matres, quid rasæ tabellæ hinc non imprimitur? Adde Matrum cum liberis familiarem consuetudinem in ætate etiam firmiore, & quotidiana exempla, unde B. *Paulus ad Rom.* 11. *si radix sancta & rami. Juvenalis: scilicet exspectas, ut tradat Mater honestos, atque alios mores, quàm quos habet?*

lemnitas communi Religionis ſtudio peracta, communi lætitia, lautiſque epulis eſt abſoluta.

Reformatâ Republicâ. II. Hiſce Religionis ſtudiis civilia non neglexit: ærarium publicum immenſis opibus auxit, vi nulla, ſed partim induſtriâ, partim civium liberalitate congeſtis; reſtauravit urbes, munimenta erexit; ſic *Martem*, ſub Patre enervem, corroboravit denuò, ut *Philiſtæos* extrema clade multaverit, omnéſque urbes à *Geth* usque *Gazam* recuperârit: illud certum *Philiſtæam* Hydram, poſt ultimum hoc clavæ vulnus, nunquam ampliùs caput (Regem intelligo) extuliſſe. *A. M. 3310. V. C. 9.*

Pietatis hujus præmia Quæ? *Mel.* Quomodo hanc pietatem ulteriùs remunerata eſt Numinis bonitas?

Beneficium geminum. *Leuc.* Beneficio gemino; Regem liberando â morte, Regnum liberando ab hoſte.

A. M. 3320. V. C. 19. I. Jam diu in animum *Ezechias* induxerat, *Sennacheribi* Regis *Aſſyriæ* vectigale jugum excutere: hinc inito cùm *Ægyptiis* & *Æthiopibus* fœdere, & *Jeroſolymâ* apparatu bellico probè munita, vix denegârat tributum, cùm *Sennacherib*, collectis ex tota *Aſia* copiis, *Thartano* Comite, torrentis inſtar inundat *Judæam*, urbes obvias capit, latè omnia vaſtat, tanto terrore, ut *Ezechias* plenam periculi aleam maluerit avertere, quàm ſubire. Hinc *Ezechiæ* Legatis lytrum urbis, trecenta argenti, auri triginta talenta dictatoriè præſcribit hoſtis, quæ cùm conquiſitis undique theſauris, etiam detractis Templo laminis aureis, accepiſſet, nihilominùs per *Rapſacem*, hominem turbulentum, deditionem imperat potiùs, quàm expoſtulat. Hanc ubi Rex abnuit, per *Iſaiam* meliora ſperare juſſus; mox univerſas vires urbi admovere *Sennachiribus*. Sed *Tharacâ* Rege *Æthiopum*

Hoſtis Sennacheribi è Judæa abſceſſus. *A. M. 3321. V. C. 20.* *A. M. 3322. V. C. 21.*

cum

cum ingenti exercitu appropinquante, & à cœptis, & à *Judaeæ* finibus avocatur, sic ut nil relinqueret præter literas, minis & horrendis in DEUM Blasphemiis plenas, quas *Ezechias* altari imposuit, ut vindictam clamarent, & Divini Nominis hosti accelerarent interitum.

II. Inter hæc, intestino ulcere in lectum dejectus, & ad extrema redactus jam *Ezechias*, cùm etiam ab *Isaia* audiisset fatalem sententiam: *dispone domui tuæ, quia morieris & non vives*, vultu ad lecti parietem converso ingemuit, & inter effusos fletus dura fata, orbitatem suam præcipuè, est deprecatus. Audiit, & exaudiit preces benignum Numen: nam per *Isaiam*, ficorum massâ ulceri applicatâ, intra triduum sanitatem recepit; in annos 15. prolongandam vitam inaudiit; & ne dubitaret de beneficio, fidem sibi factam vidit, reductâ per 10. lineas umbrâ in horologio *Achaz*, ingenti sanè prodigio, quod universo Orbi commune fuisse Authores commemorant.

Sanitas restituta.
Eodem anno.

Prolongata vita in annos 15.

A. M. 3324.
V. C. 23.

III. Jam triennium fluxerat, cùm *Sennacherib*, *Ægypto & Æthiopiâ* domitâ, fastu turgidus, præmisso undique terrore, in *Judæam* denuò reversus, *Jerosolymæ*, totis viribus obsessæ, exitium ultimum est minatus. Diriguit Populus, sed solummodò imbellis; nam *Ezechias*, cum saniore civium parte deprecatus erat interitum, quem ipsa epistola blasphema, in Divini Nominis hostes detorquendum, clamaverat. Penetravit sidera & *Ezechiæ* pietas, & *Sennacheribi* impietas: hinc Angelo vindice, inter attonitas noctis tenebras, momento exarmata, & exanimata sunt ho-

Hostis Assyrius internecione deletus.

hostium castra, atq; centū ultra octoginta quinque millia trucidata, denis solumodò exceptis, ut essent cladis acceptæ testes; ipsóque *Sennacheribo*, ut detumesceret paululùm, & *Hebræorum* Numen impunè neutiquam irritari agnosceret. * Castra cum infinitis spoliis deserta attonito Populo in prædam, Regi in triumphum, DEO cessêre in gloriam immortalem.

Ezechias quomodo lapsus in ostentationem Deo ingratam? Ostentando thesauros.

Mel. Quomodo & regimen, & vitam denique finiît *Ezechias?*

Leuc. Telam tam bellè hactenus pertextam, vix non corrupisset in fine: adeò difficile est in felicitatis fastigio non vacillare. Nam ejus famam cùm ipsum Cœlum *Phæbo* retrogrado, & infanda hostium clade ubique celebrem reddidisset, *Merodachus*, *Sennacheribi* hactenus Prorex, nunc *Babyloniæ* Rex,

Eodem anno.

eidem per Legatos felicitatem gratulatus, ad mutua fœdera invitavit. Facilis in vota fuerat *Ezechias*, quia sibi proficua: atque, ut vota *Merodacho* quoque utilia demonstraret, Legatis totam Regni exhibuit magnificentiam, deprompsit thesauros, lapides pretiosos monstravit, vasa aurea, atque argentea, opésque Regias non tam ostendit, quàm ostentavit, vanitatem in viro probo DEO adeò improbante, ut protinùs per *Isaiam* illi denuntiârit, hæc omnia his ipsis *Babyloniis* quondam in spolium cessura. Subjecit se Divinis judiciis, & reliquos indulgentiæ cœlestis annos exegit feliciter, finivit sanctè, (a) Rex ipso DEI oraculo celebris, quòd *post eum non fuerit similis ei de cunctis Regibus Juda, sed neque in his, qui ante eum fuerunt.*

Quomodo mortuus? Felici fato.

A. M. 3337. V.C. 36.

Mel.

* Quomodo ab Angelo hæc facta strages?

(a) *An at. 54. Reg. 29.*

Mel. Quis ſecutus in ſolio *Ezechiam*? *A. M. 3338. V. 37.*

Leuc. Fuit hæc *Ezechiæ* felicitas, quòd Patris peſſimi fuerit filius optimus; fuit hæc infelicitas, quòd fuerit Pater optimus filii peſſimi, *Manaſſis* ſcilicet, qui totus à Patre degener, avi impietatem ab inferis revocavit. In hoc Principe memoranda. *Manaſſes Rex XIII. IX.* Manaſſe attritus.

I. Horrenda flagitia: nam duodennis parvulus æquavit jam grandævos Tyrannos: *Achazi* ſuſcitavit Idola; reædificavit fana & lucos; filios traduxit per *Molochi* ignes ſacrilegos; magiâ ſe ſe implicuit; *Iſaiæ* innocuo ſanguine purpuram fœdavit: verbo, ſingulorum ſcelera in eo ſolo collegit impietas, veluti in genuino Avi ſpeculo, Patris viva antitheſi, cujus imaginem è contrario ubique repræſentârat. *Ejus ſcelera quantæ?*

Memoranda II. Vindicta, de tot ſceleribus ſumpta: nam ſuſcitatum eſt pro more â Numine flagellum *Merodachus*, *Babyloniæ* Rex, qui vaſtatâ latè *Iudæâ*, ipſum Regem, compedibus vinctum, unà cum Nobilitatis flore abripuit in ſervitutem. *A. M. 3344. V. 43.* *Scelerum vindicta Qualis?*

Memoranda III. Ejus pœnitentia: nam felix illi infelicitas fuit, & ubi libertatem amiſit, mentem recepit, meliúſque in carceris ſqualore, quàm ſolio vidit, & agnovit ultorem DEUM. Hinc pœnitentiæ lachrymis ubi deterſit ſordes, per animi contriti ſuſpiria mollivit DEUM, DEUS *Merodachum*, ſic, ut commiſeratione tactus, illum exemerit vinculis, Regníque ſolio reſtituerit, eo ipſo tempore, quo per *Holofernem* Regna rapere, non reddere conſtituerat. *Manaſſes* ſubin alius à ſe ipſo, mox cœpit deſtruere priùs malè erecta, erigere priùs malè deſtructa: verbo, Divinum cultum reſtituit, quique priùs impieta- *Ejus pœnitentia.* *A. M. 3345. V. 44.* *A. M. 3350. V. 49.*

pietatis exemplar, factus est pœnitentiæ speculum; & licèt vixerit malè, obiît bene, quia
A. M. 3392. V. 91. pœnitens, magnifico Regum Mausolæo appositus, annò sexagesimo septimo, Regni quinquagesimo quinto.

A. M. 3393. V. 92. *Mel.* An *Ammon* filius, Patris vestigia insecutus?

Æt. a. 22. Ammon Rex XIV. Ejus malitia Quæ? *Leuc.* Ita; secutus est Patrem, sed peccantem solummodò, non pœnitentem. Nam paterni regiminis sat longa scelera sic in biennium, pravitatis compendio, compegit, ut malitiâ Patre superior, consummatus in brevi, expleverit impietatis tempora multa. Corruptus ab Aulicis in omne scelus, veluti laxato freno, decurrit, ad Idololatricum Patris vomitum reversus. Sic malè elapsum est tempus, ut nec horula pro pœnitentia superesset; & quia per Aulicos peccârat, per Aulicos est punitus, domi nefaria conjuratione
A. M. 3394. V. 93. Mors qualis? exturbatus è Regno simul & vita, quamvis non impunè, cùm Populus authoribus sceleris, per exquisita tormenta sublatis, Regis
Æt. a. 24. Manibus parentârit.

Mel. Quis pro *Ammone* elevatus in solium?

A. M. 3395. V. 94. Josias Rex XV. Piissimus. *Leuc.* *Josias* filius, ætate non nisi parvulus octennis, sed virtute vix non cunctis Majoribus major, Rex Zelotes, jam ante annos trecentos & quinquaginta afflictæ Rei publicæ Divino oraculo promissus, Religionis Restitutor non in *Judæa* modò, sed etiam *Samaria.*

X. Josias Relligiosus.

A. M. 3406. V. 105. Ob eversam funditùs Idololatriam. Nam I. Idololatriam radicitùs exstirpavit; omnia fana, Excelsa, lucos destruxit; aras omnes, Idola *Moloch* & *Baal*, currus solis, & equos, *Priapo* sacra in ipso Templo prostibula evertit; vasa cuncta sacrilego cultui dicata confregit: hæc omnia combussit, etiam cineribus è Regno in profanatam pridem *Bethel*

thel translatis. Pythones, ariolos, ſacrificulos omnes, in ipſis ſacrilegis aris, Divinæ Nemeſi victimas immolavit, etiam mortuorum tumulis everſis, oſſibúsque ſuper Idololum altaria concrematis, atque diſperſis: ſolus ille effugit vindicem flammam, qui Prophetæ *Addonis* oſſibus ſua providè contumulari juſſit *Bethelenſis* Aruſpex.

II. Sic ubi abolita Regni abominatio, ipſi Templo, ab Idololatricis ſordibus purgato, manum appoſuit. Deformatum toties primo ſplendori, & ornamentis reſtituit, qua occaſione ab *Helcia* Pontifice inventum *Deuteronomium* ſive in muri aliquo latere, ſive in ærarii ſacri ſcrinio quodam, â furore *Achazi* fortè abſconditum. Ex hoc libro cùm *Saphan* recitaret Divinæ Legis contemptum, Gentis excidio vindicandum, ſciſſis veſtibus cohorruit *Joſias:* cùm *Holda* Prophetis ipſa hæc omina confirmaret, Rex imminentibus fatis ut ſaltem moram injiceret, ſolemniùs celebravit feſta Paſchalia, Populúmque ad renovandum cum DEO fœdus Zelo ſat efficaci, quia Regio, eſt cohortatus. *Ob Templū & Religionem reſtauratam. A. M. 3412. V. 11.*

III. Homagium Numini præſtitum eſt, ſed promptiùs longè quàm firmiùs, inconſtanti Populo non lentis paſſibus ſua fata accelerante. Hinc Regem adeò pium habere diu non meruit. Nam *Nechaoni*, Regi *Ægyptio* contra *Aſſyrios* moventi, cùm denegaret innoxium tranſitum, conſerto ſine Numinis expreſſo juſſu propè *Mageddo* prælio, ſagittâ percuſſus, brevì pòſt ex vulnere obiît, Princeps dignus, (a) quem lamentatione ſua *Jeremias* proſequeretur. *Mortuus Quomodo? A. M. 3425. V. 124.*

Mel. Quæ *Joachazi* & *Eliacimi* fortuna? (b) *Joachaz ſive Sellum Rex XVI.*

(a) *a. æt. 39. Reg. 31.* (b) *Eodem anno.*

Quæ ejus fortuna? *Leuc.* *Josiâ* mortuo, veluti subducto fulcro, in ruinam mox inclinare visa *Judæorum* Respublica. Nam

Misera ob impietatem. I. *Joachazus*, quem alii *Sellum*, non ætatis jure, sed populari aurâ evectus in solium, (*a*) Patris virtutes avitis sceleribus mox abolevit. Hinc deserto DEO, & ipse â DEO desertus est: nam cùm *Neckao* ab expeditione *Babylonica* reversus, hostili transitu inundaret *Judæam*, vel prælio fusus, vel Primogeniti *Eliacimi*, *Infelicem mortem.* sceptrum sibi vindicantis, stratagemate proditus, post trimestre regimen throno spoliatus, captúsque in carceris *Ægyptii* squalore infelicem spiritum efflavit.

A. M. 3426. V. 125. Eliacim seu Joachim Rex XVII. Quæ ejus scelera? Idololatria. X. Sub Joachim putat. *Crudelitas.* II. *Eliacim*, immutato nomine, *Ioachim* appellatus â *Neckaone*, in fratris solium subrogatus est, ea lege, ut centum talentis argenti, & auri uno sceptrum redimeret, ac tributarium posthac *Ægypto* subjiceret. Huic oneri ut satisfaceret, immensis exactionibus subditorum fortunas exhausit: factus subin Idolorum est cultor, *Iosiæ* insignis noxa, in Majorum sceleribus neutiquam minor; immò in tyrannide etiam major, qua non modò in Innocentes, sed etiam monitores Prophetas desæviit. Nam *Uriam*, imminentis exitii præconem, ex *Ægypto*, quò profugerat, retractum, immaniter trucidavit; immaniùs Prophetarum sepulchris exclusit. *Ieremiam*, indignis modis exagitatum, ad necem quæsivit; ejus funesta oracula, per Prophetam *Baruch* promulgata, cùm sibi essent oblata, cultello scriptorio conscidit, & in ignes projecit.

Quæ pœna? Captivitas. A. M. 3428. V. 127. III. Sed huic Tyranno non defuit Tyrannus. *Nabucodonosor* quippe *Babyloniæ* Rex, *Ægyptio* illius fœdere offensus, obsidione inopina

(*a*) *at.* 23.

opina *Ierosolymam* obruit; imparatam cepit; partem vasorum diripuit; Regem catenis vinctum unà cum Nobilitatis flore (in quo cum sociis *Daniel*) abstraxit in *Babylonicam* servitutem. Sed ubi *Joachim* ultrò spopondit se vectigalem, brevì restitutus est regno, indicto grandi tributo: hoc tribus annis ubi ægrè persolvit, *Ægyptio* fœdere malè fretus, excussit jugum: (a) sed mox adfuit *Chaldæus*, perduelli & indefenso minitatus exitium; cujus timore cùm *Ioachimus* offerret tributa, & Victori, fidem juranti, portas *Solymæ* panderet, is perjurus perjurum occidit, occisúmque projecit extra portas, ubi ex *Ieremiæ* oraculo in sepultura asini (b) putruit, ferarum pabulum, & infame, magicóque stigmate notatum humani generis excrementum. *

A. M. 3429. V. 128.

Mors & sepultura infamis.

A. M 3433. V. 132.

A. M. 3436. V. 135.

Mel. Quem denique finem habuit agonizans Regni Judaici Monarchia?

A. M. 3436. V. 135.

Leuc. In *Iechonia*, qui aliis *Ioachinus*, ultimò concussa; in *Sedecia* est diruta. *Ioachinus* Patri & nomine, & omine non multùm absimilis, cùm vix trimestre exegisset in solio, *Nabucodonosori* de Patris perfidia suspectus apparuit. Unde & ipse *Jerosolymis* obsessus, oblatâ nequidquam tributaria fide, captus, & unà cum familia Regia, gaza, Regni Primatibus, (quos inter *Ezechiel*) & decem millibus lectæ Nobilitatis abstractus est in vincula *Babylonicæ* servitutis. (c)

Iechonias sive Joachinus Rex XVIII.

Regnum Judæ concussum.

Quomodo? Captivitate Regis.

II. Eidem suffectus *Mathanias*, dictus postmodùm *Sedecias*, *Iechoniæ* Patruus, *Ioachimi* frater, *Iosiæ* filius infelix, qui & ipse, ruentem in sua fata Rempublicam, ultimo scelerum impetu incitavit.

Mathanias seu Sedecias Rex ultimus.

Quomodo Regnum sub ipso dirutum?

(a) *A. Reg. 11.* (b) *c. 22. v. 19.*

* Voce magica: *Chodanasar.* (c) *Eodem anno*

XI.
Perdit Sedecia coronam.
Regis sceleribus.

III. *Ieremiam*, salutaria oggerentem, funesta continuò lamentantem, fame, siti, nervo, taureis, cænóque lutulentis puteis torquere maluit, quàm audire: sic obice amoto, facilè ruit in avita Idololatriæ flagitia, quæ denique, impletâ Patrum mensurâ, exitium ultimum attraxêre.

A. M. 3443.
V. 142.
Perfidia in Assyrios.

IV. Juraverat *Sedecias Nabucodonosori* fidem simul, & vectigalia submissionis debitæ pignora, eáque præstitit, sed non diu. Qui enim DEO jam fuerat perfidus, homini fidus esse non poterat: hinc vix elapso septennio, *Pharaonis* fœdere firmatus, jugum *Assyricum* excussit. Delatus erat *Babylonem* perfidiæ rumor, cùm *Nabucodonosor*, collectis celeriter copiis advolat; milite *Jerosolymam* vallat, *Pharaonem* in auxilia venientem, ingenti clade, profligat, & biennali obsidione derelictam urbem adigit ad extrema. Deditionem suaserat *Ieremias*, urgebat fames, ortáque è fame pestis, omnium perorabat pavor, pallor, lamentatio: sed frustrà, Rege in Patriæ fata jam obstinato. Tandem hostili assultu urbs capitur, victoris ferro tam furiosè in victos desæviente, ut nongenta millia trucidata, multitudo immensa in servitutem abstracta sit.

A. M. 3444.
V. 143.
Urbis obsidione.
A. M. 3446.
V. 145.

Populi Regisque captivitate.

V. Rex ipse cum suis fugâ elapsus, in hostium manus incidit infelix; cui cùm victor exprobrâsset perfidiam, trucidatis in ejus conspectu filiis, quasi in suorum funera sat fuisset jam oculatus, misero mox eruit oculos: tum oneratum vinculis, & per ludibrium caveæ inclusum, in *Babylonicam* abripuit servitutem: sic nempe vidit vel cæcus, verum fuisse *Ezechielis* oraculum, *(a)* quo illi prædixerat, *Babylonem* venturum, nec tamen *Babylonem* visurum. VI.

(a) c. 12. v. 13.

VI. Mensem in urbis direptione, cædibus, vastatione jam insumpserat hostis, cùm Duci *Nabuzardan* in commissis dat victor, invisam urbem funditùs deleret, ignique absumeret. Vidisses hìc lamentabilem faciem: furori, rapinis, contumeliis cessêre cuncta, diruti muri, faces ædibus subjectæ, *Davidis* Regia, *Salomonis* Basilica, ipsum Templum, postquàm per quadringentos viginti quatuor annos, & tres menses â gloriosis initiis steterat hoc Mundi miraculum, vastatore *Vulcano* in cineres corruit; urbs tota solo penè æquata est, nilque relictum super, nisi fumantia rudera, Divinæ Nemesis, tot sceleribus irritatæ, funesta testimonia.

A. M. 3447. V. 146. Templi & Urbis vastatione.

VII. *Sedeciam* mœror animi, (*a*) oculorum cruciatus, liberorum orbitas, Templi, Regníque interitus sensim confecerant, cui lessum meritò accinêre *Judæi*: *periît Sedecias, qui fæcem bibit omnium sæculorum*, utpote in quo periît *Judææ* Regnum, postquàm â *Saule* quadringentis & octoginta quinque annis, propitio Numine, se sustentârat.

A. M. 3449. V. 148. Regis morte.

Observationes.

MEl. Quænam Observationes Politicæ? Leuc. I. Quòd Regnum *Iuda* sub *Iosaphato*, *Ezechia*, *Iosia* fuerit florentissimum, haud dubiè causa fuit (si Politicis fides est) Regum istorum *Pietas* in extirpanda Idololatria, & restituenda vera Religione; hinc *Ioa*, â *Ioiada* in Regem proposito, in manum datus est liber Legis: hinc sacer textus de *Josaphato*: (*b*) *factus est pavor Domini super omnia Regna*, de *Ezechia*:

Observationes Politicæ Quæ?

Regum, & Regnorum felicitas unde? A Pietate.

(*a*) *A. Reg.* 11. (*b*) 2. *Paral.* 17. *v.* 10.

chia: (a) unde & erat Dominus cum eo in cunctis, ad quæ procedebat. Causa altera fuit *Regni justa administratio* in tribunalium cura, selectu Judicum, in servando rigore legum, atque justitiæ: sic legimus de *Iosaphato: (b) constituit Iudices terræ &c. videte, ait, quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit: sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite; non enim est apud Dominum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Tertia causa, *boni fuêre Consiliarii:* sic de *Ioa* testatur Scriptura: *(c) fecítque rectum coram Domino cunctis diebus, quibus eum docuit Ioiada.* Quarta fuit, *Regni munitio*, atque *defensio:* ita *Iosaphat: constituit militum numerum in cunctis urbibus &c. (d) præsidiáque in terra Iuda.* Denique moderatio in exigendis tributis: unde de hoc ipso Rege afferunt Politici hoc paradoxon: relaxavit tributa, non auxit, & tamen, *facta sunt ei divitiæ infinitæ. (e)*

Iustitia. *Bonis Consiliariis.* *Munitionibus.* *Moderatione vectigalium.*

II. Regnum *Iuda* sub impiis Regibus concussum, & denique eversum. Ratio fuerit (siquidem â contrariis licet arguere) *Impietas Idololatrica:* patet in *Roboamo*, & reliquis, qui toties puniti, quoties perfidi, intestinis potiùs vitiis, quàm *Assyriis* Regnum evertentibus. Accessit promiscua conjugiorum licentia: exemplum præbet *Athalia*, quæ Idololatriam in stirpe *David* proseminârat. Altera causa teste *Tertulliano* fuêre neglecta Jura, Prophetarúmq; injustæ persecutiones. Tertia

Regum, & Regnorum infelicitas unde? Ab Impietate. *Injustitia.*

(a) 4. Reg. 18. v. 7. (b) 2. Par. 19. v. 5. (c) 4. Reg. 12. v. 2. (d) 2. Par. 17. v. 2. (e) 2. Par. 17. v. 5.

Tertia *mali Consiliarii:* patet in *Ioa, postquàm obiît Ioiada, ingressi sunt Principes Iuda, & adoraverunt, (a) qui delinitus obsequiis eorum, acquievit eis.* Sic *Sedecias* respuit *Ieremiam*, & audiens impios Ministros, evertit Imperium. Quarta *luxus*, quo Regna facilè exhauriuntur. *Malis Consiliariis.* *Luxu.*

III. Docet denique Scriptura, qua in re Regibus ponendæ sint belli vires: dixit Vates ad *Amasiam: (b) si putas in robore exercitûs bella consistere, superari te faciet DEUS ab hostibus: DEI quippe est adjuvare, & in fugam convertere:* sic non tam numero, quàm DEO fretus, *Idumæos* in fugam dedit; sic *Ezechias* non præliando, sed orando *Sennacheribum* debellavit. *Bella non numero, sed virtute bellanda.*

Mel. Quænam Observationes Christianæ? XII. Observationes Christianæ Quæ?

Leuc. Apparet, si unquam aliàs certè in Regno *Judæ*, *mira Numinis Providentia*, qua Ecclesiam suam *protexit, adumbravit*, & virtutum exemplis *illustravit*. Nam *D. Providentia*

I. Religionem, Regum sceleribus, & *Achazi* præprimis, ac *Uriæ* Pontificis impietate non semel naufragam, quàm mirabiliter protexit? quàm suaviter per Prophetarum oracula, minas, plena Zelo conamina, ruituram præservavit? quàm efficaciter per Regum pietatem gloriosissimam rursus restituit, ac restauravit? *In Religione vera protegenda.*

II. Sed & eadem Numinis Providentia præfiguravit *Christum* in *Josophato, Ezechia, Iosia*, qui veluti digni *Messiæ* Majores, suo Zelo Idololatriam exterminârunt, pietate hostes vicerunt, virtute Ecclesiam sustentârunt: immò oblatum est quoque *Achazo* impio *Adumbrāda.*

(a) 2. Par. 24. v. 17. (b) 2. Par. 25. v. 8.

pio prodigiorum prodigium: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.*

Illustranda. III. Denique per eandem Numinis Providentiam variis virtutum exemplis illustrata est *Synagoga.* Eluxit in *Manasse* pœnitentia, qui suo exemplo docuit, quòd cor contritum non despiciat DEUS; in *Jojada* & *Zacharia* Zelus sacerdotalis; in *Josaphato* pietas; in *Ezechia* Religio; in *Iosia* absoluta boni Regis Idea. Contrà terret in *Ozia* fastus leprâ punitus; in *Joa* inconstantia; in *Ammone* impœnitentia; in *Achazo* impietatis abyssus. Apparent tremenda DEI Judicia, quæ in *Josaphato,* & *Ezechia* etiam levia scelera, uti videri possent, haud leviter punivêre; quæ *Iosiam* præmatura morte sustulêre; quæ totam Gentem tam horrendis flagellis attritam, unà cum multis piis tradidêre, everso funditùs Regno, in *Babylonicam* servitutẽ. Apparet denique periculosa Potentum alea, quorum virtus stat omnis in lubrico; quos adulatio flectit, luxus emollit, inflammat cupido, ira præcipitat, ambitio stimulat, frena laxat effrenis quodvis audendi & faciendi licentia: unde inter Reges novemdecim, nullus ex integro bonus: tres præ reliquis laudati *David* scilicet, *Ezechias*, & *Iosias*: sex certò damnati; reliqui (quos inter *Manasses* pœnitens, *Iosaphat*, *Ioathan* aliique non illaudati) haud certæ tamen salutis, utpote de quibus constat peccâsse, neque sat constat de singulis *verè* pœnituisse. (b)

Observationes Polemicæ Quæ? *Mel.* Quæ observationes Polemicæ?

Leuc. Cùm nullam *Hybnerus* doctrinam moralem de Regibus Acatholicæ Juventutĩ suppeditet, sequentes legere haud gravetur.

Parallelum reformationis Ezechiæ &c. & Lutheri. I. *Synagogam* reformavit *Iosaphat*, *Ezechias*,

(a) *Eccles. 49, 5.* (b) *Fontes Biblici st. 2. f. 205. & 212.*

chias, Iosias; Ecclesiam Romanam Lutherus: omnimoda paritas. Nam *1.* Hi Principes, si reformâssent *Synagogam*, reformâssent *fallibilem: Lutherus* Ecclesiàm veram, assistentiâ Divinâ *infallibilem*, contra quam nunquam *portæ inferi prævalebunt.*

II. Illi reformârunt *mores*, nón *Legem: Lutherus* reformare prætendit *Legem*, non *mores*, qui ipsomet teste, *(a)* Evangelio novo haud reformati.

III. Illi reformârunt *mores*, more legitimo, quia per *Sacerdotium*, summo Antistite, suos ad hoç officium delegante: *vos enim elegit DEUS, ut stetis coram eo, & ministretis illi: (b)* Nec profanis sacra miscebant: *nam misit de Principibus suis*, ad ordinanda forensia: *& cum eis Levitas, qui habentes librum Legis Domini in manu, docebant Populum. (c) Lutherus* reformare prætendit evangelicam legem, *modo non evangelico*, quia contempto Pontifice, Patribus, Conciliis, potestatem Ecclesiasticam in sæculi Principes transferendo, & miscendo sacra profanis.

IV. Illi reformârunt *mores* à laxiore vita in magìs strictam: *(d) Egressus omnis Israël fregerunt simulacra, succiderunt lucos &c.* Item per homines à DEO vocatos, priùs sanctificatos: *(e) Adduxit Sacerdotes, & Levitas, dixitque sanctificamini. Lutherus* reformavit legem, mores à vita magis stricta in laxiorem, solvendo vota, Ecclesiæ præcepta, dicendo mandata DEI impossibilia. Item reformavit per homines non vocatos, certè famosos, apostatas à Religione & fide,

(a) l. sup. cit. (b) 2. Paral. 29. v. 11. (c) 2. Paral. 17. v. 8. 9. (d) 2. Paral. 31. v. 1. (e) 2. Par. 29. v. 4. & 5.

de, qualis ipſe fuit, & ejusdem furfuris *Calvinus, Zvvinglius, Buzerus &c.*

V. Illi reformârunt Divinum cultum, inſtaurando Templum maximis ſumptibus, ornando muneribus, attribuendo reditus &c. *Lutherus* deformavit cultum Divinum, ſpoliando templa, monaſteria, ornatu, ſumptibus, bona Eccleſiaſtica Principibus Laicis attribuendo.

IV. Illi Sacerdotium erexêre: (a) *Conſtituit quoque Levitas &c.* (b) *præcepit Populo, ut darentur partes Sacerdotibus, ut poſſent vacare legi Domini:* unde *Intulerunt primitias, & decimas, diſpoſitíque, qui Sacerdotibus tribuerent: dixítque Azarias: remanſerunt plurima, eò quod benedixerit DEUS Populo ſuo. Lutherus* Sacerdotium depreſſit, Templa, & monaſteria evacuavit, patrimonia *Chriſti* diſſipavit.

VII. Denique illi *abſtulerunt quoque Excelſa, & lucos* (c) Oratoria DEO vero ſacra, ſed privata, contra Legem erecta, de Templi *Solymæi* cultu derogantia. *Lutherus* erexit Excelſa, Eccleſiam ſchiſmaticam, quia *Lutheranam*, privatam, Legi contrariam, *Romanæ* unicè veræ, oppoſitam. En! reformationis utriusque paritatem omnimodam! Det quæſo Acatholica Juventus Catholicæ diſparitatem. *

IN-

(a) *2. Paral. 29. 25.* (b) *2. Paral. c. 31. 4.* (c) *2. Par. 17. v. 6.*

* Inde colliges, quàm verè *Jac. Fridericus Georgii in gravaminibus contra Sedem Romanam, totúmque Eccleſiaſticum Ordinem a. 1725. Francofurti, & Lipſiæ* editis ſcripſerit, dum in ipſa introductione *fol. 1.* Reformationem

INSTRUCTIO V.

Judæorum Fata ſub Monarchia Aſſyrica durante captivitate Babylonica per annos ſeptuaginta.

MElander. Quæ Diviſio hujus Inſtructionis? *Diviſio Inſtructionis.*

Leucotheus. In paragraphum triplicem: primus dabit Hiſtoriam *Judithæ*. Secundus Hiſtoriam *Suſannæ*. Tertius Hiſtoriam Prophetarum illuſtrium in Regno *Judæ*, præcipuè *Danielis*.

§. I.

De Hiſtoria Judithæ.

MEl. quo tempore acta *Judithæ* tragœdia? quænam ipſius cauſa, & Actor præcipuus? *Hiſtoria Judith.*

Leuc. Incidit, ſi *Saliano* Chronologo fides, in annum Mundi 3346. Urbis conditæ 45. *Manaſſis* Regis *Judæ* 9. poſtquàm ſcilicet priore anno è captivitate *Babylonica* dimiſſus, & non tam per *Merodachi*, quàm Numinis favorem paterno ſolio eſt reſtitutus: quam- *Tempus Quale? A. M. 3346. U. 45.*

tionem Lutheri *opus planè heroicum* paratragœdiat hice verbis: Quod de *Thraſybulo* quondam celeberrimus vitarum excellentium Imperatorum Scriptor *Cornelius* prædicat: *quod multi voluerunt, pauci potuerunt, ab uno Tyranno patriam liberare, huic contigit, ut à triginta preſſam Tyrannis ex ſervitute in libertatem vindicaret*: illud & de B. (ſi Superis placet) *Luthero* noſtro affirmare non dubitatus.

quamvis non desint, qui hanc ipsam historiam, & multis quidem rationum momentis, ad usque tempora *Xerxis*, post reditum Populi è *Babylonica* captivitate, rejiciant. *(a)*

Causa Quæ? II. Causa porrò adornatæ scenæ fuit *Ambitio*; Actor præcipuus, *Holofornes*; natione *Persa* Dux æquè ferox, ac turbulentus. *Merodachus* quippe, *Assyriæ* Monarcha, occiso *Déoce Arphaxat*, *Medorum* Rege, secundis rebus extra se raptus, assumpto *Nabucodonosoris* cognomento, *Orientis Domitorem* se jactitârat. Necdum satur; spiritum *Occidentem* versus inflaverat, tanto fastu, ut in nubibus ambulans, pedibus jam jam contereret Gentes, Regnorum omnium colligeret sceptra, coronas omnes uni sibi imponeret, ac *universi Dominum*, immò *DEUM unicum*, Populis posthac *unicè adorandum*, se somniaret. Atque ne somniaret solummodò, ingentes spiritus, communicato cum Dynastis consilio, despumaverat, turgidus, *Holofernem* arrogantiâ non absimilem sibi Ducem designans cum mandatis, quidquid terræ ac Populorum occurreret, *Assyrico* sceptro subjiceret; quidquid resisteret, ferro vindice devastaret; quidquid Jurium ac Deorum esset, exterminaret, & solum *Nabucodonosorem*, *Orbis Dominum*, & *Numen* posthac adorandum, Gentibus proclamaret.

Merodachi ambitio.

Dux Holofernes.

Divisio hujus historiæ Quæ? *Mel.* Quæ in hac historia præcipuè memoratu digna?

Leuc. Quatuor: 1. Apparatus Belli. 2. Obsidio urbis *Bethuliæ*. 3. Liberatio per *Iuditham*. 4. *Triumphus*.

Apparatus belli Quis? *Mel.* Quis belli apparatus?

Leuc. Ingens, quia ad ausus utique ingentes.

(a) *Cor. à lap. in Proœm.*

tes. Collectis totius *Assyriæ* viribus, sub *Holofernis* vexilla convolârant centum viginti peditum, viginti duo equitum millia, in censum non venientibus copiis, quas devictæ Gentes adjunxerant: exercitus utique imensus, innumeris quadrigis, armentis, opibus, commeatu instructissimus, adeò, ut S. Scripturæ phrasi, *locustarum instar, terræ faciem cooperiret.* Prævolârat ubique ingens terror, terrorem auxerat mox insecutus *Holofernis* furor, qui tigrides, non homines, ex Oriente ad Orbis exitium adduxisse visus est. Quacumque incessit Tyrannus, abacta sunt pecora, facultates direptæ, vastata oppida, exustæ segetes, urbes dirutæ, oliveta, & vineæ exstirpatæ, è Templis eliminati Dii, ut locum *Nabucodonosori* facerent. Viri bello habiles sub signa intrusi, ætas cætera, nullo sexûs discrimine, vel in servitutis ludibrium, vel in libidinis opprobrium miserè est abstracta. Ejusmodi cladibus consternatæ Gentes, ut imminentem furoris bellici torrentem averterent, in servitutem ultrò inclinârunt cervices, legationum precibus *Martem* ferreum emollire, æmulo quasi studio, satagentes: *Syria, Mesopotamia, Lybia*, atque *Cilicia* ultrò jugum, & favoris quidem locò, expetiêre. Sed imposito impunè jugo, impunè tamen victor non transiît: vastavit una clade hostes, ac hospites, fœderatos, ac debellatos.

Ex parte Hostis.

II. Jámque *Samariæ* confinia hac *Martis* vastatrice flammâ fumabant; jam proximus ardebat *Judææ Ucalegon*, *Manasse* Rege Regni reliquias non tam regente, quàm suis sceleribus contritas lugente, ac deplorante: cùm *Ioachim* Sacerdos, suppositis Regno humeris, utcunque jusset Patriæ muniri fines,

Ex parte Judææ.

vallari urbes, primariò tamen pœnitentiæ lacrymis auxilia Numinis advocari, non tam ut resisteret hosti, quàm ut ne temerè admittere videretur.

In urbis obsidione memorabile Quid?

Mel. Quid in urbis *Bethuliæ* obsidione memorabile?

Achioris consilium.

I. Bethuliam dum fata premunt.

Leuc. I. *Holofernes*, ùt intellexit, superesse, qui volantem fortunam retardare præsumerent, ultrà, quàm credi potest, excanduit; cúmque in *Hebrææ* Gentis originem, ac vires studiosiùs indagâsset, habuit tot inter adulatores saltem unicum veritatis Interpretem, *Achiorem Ammoniticæ* Gentis tributarium Ducem, qui cordatâ fide edixit: *Hebræos* semper invictos, quàm diu DEO suo fideles; semper victos, quàm primùm perfidos: hinc priùs illorum cum DEO fœdera exploraret, quàm ferrum stringeret. Offendit libertas hæc Proceres, quia adulatores; veritas *Holofernem*, quia fumo turgidum; quasi verò vis ulla foret, quæ *Nabucodonosoris* Nomini, Numiníque sine clade posset resistere. Unde *Achior*, ut sui oraculi fidem, & *Hebræorum* fortunam ipsemet experiretur, ab *Holoferne* traditus est urbi *Bethuliæ*; quem ab *Assyrio* milite arbori alligatum recepêre cives, & auditâ infortunii sui causâ, velut proselytum, magna hospitalitatis benevolentiâ, recreârunt.

Obsidio Qualis?

II. Intereà dum *Bethuliæ* cives jejuniis, oratione, lacrymis, diu noctúque Cœli auxilia flagitant, infinitum exercitum urbi admovet *Holofernes*. Mox incisis fontium canalibus aquas avertit, propiores mœnibus puteos, militari custodiâ præsepit, in dies singulos arctiùs obsessos premit, ut diebus minùs triginta ad ultima redactam sese senserit

civi-

civitas. Lamentabilis facies! foris hoſtis, intus premebat pavor; defecerant animi, languebant vires, aquâ guttatim dimensâ ſitis exaſperata potiùs, quàm reſtincta; lacrymas ſuas nequicquam lingebant parvuli, in deſperationem verſa jam exaruerat grandior ætas: & quia ſurdi quoque ad clamores viſi ſunt Superi, deditionem quibuscunque conditionibus ineundam ab *Ozia* expoſtulant, & in diem ſaltem quintum, ni Cœlum in auxilium properaret, extorquent.

Mel. Quomodo â *Juditha* liberata civitas? *Liberatio à Juditha facta Quomodo?*

Leuc. Erat in urbe Matrona, *Juditha* nomine, è Tribu *Simeon*, uxor *Manaſſis*, quartum jam annum vidua, ſed etiamnum ætate florida, (a) genere nobilis, opibus locuples, animi magnitudine *Amazon*, formæ prodigium, & quod prodigio majus, virtutis ſimul ac pudicitiæ idea, ſanctitatis famâ in urbe celebris, utpote quæ frontis Charites, modeſto cultu, quotidianis penè jejuniis, cilicióque frenabat, ſummíſque in ædibus, erecta ſibi eremo, cum ſuis diu noctúque precibus inſtabat: digna proin, quam DEUS eligeret, ut fortia Mundi confunderet, ac debellaret. *II.* Pia liberat urbem Juditha.

II. Hæc, auditis civium lamentis, *Oziam* advocat, & è Primatibus duos *Charmi*, & *Chabri*, quibus exprobratâ modeſtiùs animi abjectione, quâ Superis ferendi auxilii terminos præſcripſiſſent, ait, hac nocte urbis portam ſilentio aperirent, & egreſſam in tenebris ad meditatum animo facinus exequendum dimitterent. *Numinis fiduciâ.*

III. Sic in preces effuſa denuò, cùm diviniore Spiritu roboratam ſe cerneret, continuò exuit luctum, cunctáſque induit mulie- *Pulchritudine.*

(a) *33. an. teſte Saliano.*

bris culturæ illecebras, ipſo DEO frontis amœnæ *Charites* diviniore pulchritudinis radio animante. Sic urbe egreſſa cum *Abra* pediſſequa, cujus humeris commiſſa penus, cùm per tenebras erraret hæc *Cynthia*, ab excubiis mox deprehenſa, ad *Holofernem* adducta eſt. Stabant aſpectu primo attoniti Proceres, *Holofernes* terreſtris Deæ intuitu extra ſe raptus, ubi inaudiît, quòd è perituris mœnibus fugitiva aſylon peteret, monſtratura ſemitam capiendæ urbis; pro aſylo pretioſum tentorium obtulit, immò & libertatem, ut ſub noctem, & diei crepuſculum exire pro libitu poſſet ad preces (id quod petierat) vero Numini fundendas.

Fortitudine. IV. Sic transacto trinoctio, invitatur per *Bagoam* ad *Holofernis* convivia, & amores: comparet illa; eſtur, bibitur; frugaliter â *Juditha*, nec niſi è penu propria: ſed ab *Aſſyriis* tam effuſâ in omnem *Bacchum* licentiâ, ut temulenti tandem dilapſi omnes, *Holofernes* ipſe mero, ſomnóque gravis ſit delatus in thalamum, ſolâ *Iudithâ*, clauſis etiam foribus, in tentorio relictâ. Hanc illa uſa occa- *Holofernis Morte.* ſionem, Tyranno altùm ſopito, pendentem ad lectuli caput acinacem nudat, arreptisque ſiniſtrâ crinibus, ſic dextrâ geminum intorquet ictum, ut caput demeſſuerit Heroina. Stillantem ſanguine verticem, poſtquàm conopeo involutum in pera pediſſequæ occuluiſſet, utraque medias caſtrorum vigilias, ſueto jam more, transgreſſa, mœnibus ſucceſſit, ubi dato adventûs ſui indicio, ſalva & incolumis eſt recepta. Quis jam explicet, quo civium concurſu ſpectata, quæ ampliùs non exſpectata? quàm attonitâ mente ſit audita, dum narraret rei penè incredibilem ſeriem?

ſeriem? quibus jubilis ſit excepta, dum oſtenderet allatum ſpolium, *Holofernis* caput? certè evocatus *Achior*, ùt vidit, & agnovit Tyranni ſqualidum verticem, extaſi abreptus, ſenſit completa oracula, quæ priùs dixerat augur; ipſemet & veri Numinis, & Religionis *Hebrææ* impoſterùm factus cultor.

Mel. Quis denique triumphus?

Triumphus Qualis?

Leuc. *Iudithæ* juſſu ſuſpenſum è mœnibus eſt Tyranni caput, quod cùm Aurora illuminâſſet, & erumpentium ex urbe clamor ſoporem hoſtibus excuſſiſſet, primò ſtupefacti ſtetêre *Aſſyrii*; mox propiore periculo ad arma conclamârunt: ſubin facto tumultu per caſtra ad *Holofernis* tentoria accurrêre Duces, quem cùm nequicquam ſtrepitu excitare conati eſſent, per ſurdas fores irrupit *Bagoas*: & ecce horrendum ſpectaculum! in ſuo ſanguine natantem truncum. Vix mulieris aſtus, & Ducis fata proclamaverat *Bagoas*, cùm omnes non modò confuſi, ſed lymphatis ſimiles, quà data via, per campos & colles erupêre præcipites, ſic ut relictis caſtris, ſine ſignis, ſine ordinibus, non tam fugerent, quàm volante victoris ferro fugarentur.

III. Inſolito victrix decorata triumpho.

Timor hoſtiū Quantus?

II. Nam *Bethuliæ* cives illicò inſtare tergis, palabundos concidere, ingenti ſtrage perſequi fugitivos: verbô, paſſim cædes, ſpolia, triumphi, colligendæ prædæ vix ſpatio menſis ſufficiente. *Holofernis* manubiæ inter applauſus Heroidi ſunt oblatæ, quas tamen ipſa victori DEO pro anathemate in *Solymæo* Templo ſuſpendit. Sic gratiis ſolemniter perſolutis, ut ſæpiùs perſolverentur, Authore *Ioachimo*, ſummo Pontifice, beneficii tanti memoria redeuntibus annis eſt iterata.

Cædes.

Spolia.

Juditha mors.

III. *Juditha* post annos quinque ultra centenos, inter virtutes & virtutum præmia gloriosè exactos, tandem mortua, & *Manassi* conjugi est consepulta: ingenti *Bethuliæ* luctu, majori elogio, acclamantibus cunctis: *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia Populi nostri.* (a)

§. II.

De Historia Susannæ.

A. M. 3438. V. 137. Susãnæ Historia. quo tempore? Anno transmigrationis à Jechonia cœptæ tertio.

MEl. In quænam tempora incidit Historia *Susannæ*?

Leuc. in annum transmigrationis à *Iechonia* cœptæ, & *Sedeciæ* Regis tertium, quo in amabili Divinæ Providentiæ ludo memorabilis. *1.* Castitas *Susannæ* tentata. 2. Condemnata. *3.* à DEO liberata per *Danielem*, totâ catastrophe in delatorum perniciem se evolvente.

Quænam memoratu digna? Illius castitas tentata Quomodo? IV. Sic quoque pressa gemit. *Ejus virtutes.*

Mel. Quomodo tentata *Susannæ* castitas?

Leuc. Susanna, Helciæ filia, uxor *Joachimi.* Viri inter suos, qui *Babylone* degebant, facilè Principis, Matrona fuit, in quam *Natura* formæ gratias omnes; *educatio* Numinis timorem; *Pietas* conjugalis castimoniæ fidem; *Cælum* virtutum plurima decora, felici dote, congesserant. Sed quæ muliebris formæ est infelicitas! ut ut casta, fascinârat incastos, & laqueos, quos non tetendit, incurrit. Effecit novo prodigio *Venus*, ut flamma conciperetur à frigore, nempe à gemino sene, quorum effœta glacies alebat ignes, & niveus vertex *Vesuvium* tegebat. Judices erant, sed omnibus reis plùs rei; senes, sed juvenibus salaciores; Presbyteri, *Priapi* scilicet,

Senum malitia.

(a) c. 15. v. 10.

ſicet, quibus veneranda canities ad occultandam laſciviam; authoritas ad expugnandam ſequioris ſexûs pudicitiam ſerviebat. Verbo, viri *Belial* erant, *Achabi*, & *Sedeciæ* nomine, quos tetro notatos ſtigmate, velut Pſeudo-Prophetas, jam priùs Diris devoverat *Iſaias*.

II. Laſcivos oculos pridem in caſtam hanc columbam conjecerant olentes milvi, cùmque in horto domeſtico deambulantem quot diebus notâſſent, hanc aucupati occaſionem, diverſis viis ad unum ſcopum, eâdem flammâ æſtuantes, ſed inſcii, nec ex condicto convenêre. Diſſimulârunt primò adventûs cauſam, mox afflatu fœtoris mutuo, hircus agnovit hircum; quódque mirum inter Rivales, communibus ſtudiis venari prædam inſtituerunt. Accidit, ut poſt meridiem, levandi æſtûs corporisque lavandi gratiâ, in hortum pro more concederet *Suſanna*, jámque, dimiſſis per poſticum domeſticis, ad afferenda aromata, horti fores obſerari ſedulò mandârat: cùm ecce! è fruticibus erumpunt infruniti hi *Satyri*, & ſine fronte effrontes, ad flagitium hanc *Dianam* depoſcunt: ſi recuſaret, mortem, & morte acerbiorem infamiam minitantur. Quid ageret miſera? ſi annueret, Numinis ira; ſi abnueret, lenonum imminebat vindicta. Tandem reſolvit ſe anxia: ſed quomodo? ſtupeſcat mollior ætas, in vitium tam flecti facilis! (a) *Melius eſt* (notate phraſin) *melius eſt mihi absque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* Hinc in clamores effuſa, cùm advocâſſet opem domeſticam, clamant, currunt, fores reſerant ipſi ſenes, & depre-

Tentanda Suſannæ occaſio?

(a) *Dan. 13. v. 23.*

deprehensam in adulterio adulteri criminantur.

Susannæ castitas Quomodo accusata?

Mel. Quomodo accusata *Susannæ* castitas, & condemnata?

V.
Lugétque oppressa Susannæ integritas.

Leuc. Mox die altero convocatur Judicium; pro tribunali sedent duo tribunalium probra, senes mœchi, Judices rei, accusatores injusti, testes iniqui. Bellum Judicium! sistitur cum mœsta familia *Susanna*, innocens judicanda à reis, luctu oppressa, velatâ facie, quæ tamen mox revelata imperio Judicum, ut etiam damnando flagitium, flagitio saltem per oculos indulgerent. Mox impositis innocuo vertici manibus, tussientes despumant crassam mendacii hujus salivam: hæc â nobis in flagitio deprehensa cum Juvene ignoto, qui, quia viribus potior, nostris è manibus est eluctatus.

Et damnata?

II. Quid ad ista reponeret misella? una contra duos? judicata contra Judices simul, & Accusatores? Hinc ad DEUM conversa, lacrymis perorabat: (a) *flens suspexit ad Cœlum: nam cor ejus fiduciam habebat in Domino.* Sed prævaluit testium dolosa canities, Authoritas Judicum præponderabat: unde Popelli clamoribus obruta ad supplicium jam trahebatur, lapidibus obruenda, quæ tam malè in senes petram scandali, impegisset.

Denique liberata à DEO per Danielem.

Mel. Quomodo *Susannæ* castitas â DEO est liberata?

VI.
Sed mox Danielis voce triumphat.

Leuc. Per *Danielem*: nam aderat inter tumultuantes Populi catervas etiam duodennis hic parvulus, qui altiore afflatus Spiritu exclamabat: *Mundus ego â sanguine hoc innocenti!* stupentem Populum fatuæ mox sententiæ arguit, & ad Judicium reverti jussit. Judicis partes *Danieli* delatæ sunt, ut Juvenis

(a) *Dan. c. 13. v. 35.*

venis senes, parvulus judicaret grandævos non minùs annis, quàm vitiis.

II. Hinc postquàm separari jussisset par improbum, quod scelus malè conjunxerat, seorsim quæsivit: ecquanam sub arbore vitium deprehendissent? Priore *Schinum*, altero *Prinum* allegante, utrumque mendacii convincit, calumniæ arguit, & *Talionis* pœnâ condemnat: unde raptati ocyùs â fremente Populo ad supplicium; & lapidum grandine, *Susannæ* priùs parato, è mortalium numero ad inferos sunt exturbati. Ita apparuit per inopinam catastrophen Numinis Providentia, *Susannæ* Innocentia, quæ & omine, & nomine *Lilium*; vel si mavis, *Rosa* suis illæsa spinis: apparuit *Danielis* prudentia, senum nequitia, quorum lapideo tumulo jure inscribas hoc epitaphium: *Odit DEUS senes fatuos, & insensatos.* (*a*)

Quomodo? Mendacii convincendo

§. III.

De Prophetis, qui floruêre sub Regibus Juda: præcipuè de Daniele.

MEl. Quinam Viri, vaticiniis celebres, floruêre in Regno *Judæ?*

Leuc. Inter primos, seu *Majores* quatuor, est *Isaias*, filius *Amos*, Regio sanguine prognatus, quia Regis *Ioæ* Nepos, *Amasiæ* frater, Prosocer *Manassis.* (*b*) Hic educatus in Aula, ex Aula brevì evocatus â DEO, anno *Osiæ Regis* postremo, visionem vidit mirabilem, DEUM nempe in præfulgido throno sedentem, sex alas habentibus Ange-

Viri, Prophetiis illustres in Regno Juda Qui? Isaias. Ejus genus Regale.

(*a*) *Eccl. c.25.v.4.* (*b*) *S. Hier.*

gelis, qui accinebant illud trisagion : *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, non sine Vatis sacro horrore, totiusque Templi concussione, atque fumosa caligine. Mox ubi *Seraphim* advolans ignito carbunculo & labia, & mentem *Isaiæ* mundâsset, dicente DEO : *Quem mittam?* promptus reposuit: *Ecce ego, mitte me!* sicque arduam Apostolici muneris provinciam in se suscepit alacriter, & non uno sub Rege, per annos plùs quàm sexaginta, fideliter administravit.

Vocatio per visionem.

Ejus oracula? De Jerosolyma non expugnanda.

II. Ejus opera, & oracula varia sunt, ac stupenda. Sub *Achazo Ierosolymam* prædixit, â Rege gemino *Syriæ*, atque *Samariæ* neutiquam expugnandam. Eidem *Achazo* obtulit signum, (*a*) *sive in profundum inferni, sive in excelsum suprà.* 2. Susceptum ex Prophetide uxore filium dicere jussus est: *festina prædari*, sicque ominari exitium Regno *Israël* & *Syriæ*, per Reges *Assyriæ* afferendum. 3. Sub *Ezechia* solem retraxit, Regis vitam in annos quindecim prolongandam, horologii indice, adumbravit; *Sennacheribum* suis præcipuè precibus profligavit. *Philistæis*, ac *Moabitis* ruinam; *Ægyptiis*, ac *Æthiopibus* exitium, triduo nudus, excalceatus, ac per urbem errabundus præfiguravit: *Ezechiæ* in suis thesauris superbienti, palàm edixit: *Ecce dies venient, & omnia auferentur*, sicque vaticinatus *Judææ* Regno interitum, sed tamen â *Cyro* nominatim expresso, denuò restaurandum. 4. Denique *Christi* Servatoris vitam, mysteria, cruciatus, mortem, anastasin, & *Christianæ* Ecclesiæ incrementa penicillo tam graphico depinxit, ut non tam visus Propheta, cujus est prædicere futura;

De exitio Regni Israël.

Prodigio retractæ umbræ solaris.

Profliganti Sennacheribi

Prædicto exitio Ægypti &c.

Regni Judæ per Cyrum.

A. M. 3337. V. 36.

Prænuntiatis Christi vitæ, ac mortis mysteriis.

(*a*) *Isaiæ 7. v. 11.*

futura; quàm Historicus, ad quem spectant præterita, meritóque â D. *Hieronymo* Evangelista & Apostolus sit nominatus.

III. Tandem, quòd *Manassis* impietatem non sustineret Prophetæ pietas; quòd Aulicos (*a*) ausus dicere, *Principes Sodomorum*; Populum *semen nequam*, *quod DEUS esset reprobaturus*, (*b*) & ejus locò *vocaturus Gentes*, offendit graviter: hinc serrâ ligneâ medium dissectus, sepultúsque ad fontem *Rogel*, ut hoc rigata æternùm vireret laureola Martyris, cui *Syracides* ipse hoc elogium posuit. (*c*) *Propheta magnus, & fidelis in conspectu DEI.*

Mors per Manassem.

Serrâ ligneâ medium dissectus.

Mel. Quid de *Ieremia* memorabile?

Jeremias.

Leuc. I. *Ejus ortus:* lucem aspexit, cùm lucem deseruit *Manasses*, felix *Phosphorus*, quia ante ortum jam splendidus, utpote materno in utero jam Sanctus. Patrem *Helciam* habuit, *Aaronis* è stirpe, ut scires surculum, vel è Tribu jam DEO sacrum. Patria fuit urbs *Anathoth*, in Tribu *Benjamin*, è qua evocatus â DEO (*d*) etiamnum parvulus, ut esset Propheta magnus, & Regis *Iosiæ* fulcrum. Propheticum spiritum imbibit visione gemina: *vigilantis virgæ*, & *ollæ succensæ*, quæ verbera, & cladem populi, urbisque incendia præfigurabant.

A. M. 3393. V. 92.

Ejus ortus Quis? Sanctus.

A. M. 3407. V. 106.

II. *Ejus oracula:* 1. *Joachazo Ægypti* carceres, *Joachimo prædixit* sepulturam infamem. Sub eodem cùm instantia fata prædiceret liberiùs, tumultuante Populo periclitatus est vitâ, nec nisi Magnatum consilio est absolutus. 2. Cùm DEO sortem questus esset infaustam, animatus fuit de novo, ut Apostolicam

A. M. 3426. V. 125.

Ejus oracula Quæ? Varia.

Vaticinando Jerosolymæ excidium.

Mala ventura, nî resipisceret.

(*a*) *Isaiæ 1. v. 10.* (*b*) *ibid. v. 4.* (*c*) *Ecclesiast. 48. 25.* (*d*) *an at. 14. Josiæ Reg. 13.*

cam in arenam deſcenderet Zelotes: *Nec enim timere te faciam vultum eorum.* (*a*) Hinc *Rechabitarum* exemplo, * cùm nequicquam ſuis ſuaderet ſervandam pariter Divinam legem, *calicem* cunctorum malorum peſte ſpumantem, exitii ſymbolum, præſentavit: ſed Templo poſthac prohibitus, domeſticóque carcere eſt concluſus. *3.* Mox DEI imperio, conſcripta oracula de imminente exitio per Amanuenſem *Baruch* publicavit in Templo, quibus â Rege *Joachim* laceratis, atque combuſtis, uterque ad necem quæſitus quærere debuit latebras, è quibus tamen oracula eadem, & quidem cum minarum auctario, brevì rediêre in lucem. *4.* His vaticiniis, per urbis direptionem, *Ioachimi* mortem, multorum millium ſervitutem magna ex parte completîs, epiſtolâ monuit captivos, rebus ſuis proſpicerent, exilium quippe in 70. annos, & ampliùs extendendum. *5. Jechoniæ* ſubin prædixit breviſſimum regimen, exilium æternum, ſterilitatem non quidem filiorum, ſed ſucceſſorum. *6.* Epiſtolâ vaticinatus *Chaldæorum* mala ventura cum tempore, quam *Saraiæ* cuidam dedit, exulibus prælegendam, móxque alligato lapide in *Euphratem* projiciendam cum dicto: *Sic ſubmergetur Babylon.* (*b*) *7.* Sub *Sedecia* inſtantiùs ultimam minitatus eſt cladem: nunc cingulo lineo, juxta *Euphra-*

Conſcripta oracula publicando.

Captivitatis finem poſt 70. annos prædicando. A. M. 3436. V. 135.

Jechoniæ breviſſimum Regimen. A. M. 3439. V. 138.

Chaldæorum mala ominando.

Sedeciæ fata.

(*a*) *c. 1. v. 17.*

* *Secta fuit è Jethronis progenie, Authore Jonadabo, filio Rechab, quæ Majorum traditionibus in auſteritate vitæ, abſtinentia â vino, abdicatione rerum, domorum, ſolis tentoriis contenta, mordicùs inhærebat.*

(*b*) *c. 57. v. 64.*

phratem defoſſo, cùm putruiſſet, rurſus effoſſo ominatus eſt ſervitutis longæ illuviem, ac ſqualorem: nunc lagunculâ merô plena & vidit, & prædicavit completam Numinis iram, ac ſcelerum menſuram: aliàs jugo ligneo, cervici circumdato, præfiguravit Patriam ſubjugandam; cúmque *Hananias* quidam, impoſtorum è numero, avulſum collo ſymbolum comminuiſſet, protervo mortem; Regum verò Legatis, tunc fortè præſentibus, diſtributis jugi fragmentis, jugum ſimile eſt ominatus.

III. Memorabilia inſuper ſunt ejus fata. *Colapho cæſus.* Cùm necdum ſileret Nemeſis Divinæ præco, ſed confracto quondam vaſe fictili, funeſta fata denuò intonaret, *Phaſſur*, improbus Sacerdos, liberali colapho Prophetæ minas retundere, & importunum Augurem tormen- *Carceri* tis, ac carceri addicere auſus eſt. Sed cùm *mancipatus.* in vinculis liberior lingua cantilenam ſæpiùs *A. M. 3443.* recantaret, libertati eſt redditus; at mox re- *V. 142.* truſus, & vincula, quæ *Sedeciæ* prædixerat, prior ipſe experiri juſſus eſt. 2. Rurſum vin- *Flagellatus, & rurſus in carceres detruſus.* culis ereptus appropinquante *Chaldæo*, cùm eodem recedente dilatam, non ſublatam nunciaret perniciem, egreſſurus obſtinatis è mœnibus captus eſt â *Ieriâ, Hananiæ* nepote, re- *A. M. 3444.* úſque perfugii actus, poſt cruenta flagella, *V. 143.* in teterrimi carceris ſubterraneam ſpecum abreptus eſt. 3. Inde redeunte *Chaldæo*, in *Cænoſo puteo immerſus.* veſtibulum carceris â *Sedecia* reductus, cùm in vinculis liber excidia ingeminaret, deditionem urbis ſuaderet, ab Aulæ Primatibus cænoſo puteo, collo tenus, immerſus eſt, quo *A. M. 3446.* in pedore animam egiſſet, niſi DEUS, operâ *V. 145.* *Abdemelechi Æthiopis*, & apud *Sedeciam* gratioſi in paucis, extractum veſtibulo carceris

denuò

Liberatus à Nabuzar-dan. denuò restituisset. 4. Tandem deditione nequicquam Regi suasâ, eidem prædixit funesta fata & vincula, quæ captâ urbe mox executus *Chaldæus* victor. *Jeremias Ramam* abductus, vinculísque exemptus est â *Na-*
A. M. 3447. V. 146. *buzardan.* 5. Immò cùm optione oblata, pro exilio desolatam Patriam elegisset, Arcam cum Tabernaculo, arâ Incensi, & sacro Igne, quæ jam priùs Templi excidio Sacerdotes subtraxerant, ipse trans *Jordanem*, in montis *Abarim* spelunca collocavit in tuto. Tum *Ierosolymam* denuò reversus, lamentationes suas supra urbis fumantis rudera est lamentatus. (a) *Arcam cum Tabernabulo salvat.*

Mors Jeremiæ Qualis? Lapidibus obrutus. III. Denique ad *Godoliam*, *Iudææ* Gubernatorem, missus in *Masphat*, eidem gratus, quia Regio favore commendatus, convixit. Sed sublatô per seditionem *Godoliâ*, â suis abreptus est in *Ægyptum*, ubi cùm surdis fa-
A. M. 3448. V. 146. bulam minimè fabulam, de scelerum instante Nemesi, importunus occineret, movit saxa hic *Orpheus*, lapidibúsque obrutus est in *Taphnis*. Prophetam egit annis duobus propemodùm ultra quadraginta, rarùm veteris Testamenti cimelion, quia *Virgo*, *Propheta* simul, & *Martyr*, ut non mireris, quòd ejus tumulum fugerint viperæ, qui viperarum scelestam progeniem in vivis toties momordit, & fugavit.

Ezechiel Quis? *Mel.* Quid de aliis Prophetis memorat sacer Codex?

A. M. 3411. V. 110. *Leuc.* I. Inter majores quatuor celebratur (b) *Ezechiel*, filius *Buzi*, ortus è stemmate Sacerdotali, qui sub *Iosia* Rege lucem aspexit, ut Populo in captivitatis Babylonicæ tenebris præluceret.

II. Cum

(a) 2. *Mach.* 2. *v.* 4. 5. (b) *Jos.* 11.

II. Cum *Iechonia* Rege abſtractus in vincula, anno ætatis trigeſimo, & aſſumptus à DEO ſacratioris Diphteræ interpres, inter viſiones 22. celebriorem habuit illam de animali myſtico quatuor capitum, rota quatuor facierum. 2. De raptu prodigioſo in *Jeroſolymæ* Templum, ubi vidit abominationes ſuorum Idololatricas 3. de libro ſcripto intus & foris, quem devorare juſſus eſt. 4. de oſſibus aridis, ſpiritu animatis, aliiſque ſimilibus portentis.

Ejus viſiones Quot, & Quæ? Viginti duæ. A. M. 3440. De animalibus myſticis. De deſolatione Jeroſolymæ. De libro ſcripto. De oſſibus aridis.

III. Prope fluvium *Chobar*, quem *Euphratis* brachium autumant, ſua fudit oracula partim conſolando, partim inſtruendo Populum exulem: prædixit *Judæorum* fata, reditum in Patriam, *Chriſti* adventum, carnis anaſtaſin, ultima tempora, *Jeruſalem* cœleſtem, aliáque centum myſteria, ea profunditate, *(a)* ut ante annum ætatis trigeſimum, ejus lectione *Judæis* fuerit interdictum.

Ejus oracula Qualia? De Chriſto.

IV. Tandem â Judice *Hebræo*, cujus impietatem ſacrilegam crebriore philippicâ exagitârat, ſublatus è vivis eſt, crudeli morte; nam ajunt, inter lapides contritum, eliſóque cerebro conquaſſatum. *(b)*

Mors Qualis? A. M. 3462. V. 161.

Mel. Quinam Prophetæ minores in Regno *Judææ* celebres?

Prophetæ minores. In Regno Judææ celebres, Qui?

Leuc. Baruch, *Neriæ* filius, *Jeremiæ* Diſcipulus, eique â ſecretis, in cujus conſortio multa tulit, fecítque. Funeſta Magiſtri oracula, calamo excepta, metu mortis excuſſo, publicavit *Ieroſolymæ* in Templo: *Jeremiam* in vincula, & *Ægypti* exilium eſt ſecutus. Poſt cujus fata, *Babylonem* migrare juſſus ibidem conſolatus eſt exules, prædicto reditu, & ſecuturo *Meſſiæ* adventu.

Baruch. A. M. 3449. V. 148.

II. *Joël*

(a) Teſte S. Hieronymo. *(b) Author. oper. imper. apud S. Chryſoſt.*

Joël. *A. M. 3227.* II. *Joël* filius *Bathuel*, sub Regibus *Ozia*, *Ioathan*, *Achaz*, & *Ezechia* vaticiniis claruit, servitutis squalores sub erucæ, & bruchi schemate; adventum Spiritûs sancti, & extremum judicium prædixit augur.

Micheas Junior. III. *Micheas* Junior, *Isaiæ* coævus, sub Regibus *Ioathan*, *Achaz* & *Ezechia*, per dimidium ferè sæculum Zelosus Vates, corruptos sæculi illius mores & animosè corripuit, & acriter castigavit prædicto Regni totius excidio, restituendo tamen per *Cyrum*; erigendo meliùs per *Christum*, in *Bethlehem Judæ* nasciturum.

Habacuc. *A. M. 3327.* *V. 26.* IV. *Habacuc* de Tribu *Simeon*, juxtà quosdam sub *Ezechia*; (a) juxta alios sub *Manasse*, vel *Ioachimo* Vatem egit *Ierosolymæ* funestum, quem D. *Hieronymus* eundem ipsum existimat, qui ab Angelo raptus est archidapifer ad *Danielem*. Annuntiavit urbi exitium *per Gentem amaram, & velocem*, nempe *Assyricam*. Sed & Monarchiæ huic lessum cantavit, Pæana verò *Judææ* Genti, restituendæ â *Cyro*, & reformandæ â *Christo*. Hunc ipsum Prophetam *Susannæ*, & *Danielis* historicum asserunt: ejus cineres, uti & *Micheæ*, senioris *Theodosii* tempore, per *Sebennam* Episcopum *Eleutheropolitanum in Palestina* inventos, debitóque honore translatos volunt. (b)

A. M. 3315. *V. 14.* *Nahum.* V. *Nahum* sub *Ezechia* Rege vaticiniis celebris, *Ionæ* pridem mortui redivivus Interpres, urbi *Ninive* exitium ultimum per *Astyagem* complendum denuntiavit.

Sophonias. *A. M. 3395.* *V. 94* VI. *Sophonias* filius *Chusi*, stirpis Regiæ surculus illustris, sub *Iosia* Rege, â DEO missus pœnitentiæ præco inclaruit. Sæpè dehor-

(a) *Salianus.* (b) *Moreri.*

hortatus est suos ab Idololatriæ crimine pessimo; sæpè minitatus est DEI judicia; ni resipiscerent, illorum locò vocandas Gentes, novámque Ecclesiam erigendam: verbo; in epitome exitii instantis nænias recantavit, quas *Ieremias*, eidem postmodùm coævus, fusiore lesso est lamentatus.

Mel. Quid de *Daniele* memorabile docet hæc epocha? *De Daniele memorabilia Quæ?*

Leuc. Non pauca: nam datus à DEO hic *Hesperus* sub ipsum Regni *Iudaici* occasum, ut suis in *Babyloniæ* tenebris præluceret: ejus vita digna est, quam per ætates singulas, *Puerilem*, *Juvenilem*, *Virilem*, & *Senilem*, vel in compendio breviter, contemplemur. *Quadruplex ætas.*

Mel. Quid de *Danielis* pueritia?

Leuc. *Daniel*, *Davidicæ* stirpis propago Regia, lucem aspexit, *Ioackhimo* sceptrum tenente. Natus propemodùm exul est; nam etiamnum trimulus (aliis duodennis, qui ejus natales sub *Iosia* constituunt) Patriam vix bene notam deserere est compulsus. *Ejus pueritia in quibus celebris? Ortu Regio A. M. 3426. V. 125. VII.*

II. Necdum posuerat prætextam, cùm jam togatus (a) sedit pro tribunali, & puerulus, virtute senex, damnavit senes lasciviâ juvenescentes, ut memoratum suprà. Sobrius est Daniel Juvenis. *A. M. 3418. V. 117. Susannæ judicio.*

III. Accidit, ut *Nabucodonosoris* ephebeum, Juventutis selectæ flore, redintegrare jussus sit *Asphenez*, Evnuchorum Antistes: selectus *Abstinentia legali.*

(a) *æt. 13. inchoato.*

ctus est *Daniel* cum coætaneis *Anania*, *Misaële*, & *Azaria*, quos illustris prosapia, formáque longè illustrior, Regis aspectu dignos effecerat. Jámque mutatis nominibus (*Daniel* quippe dictus est *Balthasar*; *Ananias Sidrach*; *Misach Misaël*; *Azaria Abdénago*) mentem *Chaldaicis* litteris, formam mensæ suæ cupediis Rex nutriendam mandaverat, cùm *Daniel* victum lege vetitum deprecatus, *Asphenezio* scrupulosiùs sibi, & juvenili formæ timente, per *Malassarem* Moderatorem, legumina cum fontana, saltem ad decem dies, experimenti ergò, obtinuit. His evolutis, cùm pinguiores in parvulorum vultu lusissent Charites, victitandi ratio continuata est & *Malassaris* commodo, & magno adolescentum

Sapientiâ. emolumento: nam legalis hæc abstinentia, sapientiæ nutrix, sic DEO dante eorum saginaverat mentem, ut in conspectum Regis admissi, *omni sapientiâ* non modò coætaneos superarent, sed etiam Magos omnes, parasangis decem, excellerent.

Danielis Juventus illustris Quomodo?

Mel. Qua in re *Danielis* Juventus facta illustris?

A. M. 3453. V. 152. æt. 27.

VIII.

Sed grandior, Augur. *Expositione somnii & visa à Nabuchodonosore statuæ.*

Leuc. Cùm *Danielem* Religionis avitæ pietas, præter sapientiam etiam prophetiæ spiritu exornâsset, magnum ei famæ splendorem, sed non sine umbra invidiæ, contulit. Accidit quondam, ut somnium somniaret *Nabucodonosor*, cujus memoria simul & interpretatio evigilantem, non sine animi inquietudine, fugerat. Pro more mox convocati fuêre Arioli, utrumque profari jussi ex diphtera, secus jugulandos esse ad unum omnes.

Quæsiti frustra arioli.

II. Bis térque illi mirabile theorema tentârant abnuere, cujus solutio vel ipsam fugeret *Junonem* sine *Iove* interprete; cúmque nihilo

nihilo seciùs raperentur ad lanienam, desperatum quæsiêre solatium, quod vel in morte suggesserat livor; nempe ut ne soli morerentur, *Danielem* quoque cum suis Sociis in idem fatum pertrahere statuerunt.

III. Is intellectâ causâ, suspendendum non nihil fatale ferrum, & unius noctis inducias precatus â Rege est. Hanc totam unà cum Sociis supplex Sapientiæ fonti, cùm revelante Cœlo somnium didicisset, somniique omen, mox altero die per *Arioch*, Prætorianæ militiæ Ducem, *Nabucodonosori* oblatus est Vates, qui illum sic allocutus: Rex Magne! vidisti in somnio statuam, cujus caput erat ex auro; pectus ex argento; ex ære venter; è ferro lutóque tibiæ; vidisti hanc statuam, bellum nempe quadruplicis in Mundo Imperii symbolum; tui scilicet, hoc est *Assyrici*, secuturi *Persici*, *Græci*, atque *Romani*: quæ tamen Imperia omnia, lapillo unico, quem de montis jugo ruentem conspexeras, sunt conterenda cum tempore, ut Monarchiæ quintæ, cæteris præstantiori, initium faciant. Rex, his auditis prostratus in faciem, jam thura paraverat *Danieli*, nî DEO suo unicè debita, modestus Vates inhibuisset. Certè & divitiis, & dignitate Proregiâ ornatus, suos insuper Socios favore Regio sic elevavit, ut illos *Assyria* Gubernatores; *Hebraica* Natio Patronos senserit, & Protectores.

Danielis Interpretatio.

IV. Sed squaleret virtus tam splendida, nî livor oppositis identidem tenebris, eam magis acueret, & augeret. Factum, ut *Nabucodonosor*, qui DEUM verum in *Daniele* veridico priùs agnoverat, jam se se ipsum in statua aurea, sexaginta cubitos altâ, adorandum suis obtruderet. Præconis voce propemo-

A. M. 3455. V. 154.

Sociorum ab ignibus Babylonicæ fornacis im̃unitate.

Statua Nabucodonosoris.

dùm tota confluxerat *Babylonia* in campo *Dura*, ut dato signo per symphoniacos strepitus colossum in Rege, Regem in colosso hoc adoraret.

Tres Socii in fornacem conjecti.

V. Subductus opportunè erat periculoso huic spectaculo *Daniel*; tres tamen Socii, quia inter Purpuratos præcipui, cùm sacrilega detrectarent imperia, accusati, condemnati, & irâ Regis flagrante, in fornacem, vehementiùs septuplo succensam, ligatis pedibus sunt conjecti. Sed ecce ingens prodigium! Angelo comite, sic inter medios flammarum vortices cantatis DEO laudibus incessêre, ut flamma novem & quadraginta cubitos in altum erumpens, Cyclopes incendiarios quidem combusserit, tres tamen Juvenes, penitùs illæsos, non modò non tetigerit, sed etiam *velut vento roris flante*, (a) suaviter recreârit. Unde evocati â Rege, majorique honorum cumulo sic sunt promoti, ut mandato etiam Regio, veri Numinis cultum, publicè approbatum, posthac in Imperio conservârint. Rursum somniaverat *Nabucodonosor*, nunquam prudentior, quàm cùm dormiret, viditque arborem, proceritate sidera ferientem, amplitudine obumbrantem terras, ubertate volucribus nidum, habitaculum bestiis, omníque hominum generi suppeditantem. Sed visus subitò cœlestis Genius, qui præcepit succidi arborem, amputari ramos, dispergi fructus, stirpis radice solummodò relictâ, ut novos in fructus denuò pullularet. Vocati rursus arioli; sed ad hæc somnia cùm ronchos ignavi ducerent, adesse jussus est Interpres *Daniel*, (b) Regióque imperio animatus dixit, in arboris Symbolo ipsum

Ibidem illæsi.

Stupente Rege.

A. M. 3463. V. 162.

Altera somnii expositione de arbore â Deo excisa.

(a) *Dan. 3. v. 50.* (b) *4. at. 37.*

ipſum Regem; in excidio portendi fata, indicata ab Angelo: Regem ſcilicet exſpoliandum Regno, vinciendum ferro, & feras inter paſcendum gramine, usquedum evoluto ſeptennio agnoſceret Numen, & in *relicta radice* rurſus ad hominem rediret. Eleemoſynis proin vel fata redimeret, vel differret: diſtulit, ſed non diutiùs annuo intervallo: nam contemplatus fortè *Babylonicæ* urbis magnificentiam, ſe ſe ipſum dum arrogantiùs ſtupuit, abiît in ſtuporem, mente dejectus, qui mente exceſſerat, metamorphoſi ſubita abire viſus in bovem, * ſolio dejectus, vinctus, inter feras errabundus, *Evilmerodacho* filio Regnum adminiſtrante, usquedum, *Danielis* præcipuè operâ, rurſus ſolio eſt reſtitutus, qua de re alibi: adeò nempe diſplicet DEO ſuperbia, ut ſuprà hominem tumidos, infra hominem detrudat; *Comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* (a) *A. M. 3464. V. 163.*

Mel. Quomodo *Danielis* ætas virilis inclaruit? *A. M. 3473. V. 172. æt. 47.*

Leuc. I. *Exterminato Belo:* Nam *Evilmerodachus* rerum potitus, *Danielem* fidum ubique comitem, non tamen ad aras usque habere poterat: hinc Satraparum livore Rex incitatus, cauſam aliquando quæſiêrat, cur *Belo* cultum abnueret? reſponſum tulit: à ſe DEUM adorari viventem, non mutam ſtatuam, cujus cortex æreus, medulla lutum. Rex ubi vitam Idolo adſtruere conatus eſſet ex viſibili illius ingluvie (nam pro frugali cœna

Danielis ætas virilis clara. Quomodo? Exterminato Belo.

IX. Dum vir, Zelotes.

* Hæc Metamorphoſis facta quomodo? *Vide Tomulum 2. de quatuor Monarchiis in vita Nabucodonoſoris.*

(a) *Pſal. 48. v. 13.*

na duodecim farinæ medimnos, oves quadraginta, sex massici amphoras abligurire DEUS hic visus quotidie) subrisit *Daniel*, non *Belum*, sed parasitos *Beli*, helluones Sacrificulos his vivere victimis causatus. Sed cùm illi voracissimum Numen fidentiùs testarentur, proposito vitæ supplicio, experimentum capere placuit. Egressis è fano Popis, solitis ferculis *Belo* mensa instruitur, pavimentum insternitur cribrato cinere, *Danielis* jussu clauduntur fores, & Regis annulo firmantur. Mox sub alterius diei crepusculum removetur sigillum, intactum penitùs: & ecce! reclusis foribus apparet mensa, famelicè depasta, exclamante Rege: *Magnus es Bel, & non est apud te dolus!* (a) In risum solutus *Daniel*, jussit in cinere hospitum vestigia legere, Poparum scilicet cum secundi, & tertii generis appendice, qui noctu per cuniculum cœcum, sub altaris mensa prorepentes in fanum, ventri suo *Beli* victimas litârant: hinc morti illicò cum suis addicti septuaginta ejusmodi sycophantæ; DEUS, ut ut jejunus, *Danieli* traditus, unáque cum fano impio est destructus.

Fraus Poparũ Qualis?

Detecta Quomodo?

II. Necdum plena *Danielis* erat victoria; coronidem imposuit Draco, quem subterranea in specu, cœca *Babylon* flexo poplite; Rex ipse, quia Numen utique vivum, colendum thure *Danieli* proposuit. Sed negaverat vivum, cui vitam eripere etiam absque fuste, vel gladio is ipse vellet, si Rex annueret. Non abnuit, Theomachiæ hactenus non visæ meritò curiosus. Jámque offam ex pice, pilis, & adipe huic Cerbero intriverat *Daniel*, de quo bolum, in fauces projectum, cùm glutiisset bellua, non esuriit ampliùs, sed ruptis visceribus Divinitatem exspuit in ventum: exu-

Dracone interfecto Quomodo?

(a) *Dan. 14. v. 17.*

exuvias squammati Numinis monstravit cultoribus *Daniel* hoc laconismo: *(a) Ecce DEUS, quem colebatis!*

III. Sed quis crederet? tam clarè monstrata veritas, apud bubones hosce non nisi odium peperit. Seditione mota, tumultuantium globus Regem adoritur, armatis sive precibus, sive minis ad vindictam *Danielem* deposcit, Theomastygem sacrilegum, fani & Sacerdotii eversorem. Rex intentato familiæ suæ excidio, furori cedere coactus, *Danielem* tradit, qui in Leonum lacum mox abripitur â rebellibus his Leopardis. Sed nempe inter bestias securior fuit, quàm homines: namque Leones septem, qui quot diebus gemino corpore, gemináque ove minimè saturi, agnum unum, *Danielem* intelligo, devorare non poterant, DEO ora Leonum mirabiliter concludente. Et ne fame rugientibus bestiis esuriret hospes, *Habacuc*, qui in *Judæa* tunc fortè pulmentum ad messores suos portaverat, crinibus abreptus ab Angelo, in momento quadringentas leucas emensus, *Danieli* nutricius sistitur, mox eodem Angelico veredario, celeritate pari, in *Iudæam* transferendus ad suos. Jámque sextus dies effluxerat, cùm tandem septimo Rex adest, Prophetæ reliquiis daturus inferias. Sed ecce! sedentem videt in medio Leonum, ac stupet, voce magna exclamans: *(b) Magnus es Domine DEUS Danielis!* Mox innoxium eripi, injici nocentes jussit, quos cùm in momento â Leonibus vidisset contritos, decreto sanxit: *(c) Paveant omnes DEUM Danielis, quia ipse est Salvator faciens signa & mirabilia.*

Immunitate inter leones.

In lacum injectus Cur?

Servatus Quomodo?

Quomodo ereptus?

IV. *Evilmerodacho* mortuo, cùm solium *Bal-*

Visione de quatuor monstris.

(a) *Dan. 14. v. 26.* (b) *ibid. v. 40.* (c) *ibid. v. 42.*

A. M. 3495. V. 194.

Qualia, & quodnam omen?

Balthasar conscendisset, *Daniel (a)* in extasin raptus, è mari magno, ventis quatuor turbato, vidit monstra quatuor horrenda, *Leænam* alis aquilæ præcipitem; *Ursum* terno dentium ordine stridentem; *Pardum* quatuor alis, totidémque capitibus monstrosum; denique *Bestiam* decem cornibus, alióque parvulo succrescente, nec non ferreis dentibus, ac unguibus horridam, quibus eidem, veluti symbolis, præfiguratæ sunt denuò quatuor Monarchiæ, excipiendæ ab *Antichristo*, Deíque judicio, ac consummatione sæculi terminandæ.

A. M. 3497. V. 196.

Alia de Ariete & Hirco. Cujus formæ, & ominis?

V. Tum visa sunt illi *(b)* iterum nova monstra: *Aries* cornu gemino; mox *Hircus* unico armatus, quo cùm prostrâsset arietem, succrevêre cornua quatuor: & hoc symbolico schemate indicatum est illi *Persarum* Regnum, ab *Alexandro Macedone* evertendum. Addita est revelatio de Rege impio, *Antiocho* nempe *Epiphane*, cujus crudelitatem, in *Judaicum* Populum exercendam, jam ante annos trecentos & octoginta vaticinatus est *Daniel*.

Danielis senectus in quibus memorabilis?

Mel. In quibus *Danielis* senectus est memorabilis? *(c)*

X.

Seniórque est prodigiosus.

Interpretatione Scripturæ Balthasari factæ: A. M. 3516. V. 215. æt. 90.

Quæ verba, & cujus ominis?

Leuc. I. *Interpretatione manûs scribentis.* Nam *Cyro Babyloni* obsessæ fata jam intentante, *Balthasar*, sui securus nimiùm, epulas adornârat, hostem vel inter pocula debellaturus. Erat convivium *Assyrico* luxu magnificum, & ne quid impietati deesset, vasorum, quæ è *Solymæo* Templo abstulerant Majores, profano usu, & abusu sacrilegum: sed ùt solet, media Bacchantium gaudia turbavit manus, quæ in pariete apparens, scri-

(a) *æt. 69.* (b) *æt. 72.* (c) *æt. 90.*

ſcribere viſa eſt fatalem ſententiam. Terrorem auxit, quòd nemo unus è Sapientibus ſcripturam legere, ne dicam, poſſet interpretari; usquedum ſuadente Regina Matre, (quam *Nictocrem* dicunt) adductus *Daniel*, legit hæc verba: *Mane, Thecel, Phares*; móxque analyſin addidit: *numeratus es* O Rex, *appenſus, rejectus*; nam DEUS Regnum tuum complevit, & quia libratus in Juſtitiæ ſtaterâ, injuſti ponderis es inventus, auferetur â te Regnum, dabitúrque *Perſis Medísque* dividendum. Mercedem tulit funeſtus, ſed tamen veridicus augur, purpuram, torquem auream, & dignitatis gradum in Regno tertium. Sed & Divina Nemeſis properare viſa eſt ad complenda auguria: nam eâdem nocte ſubacta eſt civitas, Rex jugulatus, Monarchia everſa, ùt alibi fuſiùs exponetur.

II. Memorabilis *Danielis* ſenectus *iteratâ immunitate inter Leones*. Regno *Chaldaico Perſis* ſubjecto, *Cyrus Darium* ſocerum, jam ante *Medorum* Præpoſitum, ſceptro *Mediæ*, ut ut beneficiario, donârat. Hinc *Darius* in *Mediam* cùm abiret, è *Babylone* ſubacta ſecum tulit optimum ſpolium, *Danielem* intelligo, tot prodigiis celebrem, ut hoc uno fulcro firmandum ſibi imperium crederet, & perſuaderet. Unde electis in Regno centum viginti Satrapis, tres præfecit ſupremos Aulæ miniſtros, quos inter veluti Prorex eminuit *Daniel*, magno æquitatis ſplendore, ſed majore tamen Æmulorum invidiâ. Nempe ferre non poterat tam intenſos virtutis radios malignus livor: hinc tragœdiam paravit, cujus thema, diu fruſtrà conquiſitum, tandem, quis crederet? Impietati ipſa Pietas obtulit.

Immunitate iteratâ inter leones.

Eodem anno.

Quæ invidiæ cauſa?

Dixerunt: *Non inveniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi fortè in lege DEI.* (a) Quid agunt? sub Majestatis Regiæ fuco partim eblandiuntur, partim extorquent mandatum tam stultum, quàm impium: *Omnis, qui petierit aliquam petitionem â quocunque DEO, & homine usq; ad triginta dies, nisi* à Rege, *mittatur in lacum Leonum.* Sensit *Daniel*, in cujus caput cusa esset belluina hæc clausula; nil tamen motus, consueto more, ter adoravit DEUM suum de die, & ut introspiceret commodiùs livor, etiam fenestras aperuit *Jerosolymam* versùs. Illicò Regi defertur legis latæ transgressor, *Daniel* Majestatis læsæ reus arguitur: agnovit Rex Delatorum malitiam, nullam Delati culpam: hinc ad usque solis occasum, *Danielis* Patronum egit, non Judicem; sed frustrà causam agit causidicus, cùm ante causam jam damnatus est reus. Tumultuantium erat vox una: *Non licet immutari legem Medorum*; una cunctorum erat sententia: *Daniel ad Leones.* Hinc invito Rege in lacum abreptus est, advoluto foribus saxo, tam Regis, quàm Optimatum annulis obsignato. Sed sensit mox *Daniel*, Leones exuisse ferociam, quam feri homines induissent: nam inter Leones incolumis exegit noctem, Rege interim incœnato, & insomni prorsus, quia pro *Danielis* salute sollicito. Illucescente diluculo, Rex ad antrum continuò properans, inclamat: *Daniel, serve DEI, putásne DEUS tuus â Leonibus liberare te valuit?* cùm salvum se reponeret *Daniel*, illicò extractus, & ejus locò immissi sunt accusatores, cum tota familia; quos in vestibulo speluncæ mox comminuit ferina rabies, ut revoluto lapidi meritò inscripserit hoc epitaphium D*aniel*: *Làcum ape-*

Quæ accusationis Occasio?

Judicium Quale?

Quomodo damnatus, & â Leonibus liberatus?

(a) c. 6. v. 7.

aperuerunt, & inciderunt in foveam, quam fecerunt. (a) Tam inopina cataſtrophe *Danieli* laudem, DEO gloriam peperit, *Dario* coram omnibus atteſtante: (b) *Ipſe eſt DEUS vivens, & Regnum ejus non diſſipabitur, & poteſtas ejus usque in æternum.*

Prophetia de Chriſto per 70. hebdomades.

III. Hoc ipſo anno, cùm inſtantiùs oraret pro Populo *Daniel*, & ſolvendum captivitatis (c) jugum, & maturandum *Chriſti* adventum per *Gabrielem* Archangelum didicit prophetico ſeptuaginta hebdomadarum ænigmate. * Subin ipſi *Cyro* habitus inter paucos, promovit *Iudaici* Populi libertatem: oſtenſo imprimis *Iſaiæ* oraculo, quo jam ante annos centum & octoginta de *Cyro* hæc Orbi verba dederat hic Propheta: (d) *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus Gentes: propter ſervum meum Jacob, & Iſraël electum meum.*

De Cyro. A. M. 3517. V. 216.

Sancta morte. A. M. 3535. V. 234.

IV. Tandem *Daniel* inter utriusque fortunæ fata Cœlo probatus, naturæ debitum ſolvit, *Babylone* Regio conditorio illatus, (e) Vir omni elogio major, quia *Propheta* ſimul & *Martyr*, *Doctor* & *Virgo*, quódque ſuperat omnia, *Aulicus* tot Regibus, ſed præ Regibus DEO gratiſſimus, quia *Sanctus*.

A. M. 3447. V. 146.

Mel. Quid hoc ſeptuaginta annorum ſpatio in *Judæa* memorabile contigit?

Durante captivitate. In Judæa memorabile Quid?

Leuc. I. Capta urbe *Jeroſolymâ*, ferro & flammâ ſævitum in cives eſt; â *Nabuzardan* expilatæ ædes; ablata cum ſacris vaſis ſupellex;

(a) *Pſal. 7. v. 16.* (b) *Dan. 6. v. 26.* (c) *A. 20.* Artaxerxis Longimani primùm cœptæ.

* Quomodo hæ 70. annorum hebdomades complanandæ? *Vide Coll. Hiſtor.*

(d) *Iſa. c. 45. v. 1.* (e) *æt. 110.*

lex; muri diruti; incensum Templum; *Saraias* Pontifex cum septuaginta aliis jugulatus; *Sedecias* Rex abstractus in vincula; *Judæa* penitùs desolata, relictis solummodò egenis, agricolis, & vinitoribus, qui terram, *Chaldæorum* nomine, colerent, regimine, vel Regionis curâ potiùs, cuidam *Godoliæ* permissâ.

Jerosolymæ & Judææ desolatio.

Godoliæ regimen.

XI.
Succumbit patriis Godolias denique fatis.

II. Erat hic *Godolias* natione *Judæus* prosapiæ illustris, qui maturo transfugio sibi *Nabucodonosoris* favores conciliârat; hinc *Judææ* Præfectus, non tamen sine adjunctis Gentis *Chaldaicæ* Syndicis, & Administris, sedem fixit in *Masphat*, ad quam proinde *Jeremias*, aliique primariæ nobilitatis viri, qui sensim è latebris prorepsêre, juratâ immunitatis fide firmati, se se receperant.

Ismaëlis proditio Cur?

III. Sed & ista Reipublicæ rudis umbra fatis, in *Judæorum* perniciem jam obstinatis, displicuit. Erat hos inter Proceres *Ismaël*, natus Regio sanguine: unde & hic *Godoliæ* qualiscunque splendor sic ejus oculos perstrinxit, ut collatis cum Rege *Ammonitarum* consiliis, hunc æmulum, *Nabucodonosoris* infamem pullum, è medio tollere cogitârit. Res advertit *Ieremiam* & *Iohananum*, quorum consilia si audiisset *Godolias*, vel avertisset, vel suffocâsset in ipso ortu ab hac vipera structas sibi insidias. Sed perfido is nimiùm fidit; unde cùm eundem, *Ammonitico* comitatu stipatum, quondam convivio malè providus excepisset, à Proditore est jugulatus; & ne solus peteret umbras, *Chaldæos* socios, *Iudæos* omnes in *Masphat*, aliósque septuaginta, qui rerum inscii, *Ierosolymam* deploraturi urbis fata perrexerant, crudeli tyrannide funereos comites adjunxit. Non

Quomodo?

susti-

ſuſtinuit nefandos auſus *Iohanan*, ſed tumultuario agmine proditorem mox perſecutus, prædam omnem non ſine perfidorum clade eripuit, hoſtémque Patriæ in *Ammonitidem* fugere coëgit.

IV. Sed cùm & ipſi hi perfidiæ vindices, *Chaldæum* vindicem timerent, contemptis *Jeremiæ* oraculis, petiêre *Ægyptum*: ipſo Propheta, *Sedeciæ* filiabus, uxoribus, & concubinis (*Godoliæ* traditis â victore) cum omni præda ſecum abſtractis. Sed Nullum aſylum ſceleratis in Orbe tutum: nam in urbe *Taphnis* ubi avitis ſceleribus induruêre, ipſo *Jeremia* lapidibus obruto, lapidum inſtar è ſpelæo extracti ſunt hi perduelles, & *Chaldæo*, quem fugerant, in *Ægypto* dedêre pœnas, unà cum *Ægyptiis* ſubacti, & Divinæ Nemeſi ſeriùs, citiùs immolati.

Judæorum fuga in Ægyptum.

Clades ultima.

Obſervationes.

Mel. Quænam obſervationes Politicæ?

Leuc. I. Demonſtrant quadruplicis Monarchiæ ſymbola prognoſtica, nihil caſu, ſed cuncta Numinis Providentiâ fluere: hac gubernari Imperia; hac *Judæis* erepta fuiſſe ſceptra, ut traderentur *Chaldæo*; ea huic iterum eſſe ablata, ut donarentur *Cyro*. Demonſtrant, hac Providentiâ Reges cum *Nabucodonoſore* deprimi, & exaltari pro libitu: verbo, hac omnia diſponi ſuaviter, & ex altiſſimis conſiliis prudenter. Principibus exhibet *Achior* hiſtoricos *Judaici* Populi annales, è quibus patet ad oculum; Regna tam diu eſſe invicta, quam diu DEO conjuncta; â DEO diviſa, mox etiam dividenda.

Obſervationes Politicæ Quæ?

Regnorum viciſſitudines unde?

II. In

Ministri boni speculum Daniel, & Cur?

II. In *Daniele* adumbratum agnoscunt Politici, genuinum Ministri Aulici Archetypon, cujus dictamen Christiano-Politicum, *placere DEO;* post DEUM Regi, siquidem fieri possit: cujus arcanum Statûs, sic curare *utile*, ne tamen excidat *honesto:* abundare posse honoribus, divitiis, sed & carere, si fata ferant; ubique moderatum servare animum; impiis Regum decretis fortiter resistere, sempérque paratum esse, livoris conamina non tam resistendo, quàm patiendo infringere. Verbo discunt, *Danielis* exemplo, & magna agere, & multa pati pro DEO.

Vitia Ducibus vitanda Quæ?

III. In *Holoferne* apparet, quàm malè conveniat *Marti* cum *Baccho* & *Venere*, ut mirum non sit, si DEUS ejusmodi Thrasones muliebri manu ad contumeliam proterat, ac prosternat.

XII. Observationes Christianæ Quæ? *Circa Providentiam Divinam in protegenda Ecclesia.*

Mel. Quænam observationes Christianæ?

Leuc. I. Divina Providentia in protegenda Ecclesia, quæ destructo Templo, Synagogâ penitùs desolatâ, Religionem veram in mediis *Babyloniæ* tenebris longè illustriùs extulit. Hæc ipsa per Prophetas, solito plures, *Jeremiam*, *Baruch*, *Micheam*, *Habacuk*, *Nahun*, *Sophoniam* suos in fide firmaverat fortiter: per *Danielem*, ejúsque Socios, supremis Regni officiis admotos, Populum suum protexerat jugiter; illorum virtute, justitiâ, fortitudine Religionem etiam Ethnicis celebrem reddiderat constanter; miraculis inter ignes atque Leones; sapientiâ cœlitùs *Danieli* infusâ; visionibus, vaticiniis etiam propagaverat mirabiliter adeò, ut *Nabucodonosores*, *Merodachi*, *Darii*, *Cyri* verum DEUM, verámque Religionem & agnoverint, & etiam potenter contra hostes defenderint.

II. Hæc

II. Hæc ipsa Divina Providentia luculentiùs *præfiguravit* Ecclesiam *Christi* per vaticinia *Isaiæ*, *Ieremiæ*, *Danielis* & aliorum Prophetarum, qui *Christum* non tantùm certò venturum, sed etiam definito tempore præsignabant. Eandem adumbravit in *Juditha*, quæ & Ecclesiæ, & DEIparæ figura prodroma: in *Isaia*, *Ieremia*, aliisque Prophetis *Christi* præcursoribus; præcipuè in *Daniele*, qui genuinus fuit *Messiæ* typus, utpote ob Majorum peccata captus, adoratus â Regibus, in Leonum lacu servatus; qui nihilominùs surrexit hostium Victor, & Idolorum gloriosus Domitor. *In præfiguranda.*

III. Denique *Divina Providentia* virtutum exemplis *longè copiosiùs illustravit Ecclesiam*: nam apparet in *Iuditha* virtutum epitome; peccati horror & castimonia in *Susanna*; in tot Prophetis Apostolici fervoris Zelus; in *Daniele* parvulo Innocentia; in juvene Sapientia; in viro Religio; Fortitudo in sene. Apparet in *Holoferne* DEI vindicta; in *Susanna* Providentia; in senibus, malorum inveteratis, Divina Justitia; in omnibus denique rerum eventibus Divinæ Providentiæ ludus ac Sapientia. *In illustranda virtutum exemplis.*

Mel. Quas observationes ex his historiis pro Juventute Acatholica eruit *Hybnerus*? *Observationes Polemicæ Quæ?*

Leuc. Inter alias plures asserit. I. *Ad Religionem certam nemo cogendus: nam malè Nabucodonosor hîc suam proposuit Statuam, ibi fornacem, ut subditi vel istam intrarent, vel illam flexo poplite adorarent. 2. Religio vera verè digna, quam Danielis exemplo, inspectante, & etiam ringente Mundo publicè profiteamur. 3. Gentilibus nulla coram DEO quondam superest excusatio; vidit certè Babylon* *Lutherus Hybnero oppositus.*

bylon in Daniele, quæ veram Religionem ad oculum demonstrarent. Sed *Lutherus*, quem ille *Beatum* prædicat, reclamat verbo: (a) *Hoc DEUS avertat, ut Evangelium sine seditione prædicemus &c. oportet enim Evangelium turbas excitare, hoc si non facit, verum Evangelium non est.* Observationi secundæ contradixit exemplo: (b) nam *Augustæ* hanc ille publicè palinodiam cecinit. (c) *Ego Martinus Lutherus &c. Protestor me colere & sequi S. Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis, & factis præsentibus, præteritis, & futuris: quodsi quid contrà, vel aliter dictum fuit vel fuerit, pro non dicto haberi & habere volo.* Sed mox iterum ad vomitum rediit. Observationem tertiam de Romana Ecclesia confirmat *Lutherus.* (d) *Ego dico, sub Papatu esse verum Christianismum, immò nucleum Christianismi, & multos pios, magnósque Sanctos:* è quibus fluit observatio quarta pro Acatholicis, ipsos quondam fore inexcusabiles.



CAPUT

(a) *T. 5. Witt. f. 97. T. 4. Jen. f. 97.* (b) *a. 1518. 9. oct.* (c) *T. 1. Jen. lat. f. 186.* (d) *T. 2. Witt. f. 230.*



CAPUT VI.

Seu Epocha ſexta, Captivitas ſublata per Cyrum.

Status Pontificum, & Principum â captivitate ſoluta usque ad Chriſtum natum per annos 537.

MEl. Quæ diviſio hujus Epochæ?

Leuc. Hactenus conſiderata eſt *Iudæorum* Respublica, *Monarchiæ Aſſyricæ* ſub Regibus *Hebræis oppoſita,* & tandem in captivitate *ſubjecta:* nunc conſideranda eſt 1. Qualis fuerit ſub Monarchia *Perſica,* cui reſpondet *Templi & Ieroſolymæ reparatio*? 2. Qualis fuerit ſub *Græca,* cui reſpondet *Regimen Machabæorum*? 3. Qualis ſub *Romana,* cui reſpondet *Regimen Herodianorum*? Ita appoſitè *Hybnerus.*

Diviſio hujus Epochæ Qualis? In Inſtructionem triplicem.

INSTRUCTIO I.

Judæorum fata ſub Regibus Perſiæ, ſeu Monarchia Perſica, cui reſpondet Templi reparatio.

MElander. Quæ diviſio hujus inſtructionis?

Leucotheus. In paragraphum triplicem: Primus aget de Templi & Urbis *Solimææ* reparatione. Secundus de ſtatu politico

tico Populi *Iudaici* in *Palæstina*. Tertius de statu politico Populi *Iudaici* in *Persia*, seu de Historia *Estheris*.

§. I.
De Templi & Urbis Solimææ reparatione.

Soluta captivitas à Quo?
I.
Vincula dissolvit Cyrus.
Cur?
Isaiæ ob oraculum.
A. M. 3517.
V. 216.

MEl. A quo, cur, quo Duce, & quomodo soluta *Iudæorum* captivitas, Templique reparatio instituta?

Leuc. Soluta est annorũ septuaginta servitus à *Cyro*: Hic enim per *Danielem* intellecto *Isaiæ* Oraculo: (a) *Subjiciam ante faciem ejus Gentes: propter servum meum Iacob*; cùm vidisset partes DEI impletas, suas quoque implere statuit: hinc decreto publico *Iudæos* restituit libertati & Patriæ, data insuper potestate plenissimâ Urbis & Templi è ruderibus excitandi, ad quod & vasa aurea, & argentea, magnam partem, (b) immò & sumptus Regios suppeditârat,

Quo Duce?
II.
Populúmque reducit Zorobabel.

II. Dux redituro Populo datus est *Zorobabelus*, stirpe Regia oriundus, utpote *Iechoniæ* Nepos, filius *Salathielis*: nam *Iechonias*, cùm annos triginta septem squaleret in vinculis, id miser habuit fortunæ, ut infortunii socium haberet *Evilmerodachum*, nescio, quo fato, â Patre *Nabucodonosore* in eosdem carceres conjectum, ubi contractâ, ùt solet, amicitiâ, ab *Evilmerodacho* rerum posteà potito extractus, dignitati restitutus, & inter primos amicos est habitus. Hic, inquam, *Iechonias* durante captivitate suscepit filium *Salathielem*, qui & ipse *Evilmerodacho* gratus fuit in paucis, cui natus *Zorobabel*, â *Cyro* electus in Ducem

(a) *Isa. 45. v. 1.* (b) *numero 586 e.*

Ducem, qui comite *Iosue* seu *JEsu*, Pontifice summo, filio *Iosedechi*, *Esdræ* nepote, 50. circiter millia, * â Numine animata ad reditum, *Jerosolymam* reduxit.

III. Hic primò restaurati sunt Sacrificiorum ritus, suscitato super bases altari; â *Iosue* oblatæ victimæ, & holocausta: subin ad conducendas operas, paranda pro ædificio necessaria, omnium conversa sunt studia, brevique visa sunt novi Templi surgere fundamenta, Levitarum clangente choro, Populo jubilante, Senioribus allacrymantibus, sive præ gaudio, sive præ mœrore, quòd illa resurgere minori longè, quàm priùs steterant, magnificentiâ intuerentur. *A. M. 3517. V. 216.* *Quomodo?* *A. M. 3518. V. 217.*

Mel. Quomodo impedita, ac interrupta Urbis & Templi reparatio? *A. M. 3518. V. 217.* *Urbis, & Templi reparatio impedita* *Quomodo?* *III.*

Leuc. I. Samaritani, Gens spuria, quia Schismatica, *Iudæis*, avitæ Religionis cultoribus, invisa semper, intellecto *Iudæorum* molimine, opem obtulêre, & opes, pro restaurando Templo communibus studiis; sed nempe subdolis, quibus non tam promoverent, quàm impedirent hanc fabricam, suísque postmodùm Idolothytis contaminarent. Fraus advertit *Iudæos*, qui decreto Regio insistentes, aliena subsidia rejecêre: unde offensi hostes, elusâ strophâ, alias & alias substruxerunt: primò pecuniis Satrapas corrupêre, ut vel negarent Regios sumptus, vel impedirent, vel saltem cœpta molimina retardarent: hinc festinatum est lentè, impeditis aureâ remorâ machinis, *Cyrum* multiplici *Marte Iudæorum* querelis eripiente. Sed quæ livor nova templa moratur. *Samaritanorum livore.*

* *Personæ:* 42360.
Famul. 7337.
49697.

A. M. 3524. V. 223. Quomodo interrupta?

II. *Cyro* fatis erepto ad apertas fraudes conversa sunt hostium studia. Deauratis jam priùs Aulæ *Persicæ* Ministris, per epistolam accusârant *Judæos*, veluti Gentem Regibus rebellem semper, talémque restauratâ Metropoli, tot seditionibus famosâ, futuram denuò * arguebant. *Cambyses*, linguâ *Chaldaicâ Assuerus*, Persicâ *Artaxerxes*, (*a*) cognomento *Persarum* Regibus communi, ** qui tunc Imperii habenas moderabatur, corruptis ab Aulicis facilè corruptus, criminationibus hísce fidem habuit, publicóque decreto reparandæ urbis conatus inhibuit, quod mandatum in *Iudæam* celeriter missum, executionem habuit promptam, quia *Iudæorum* hostibus exoptatam.

Edicto Cambysis.

Urbis & Templi reparatio promota.

Mel. Quomodo Urbis, & Templi reparatio denuò promota?

IV. Promovet Histaspes. *â Quo? A. M. 3532. V. 231. Qua occasione? A. M. 3533. V. 432.*

Leuc. Populi, & *Danielis* præcipuè precibus exorati Superi, *Cambysi* è vivis erepto, substituerunt *Darium Histaspen*, moderati animi Principem, in cujus servitia, & amicitiam *Zorobabel*, *Susam* reversus, se se providè insinuârat. Accidit, ut inter convivia, pro more Gentis, Rex problema proponeret: *Quænam res in Orbe esset fortissima?* tres Regii corporis custodes tulêre sententiam scripto, Regíque oblatam, mox in convivio rationum momentis stabilivêre. Primo pro *vini virtute*; altero pro *Regia Authoritate* perorante; demum *Zorobabel*, pro *mulie*bris *formæ forti infirmitate*, & *infirma for*titu-

* An præstet in eodem Regno plura esse munimenta? *Vide Coll. Historica.*

** An Rex iste sit *Xerxes*, ùt vult *Scaliger?*

(*a*) *Salianus in epitome ad hunc annum.*

titudine, ſed tamen meliùs pro *veritate* (*DEO* ſcilicet) pronuntiavit, * & quidem eo applauſu, ut Rex ipſemet illi palmam, cum palma gratiam offerret, quâ peteret, quidquid animo colluberet. Nihil ille cunctatus, Regi in mentem revocat votum, quod olim voverat Regi Cœli, ſi ſolio potiretur, de reſtaurando Templo, & *Ieroſolyma*: utrumque ut exequi dignaretur, pro Numinis honore, & ſua gratia poſtulat.

II. Non citiùs petiit, quàm liberaliùs, quæ petiit, impetravit. Ampliſſimis litteris id exequi juſſit *Zorobabelem*, pro Urbis, & Templi reparatione 20. talenta, ſumptus annuos; alia 10. pro Sacrificiorum apparatu, è fiſco Regio aſſignavit; quidquid vaſorum, & veſtium ſacrarum in *Babylonico* ſpoliario ſuperabat, reſtitui juſſit; *Iudæos* omnes, ſive bello, ſive natalibus ſervos, pronuntiavit liberos, eximiis immunitatibus, & privilegiis in omnes collatis. (*a*) *Quomodo?*

Mel. Quomodo continuata, & abſoluta tandem Templi fabrica? *A. M. 3533. V. 233.*

Leuc. Jam pridem *Aggæus* & *Zacharias*, quos Populo Prophetas Cœlum ſubmiſerat, urgere cœperant Urbis reſtaurandæ ſtudia, vel Templi ſaltem, de quo nulla in *Cambyſis* decreto expreſſa prohibitio legebatur: ſed cives ſponte jam deſides, oſcitabant, tempus in Cœli diphtera ſtatutum, necdum adeſſe rati: cùm ecce! *Zorobabel*, magno comitantium numero, quos *Babylone* collegerat, equitibus *Perſarum* mille ſtipatus, honoris ergò, *Ieroſolymam* venit, reſtaurandæ Urbis, & Templi optatiſſimus nuntius. Dici nequit, quan-

Templi fabrica quomodo continuata?

V. Solymámque redintegrat Urbem.

* Quæ pro quavis ſententia rationes allatæ? *Pexenſ. Men. c. 2. c. 36.*

(*a*) *Eſd. 3. c. 4 v. 5. 52.*

quanto Populi gaudio ſit exceptus, quanto ardore reaſſumpta Templi molimina, omnibus manum, *Aggæo* vocem accommodante, quâ hoc Templum ſecundum, primô longè illuſtrius (quia *Chriſti* præſentiâ nobilitandum) prophetico ſpiritu prædixit.

A. M. 3534. V. 233. *Quomodo, & quando perfecta?*

II. Sed cùm Urbis incrementa hoſtium oculos urerent, iteratis litteris Aulam *Perſicam* informant: at de Regis favore mox informata quoque fuit malevolorum invidia, reſcripto *Darii* publico, quo *Idumæos*, alióſque *Iudaici* nominis hoſtes, ditione eorum juſſit faceſſere; *Samaritanis*, cœptam fabricam impedituris, intentatæ ſunt capitales pœnæ; *Startuzanai*, & *Thatamai* ſilere juſſi, qui inter præcipuos piis conatibus adverſabantur: ſic exacto quadriennio, *Solymæo* Templo ultima manus impoſita, inter Populi jubila, ritúſque inaugurationis ſolennes, ut videas, quàm hallucinati ſint *Phariſæi*, qui ingenti anacroniſmo, Templum quadraginta ſex annis ædificatum, jactaverant.

A. M. 3537. V. 236.

§. II.

De Statu Politico Judaici Populi in Palæſtina.

Status Politicus Judææ ſub Regibus Perſiæ qualis?

Mel. Qualis in *Judæa* ſtatus erectæ Reipublicæ à *Zorobabele*?

Leuc. Reſpublica *Judæorum* nunquam ampliùs priori libertate gaviſa eſt, quia Regibus *Perſiæ* vectigalis; immò ſubjecta, adeò, ut hi Monarchæ Duces ſtatuerent, ſummóſque Pontifices confirmarent. *Zorobabele* fatis erepto, ſub *Ioachimo* & *Eliſaba* Ducibus in

pejus

pejus mox labi visa Respublica, dum eam Satrapæ exhaurirent, Primores ac Sacerdotes, patrias obliti leges, sive connubiis vetitis, sive *Chaldaicis* moribus, atque linguâ corrumperent.

II. Hinc Reipublicæ vigori debito restituendæ destinatus â DEO *Esdras*, *Saraiæ* Pontificis, ùt ajunt, filius, officio Sacerdos, & Legis Doctor, Gentis *Iudaicæ* reliquiis *Babylone* in solamen relictus, *Artaxerxis Longimani* familiaris, datus â DEO vates, & electus Populi Reformator electus. Huic pro amplissimo Regis favore, per patentes litteras, facta potestas *1.* Redeundi in Patriam cum quibuscunque vellet, & quicumque demum vellent. (a) 2. Ferendi secum opes, thesauros, vasa, & quidquid sive ad usum, sive splendorem Templi judicaret accommodum. *3.* Ordinandi Rempublicam juxta normam Legis sanctæ, ritúsque Patrios. *4.* Præficiendi Populo Judices, & Prætores *Hebræos*. *5.* Eximendi Sacerdotium â tributario onere Satraparum, *6.* Recipiendi denique ex ærario Regio census annuos, centum auri argentíque talenta, cum aliis omnibus, quæcúnque ad *DEI Cœli* obsequia judicaret apta, & necessaria. His privilegiis adjuncta est insuper liberalitas: â Rege donata *Esdræ* sexcenta & quinquaginta talenta argenti, auri centum cum innumeris vasis aureis argenteísque, Divino cultui destinatis, addito mandato ad omnes Satrapas, *Esdræ* consilia, conatúsque, cunctis viribus, adjuvarent.

Restitutus vigori pristino â Quo?
VI.
Esdra colit mores.
Esdras quis?
A. M. 1595. V. 294.
Diploma Artaxerxis Quale?

III. Hoc Diplomate, favoribúsq; instructus, anno *Artaxerxis* septimo, cum ingenti comitantium numero, *Ierosolymam* profectus *Esdras*, veluti

A. M. 1596. V. 295.
Reformatus Quomodo?

(a) 4. Reg. Artax. 6.

luti novus *Cynthius*, *Judæam* mox illustravit: nam 1. Thesauris, vasisque allatis è *Babylonia* ornavit Templum. 2. Sacrificiis Cœlum propitium reddidit. 3. Satrapis mandata Regia transmisit. 4. Cum Senioribus de emendanda Republica consilium iniît. 5. Mox renovato fœdere cum DEO, mores Populi reformavit. 6. Matrimonia, cum alienigenis contra legem inita, dissolvit. 7. In dedicatione solenni Legem Populo promulgavit. 8. Sacros libros, non quidem in Templi destructione deperditos ac combustos ipse Spiritûs Sancti Magisteriô rursus edidit in lucem, ùt fabulantur nonnulli: sed tamen dispersos undique conquisivit, eorum partes in unum quasi volumen compegit, depravata correxit, recensuit, renovavit, quæ deerant, supplevit, & auxit: unde illi, præter librum suo nomine insignitum, duos Paralipomenon, caput Genesis 36. Deuteronomii 34. ultimum Libri *Iosue*, & *Jeremiæ*, tanquam Authori, Scripturæ sacræ Interpretes tribuunt. 9. Insuper insignem Bibliothecam *Ierosolymis* instruxit; linguam *Hebraicam* ad majorem copiam, & elegantiam reduxit, inventis characteribus novis, etiam hodie usurpatis. Verbo: Virum se præbuit, quem *Hebræorum* Respublica, veluti Divini honoris *Zelotem*, Numinis Prophetam, Legis Doctorem, morum Restitutorem, & boni publici Promotorem eximium, semper meritò coluit, & suspexit.

In moribus. *Sacris libris.*

A. M. 3608. V. 307. Hebrææ Reipublicæ status magis perfectus à Nehemia Quomodo?

Mel. Quomodo Reipublicæ *Hebrææ* status, ab *Esdra* ordinatus, â *Nehemia* magis, magisque semper perfectus?

Leuc. *Nehemias*, *Esdræ* coævus, de stemmate Sacerdotali, *Artaxerxis* Pincerna Regius,

cùm

cùm volante famâ triste nuntium accepisset, *Jerosolymæ* muros irruptione hostili denuò dirutos, exustas portas, quæ necdum bene surrexerant, propitiato Numine Regem querelis suis propitium habuit, id assecutus, *Estheris* præcipuè, & *Mardochæi* favore, ut *Ierosolymæ* mœnia non restaurare modò, sed ad hostium quoque invidiam communire liceret in manu forti. Vix *Ierosolymæ* appulit, cùm operi admota manus: Vicinæ gentes, Urbis potentiam, Majoribus suis tam formidabilem exosæ, Authore *Sanaballat*, irruptione crebrâ rursus conatæ sunt turbare molimina, & technis variis *Nehemiæ* consiliis obstare: Sed vigilantia Ducis elusit insidias, vim vi repressit Populi ardor, inauditâ hactenus architectonicâ, quâ operæ unâ manu malleum, alterâ gladium ferebant. Sic DEO dante, promotum opus, & intra dies, non ampliùs quinquaginta duos, mœnia ea firmitudine stetêre, ut eorum intuitu *Artaxerxis* Imperium non immeritò contremuisset.

Restauratis Jerosolymæ muris.

VII. Leges Nehemia reformat.

A. M. 3609. V. 308.

II. Sic clausa Civitas sua mœnia solenni ritu Numini dedicavit, ut innotesceret orbi, quòd essent firma, quia sancta, & Divino firmata præsidio. Confluente ad festum Populo ab *Esdra* prælectus *Moysis* Pentateuchus, eo effectu, ut lacrymis penè diffiueret. Et quia audiît præscriptam in Lege Scenopegiam, & hæc solennitas communi jubilo celebrata, DEO ipso per solenne prodigium festum solennius faciente. Nam *Chaldæo* olim Templum vastante, cùm *Ieremiæ* jussu, sacrum ignem, tempori subductum, in sicci putei caverna occultâssent Levitæ, nunc inventus, & in aquam crassam conversus apparuit; hac aquâ aspersa Sacrificia, radio solis, è nubibus

Igne sacro invento.

emergentis, non accensa modò, sed & consumpta sunt illicò, Populo felix omen Divinis laudibus concelebrante.

Initio hebdomadarum 70. ex Danielis effato.

III. Et verò omen fuit ter faustum: nam hoc anno (a) cœpêre 70. hebdomades, Messiæ venturi prodromæ: nempe ab *exitu Sermonis*, (b) quo ab *Artaxerxe* emanârat edictum, *ut iterum ædificetur Jerusalem.* (c) Hoc ipso anno Aram cum Tabernaculo, & Altari Incensi, quæ *Ieremias* quondam absconderat, inventam ajunt, utique ingenti lætitiâ, *Iudæis* è Divino munere Divini subsidii instaurationem sperantibus.

Gloriosis in Rempublicam meritis.

IV. Annis sequentibus cùm Rempublicam Divino cultu, Sacerdotum ministeriis, extirpatis Majorum usuris, solutis illegitimis conjugiis, cæterisque ex Divina lege compositis primævo flori restituisset, evoluto annorum

A. M. 3621. V. 320.

12. intervallo, ad Aulam reversus est. Sed in ejus absentia mox in deterius prolapsa rursus Respublica, *Eliasibo* Pontifice *Tobiam Ammonitem*, propinquum quidem suum, sed *Iudæorum* juratum hostem, Gazophylacio præficiente, nempe gallinario vulpem, qui malâ fraude Levitarum stipendia, sacrósque reditus mox intervertit. Hinc *Nehemias Ie-*

A. M. 3629. V. 328.

rosolymam redux, cùm ejecto hoc nummulario res sacras denuò composuisset, annorum viginti Dux, domi, forísque celebris, gloriosum vitæ curriculum absolvit, meritò dictus Patriæ Pater, *Ierosolymæ* Conditor, æternâ dignus sæculorum memoriâ.

Quinam Prophetæ ultimi? Aggæus.

Mel. Quinam Prophetæ, hoc Reipublicæ erectæ statu, ultimi floruêre?

Leuc. *Aggæus*, qui reversis è *Babylonica* servitute, ad restaurandum Numini Templum

(a) *a. 20. Artaxerxis.* (b) *Olymp. 84. a. 4.* (c) *Dan. 9. v. 25.*

plum animos addidit; vaticinatus, non semel *Christi* adventum, ejúsque Regnum per novam Ecclesiam stabiliendum. Secundus *Zacharias* Junior, *Aggæo* synchronos, *Barachiæ* alterius filius, *Addonis* nepos; dedit suis oracula de Monarchia quadruplici, per Monarchiam *Christi*, ejúsque Ecclesiæ terminandam; *Messiæ* vitam, tormenta, mortẽ tam graphicè descripsit, ut Evangelistam diceres, non Prophetam. Tertius *Malachias* utroque posterior, utrumque *Christi* adventum, utriusque Præcursores *Joannem Baptistam*, & *Eliam*, sicut prævidit, ita prædixit, Prophetarum ultimus; non enim egebat oraculis Populus, cùm ipsum VERBUM Divinum ad erudiendos mortales appropinquaret.

Zacharias.

Malachias.

§. III.

De statu Politico Judaici Populi in Persia seu de Historia Estheris.

Status Judaici populi in Persia Quis?
Estheris Historiæ quæ divisio?

MEl. Quæ de *Iudæorum* statu in *Persia* memoratu digna?

Leuc. *Estheris* historia, in qua memorabilis primò ejus in solium elevatio. 2. Ejus in solio afflictio ob Populum ab *Amano* perdendum. 3. Ejus in solio authoritas ad populum ab *Amani* Tyrannide liberandum.

Elevatio in solium qualis?
A. M. 3592.
V. 291.
VIII.
Estheri interea Sors offert Sceptra.
Occasio quæ?

Mel. Qualis ejusdem in solium elevatio?

Leuc. *Artaxerxes Longimanus*, sacro codici *Assuerus*, cùm contra *Ægyptios* arma meditaretur, Satrapas in sua studia pertracturus, adornârat convivium, & luxu *Persico*, & diuturnâ magnificentiâ splendidum: nam ipsos cen-

Vasthi fastus. centum octoginta dies Regni Primates; septem verò totam Plebem, in horti tentoriis, auro, hyacintho, & purpurâ radiantibus, exhilarabat. Ad finem fluentibus his Bacchanaliis, Rex inter pocula plenior, adesse jussit Reginam *Vasthi*, regio cultu ornatam, ejus fortè non viso hactenus decore gratum spectaculum Convivis exhibiturus: sed cùm illa imperium, dignitati suæ, morique *Persico* non satis congruum, arrogantiùs detrectâsset, quàm tutiùs, Primatum consilio repudium tulit, ut ejus exemplô sexus iste tumidior subesse disceret, ac obedire.

Causa quæ? Pulchritudo. II. Hinc ut Corona digniorem ornaret verticem, conquisitæ in Regno virgines, quas inter quadringentas, veluti *Cynthia*, eminebat *Esther*, Regio *Saulis* oriunda stemmate, filia *Abbiail*, *Mardochæi* ex fratre Neptis, quæ, licèt pupilla, formæ incomparabilis venustate

A.M. 3596. V. 295. sic Regis oculos rapuit, ut *Hymeneo* solenni in solium locò *Vasthi* reveheretur.

A.M. 3601. V. 300. *Mel.* Quæ *Estheris* in solio afflictio ob populum ab *Amano* perdendum?

Qualis illius afflictio ob Populum perdendum?

IX. Sed Aman gaudia perturbat.

Mardochæus quis? Amanus Quis?

Leuc. Erat *Estheri* Patruus, simúlque Nutritius, nomine *Mardochæus*, eodem satus regio stemmate; hunc natum durante captivitate Chronologia verior; translatum cum *Iechonia* (in avo forsitan) scriptura memorat. Is ut Neptis, & adoptivæ filiæ curam gereret, inter Prætorianos palatii Regiì, Reginæ simul, ac Regis custodem sat bene vigilem egerat. Accidit, ut *Amanus*, origine *Agagites*, Patrem è *Macedonia*, Matrem nactus è *Persia*, Nationis triplicis propago spuria, tunc emineret inter Primates, & (quod fortunæ ludibrium) aspirante Regii favoris aurâ ad honores propemodum Divinos attolleretur,

II. Hic faſtu turgidus, cùm cæteros in faciem proſtratos, *Mardochæum* unicum irretorto poplite adſtantem in tranſitu cerneret, eo furore excanduit, ut non modò *Mardochæum*, ſed totam cum illo Gentem *Iudaicam* uno die, dato veluti ſigno, iret extinctam. *Cauſa odii in Judæos quæ?*

III. Jámque *Aſſuerum* partim criminationibus falſis, partim decies mille talentis, ærario oblatis (utut repudiatis) *Amanus* egerat in tranſverſum: jam Regio annulo ſignata erant ſanguinolenta programmata: Jám curſores in centum viginti ſeptem Provincias detulerant feralem ſententiam, cùm *Mardochæus* luctu publico exanimatus per *Athacum* monuit Reginam, ocyùs adiret Regem, & tonanti *Iovi* fulmen ſine mora eriperet. *Clades quomodo adornata?*

IV. Illa ſine Regis mandato conſpectum hujus Monarchæ ſubire verita, inſtante nihilominùs Patruo, mortis pericula contempſit, Deóque freta propitio, ſe ſe ſtitit in interiore Palatii atrio. Sed fulminante Regis oculo territa, cùm in deliquium caderet, illicò accurrente Rege levata, blanditiis erecta, ſceptrique oſculo vitæ gratiam, immò cujusvis gratiæ optionem obtinuit. Illa nil aliud rogabat, quàm ut Rex, *Amano* comite, parato intereſſe convivio ne dedignaretur: Comparuit uterque; dúmque liberaliore ſcypho Rex liberalior petitionem urgeret, aſſeverans, etiam Regni partes dimidiam *Iunoni* huic non denegandam, illa nil niſi iteratam cum *Amano* præſentiam cras indulgeret, demiſsè rogaverat, fore, ut animi ſenſa tunc pleniùs favori Regio inſinuaret. Intereà cùm ædes repeteret *Amanus*, *Mardochæi* iteratâ ſtatuâ offenſus, in eam rabiem eſt abreptus, ut adhuc *Quomodo impedita ab Eſthere?* *Patibulum quale, & cur paratum?*

eâdem nocte furcam pararet 50. cubitos altam, è qua pendulus cras *Mardochæus Amanum* toties despectum, jam verè tandem de sublimi despiceret.

Estheris authoritas quanta ad suum Populum liberandum?

Mel. Quæ *Estheris* in solio Authoritas ad liberandum ab *Amani* tyrannide Populum?

X. Furcâ qui pendulus altâ.

Assuerus cur in Mardochæum beneficus?

Et quomodo ex Amani Consilio?

Leuc. DEI Providentiâ factum, ut noctem illam *Assuerus* insomnem ageret; hinc segniores horas ut falleret, negotio planissimè Regio, annales Regni historicos sibi prælegi jubet. Ex his cùm audiret, â *Mardochæo* detectas nuper insidias, quas proditores duo *Bagathan*, & *Thares* parato eidem toxico struxerant, quærit, quo favore præmiata sit tanta fides? respondentibus, nullo; *Amanum*, qui fortè tunc erat in atrio, ut cocta noctu consilia primo mane contra *Mardochæum*, excoqueret, ingredi jubet, quærítque, *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare desiderat?* (a) Ille, ùt credula semper ambitio, novos sibi honores parari ratus, velut suæ faber fortunæ, consilium ambitiosius, quàm felicius suggerit: Regiâ, inquit, ornatus purpurâ, diademate conspicuus, tuóque *Bucephalo* sublimis ducatur per urbem, Satraparum Principe lora tenente, & proclamante: *Sic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare.* (b) Consilium placuit, quod illicò exequi jussus est in *Mardochæo*, quo imperio veluti fulmine tactus *Amani* fastus detumuit. Parendum erat, ut ut animo, in invidiosa hac pompa, propemodùm contabescente.

Clades quomodo â Judæis amota?

II. Necdum rubor è fronte; necdum ex animo mœror abscesserat, cùm vocaretur ad epulas, ubi Rege Reginæ vota denuò explorante, illa tandem *Hebræam* se fassa (nam hactenus Gentem studiosè celaverat) pro anima sua,

(a) *Esth. 6. v. 6.* (b) *ibid. v. 9.*

ſua, pro Gente, pro Regis honore opem imploravit contra *Amani* tyrannidem, cunctis exitium machinantem. Rex indignatus cruentum facinus, è convivio in hortum ſe ſe proripuit; *Aman* verò Reginæ, ſupra lectulum reclinatæ, pedibus affuſus, ſcelus eſt deprecatus cum vita, quem ubi redux ſubitò conſpexiſſet *Aſſuerus*, Reginæ vitium parari ab illo ratus, continuò ad paratum *Mardochæo* ſupplicium abripi juſſit.

Et in Judæorum hoſtes detorta?

XI.

Ludentis ſecum vidit ludibria ſortis.

III. Sic pependit crudelitatis ſuæ factus ipſe ſpectaculum, quod more *Perſico* & ipſi in patibulis ſublimes, aſpicere coacti ſunt decem filii. Necdum ſatis: Reginæ precibus, refixa ubique programmata, iisque ſubſtituta Talionis pœna in *Iudaici* nominis hoſtes, ſicut eorum mille ſolummodò *Suſis*, in Provinciis reliquis ultra ſeptuaginta quinque millia *Hebræorum* vindictæ ſint immolata. *Mardochæus Amani* in Aula munus, & dignitatis faſtigium tenuit, juſsitque, ut factæ cædis memoria per 10. dies quotannis feſtiva ſolennitate à Poſteris recoleretur.

A. M. 3602. V. 301.

Memorabilia ſub reliquis Monarchis Perſiæ quæ?

Mel. Quid ſub reliquis *Perſiæ* Regibus in *Iudæorum* Republica memorabile contigit?

Genealogicæ Judæorum tabulæ.

Leuc. I, Sub *Dario Notho* Genealogias *Iudæorum* ſacris tabulis mandatas afferunt, teſtimonio futuras, Chriſto brevì venturo: has utpoſtmodùm, magnam partem, *Herodis*, utpote illegitimi Regis, aſtutia combuſſit.

Tributum ab Ocho impoſitum.

II. Sub *Artaxerxe Ocho*, cùm *Jaddus* Pontifex (a) *JEſum* fratrem, tiaræ æmulum, jugulâſſet in Templo, mulcta *Iudæis* impoſita eſt, qua ſeptennium integrum, priusquàm quotidianas DEO victimas litarent, 50. drachmas

(a) *Joſ. l.* 2. *c.* 7.

mas ex ærario publico pendere ſunt coacti. Sub hoc ipſo Rege negati reditus annui, à *Cyro*, *Dario*, *Longimano* donati Templo; idem Templum â *Bagoa* Evnucho nefariè eſt prophanatum, multæque *Iudæorum* familiæ in *Mediam* translatæ.

Anti-Templum erectum in monte Garizim.

III. Sub *Dario Codomanno* cùm *Sanaballes*, natione *Perſa*, *Samariæ* Prætor, ad *Alexandri* M. partes deficeret, Regis hujus veniâ erexit Templum in monte *Garizim*, eique præpoſuit *Manaſſem*, *Jaddi* fratrem, quem *Sanaballis* generum, reclamantibus Legum præſcriptis factum, jam priùs Sacerdotio moverat *Iudæa* Reſpublica: hoc Templum ſchiſmatis ſat longi Seminarium exſtitit, utpote poſt duo primùm ſæcula ab *Hircano Machabæo* Duce, unà cum Metropoli *Samaria* dirutum, ac deſtructum.

Obſervationes.

Obſervationes Politicæ Quæ? Cultus veri Numinis Regibus, Regniſque proficuus.

MEl. Quænam obſervationes Politicæ? *Leuc. I.* Quantum cultus veri DEI, & Religionis augendæ ſtudium, conferat ad Regum, Regnorúmque felicitatem, agnovêre etiam Monarchæ Ethnici; *Cyrus* præprimis, qui captivitatis *Iudaicæ* vincula diſſolvit, eò *quòd omnia Regna terræ dederit illi DEUS.* (a) *Darius*, qui ex voto reſtauraverat Templum Domini, eò quòd ſit evectus ad ſolium. *Longimanus*, qui *Ieroſolymam* reparavit, & vel ideò per annos 40. felici Regimine â DEO erat donatus. Hinc eſt, quòd ſuis ſumptibus ædificaverint Templum, donîſque ingentibus cumulârint, nempe

(a) *Eſd. l. 1. c. 1. v. 2.*

peiit in diplomate suo *Darius*: (a) *Orent pro vita Regis, & filiorum ejus*: velut in suo *Longimanus*: (b) *Ne fortè exurgat ira in Regno Regis, & filii, & filiorum ejus.*

II. *Zorobabel*, *Esdras*, *Nehemias* absoluta fuêre Ducum Prototypa, *Mardochæus* primæ fidei fuit Minister, *Amanus* contra infelicis Aulici speculum, in quo fortunæ instabilitas, Regum favor mutabilis, funestus ambitionis exitus, & præprimis Divinæ Providentiæ ludus, spectaculo tragico exhibetur. *Ducum Prototypa.*

III. *Artaxerxem Longimanum*, *Ianum* Aulicum diceres, quia bifrontem: apparet una ex parte *Liberalitas*; nam Levitas exemit tributis, suisque sumptibus Templum sustentavit: sed apparet ex altera *Prodigalitas*: nam adornavit convivia, ut ostenderet *jactantiam suæ potentiæ*. (c) Laudatur in symposiis *Libertas*: *Nemo erat, qui nolentes cogeret ad bibendum*; (d) sed & vituperatur *ebrietas*: nam *vinum biberat abundanter*. (e) *Generosus* erat, cùm dixit: *Argentum, quod tu polliceris* (decies mille talenta) *tuum sit*; sed & *Temerarius* simul, cùm addidit; *De Populo Iudaico age, quod tibi placet*. (f) *Historica lectio* commendanda, sed fugienda *muliebris Mollities*: *Etiamsi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis*: (g) Denique *Gratus* ergà *Mardochæum* animus encomiis dignus, sed & Diris devovenda *Crudelitas*, qua permisit, ut *Amanus occideret omnes Iudæos à puero usque ad senem*. (h) Adeò lux ipsa tenebræ sunt apud Ethnicos, qui vero fidei lumine destituuntur. *Magnorum vitia & virtutes.*

Mel. Quæ observationes Christianæ? XII. Observationes Christianæ *Quæ?*

Leuc. I. Divina Providentia in *protegenda*, & *promovenda* sua *Ecclesia*. I. E-

(a) 1. *Esth* 6. *v.* 10. (b) 3. *Esth. v.* 23. (c) *Esth.* 1. *v.* 4. (d) *Esth.* 1. *v.* 8. (e) *Esth.* 5. *v.* 6. (f) *Esth.* 3. *v.* 11. (g) *Esth.* 3. *v.* 6. (h) *Esth.* 3. *v.* 13.

Divina Providentia in Ecclesia protegenda.

I. Equidem semper, sed hìc præprimìs ostendit DEUS, quòd prima illius cura sit vera Ecclesia; quòd alio fine non gyret hanc terræ molem, quàm ut veræ Ecclesiæ emolumentis eventus inserviant: sic elevavit *Cyrum*, ut restitueret Populum exulem; sceptra dedit *Dario*, ut sibi erigeret Templum; *Artaxerxi* purpuram, ut Regnum *Iudæ* denuo restauraret. Ut reduceret Populum, dedit *Zorobabelem*; *Esdram*, ut erudiret; *Nehemiam*, ut Reipublicæ statum erigeret, & gubernaret.

Adumbranda.

II. In *adumbranda Ecclesia Catholica:* hanc enim Prophetarum *Aggæi*, *Zachariæ*, ac *Malachiæ* oracula non prædixerunt solummodò, sed vivis coloribus expresserunt: *Christum* Judaici livoris victorem *Mardochæus*, Deiparam Virginem Regina *Esther*, figurâ emphaticâ adumbravit, quam devicto *Amano* stygio, gentis Catholicæ Patronam Ecclesia meritò veneratur.

Virtutum exemplis illustranda.

III. In *illustranda virtutum exemplis*: nam luxit *Zorobabel* insigni sapientiâ, *Esdras* legis peritiâ, boni publici amore *Nehemias*; omnes ingenti gloriæ Divinæ Zelo, quo Templum restaurârunt, Religionis splendorem renovârunt, morésque populi, & collapsæ Reipublicæ statum, ingenti studio reformârunt.

Observationes Polemicæ quæ?

Mel. Quænam observationes *Polemicæ?*

Leuc. Cùm *Hybnerus* Acatholicæ Juventuti hìc nullas afferat, sequentes legere, ne gravetur.

Parallelum Samaritanorum cum Protestantibus.

I. *Samaritani*, quorum Religio mixta, in aliquibus *Iudaicæ* difformis, conformis in multis, *Iudæis* avitæ Religionis cultoribus erant infestissimi semper: Id ipsum profitetur *Lutherus* in Religionis *Romanæ* cultores.

Nam

Nam in testamento Sectatoribus suis reliquit: (a) *Odium in Papam: DEUS impleat vos odio Papæ.* Hinc *Joan. Wigandus*: tenenda est illa gravis, & vera *Lutheri* vox: *eum salvum fieri non posse, qui non ex toto corde odisset Papatum.* Item *Hartmanus Braun* Præco *Grünbergæ* in *Hassia*, qui sic suos alloquitur: (b) Vivamus conformes testamento *Lutheri*, quo nobis hæreditarium transscripsit *odium in Papam, & Babylonicæ meretricis aureum poculum.*

II. Cum *Samaritanis* communionem, mutuámque opem in ædificando Templo non admisêre *Iudæi*: non admittunt Catholici; quia una fides, una tantùm Ecclesia: hinc falluntur multi, qui in utravis Ecclesia salvandos se credunt, infelices Indifferentistæ: *Qui enim Ecclesiam non audierit, erit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* (c)

III. *Samaritani* accusârunt *Iudæos* in *Aula Assyrica* velut Gentem rebellem, perfidam: Catholicos horrendis calumniis proscindunt *Lutheri* asseclæ, Magistri sui exemplô, qui jam ab initio Ecclesiam Romanam vocavit *Babylonem*, Pontificem *Anti-Christum*, Catholicos *Idololatras*, *Asinos &c.* Religionis *Judaicæ* Reformatores *Nehemias*, & *Esdras* erant â DEO legitimè vocati, Legis libros restituêrunt, Divinum cultum illustrârunt, laxiores hominum mores ad rigorem pristinum redu-

(a) *a. 1537.* Cùm ægrotaret Schmalkaldiæ. *Ita Mathes. Conc. 12. p. 123. Aurifaber &c. in Luth. serm. mens. ed. Isleb. f. 624.* (b) *L.* de bonis & malis *Germ. p. 25. 1. conc. Dec. 11. S. Concionum de Tempore p. 12. & 15.* (c) *Matt. 18. v. 17.*

reduxerunt: in *Luthero* quis non videt contrarium? Nam ipse fatetur: **Der Teuffel kan uns vorwerffen: wer hat euch beruffen!** (a) 2. Corrupit S. Scripturam: cujusmodi errores in versione novi Testamenti duntaxat numerat *Emserus* ultra sexcentos. 3. Divinum cultum imminuit, abrogando Sacramenta; laxiores hominum mores induxit, tollendo vota, Jejunia, bona opera.

IV. *Samaritani* etiam armis infestârunt *Judæos*, Templum Domino ædificantes: Ita *Lutherus*: sic enim clamat; (b) *Qui habet aures audiendi, audiat, & â bello Turcico abstineat, donec Papæ Nomen sub Cœlo valet.* sic *Lutheri* asseclæ: hinc *Ulricus de Hutten* (c) inter articulos 30. contra Catholicos sancivit in 5to, *ut eidem adhærentes, Papam haberent pro Anti-christo.* in 6to *Cardinales, Episcopos, pro Apostolis Dæmonis; in 7 Aulam Romanam, pro inferni prostibulo; Papistas omnes pro mimis, & morionibus; canibus rabiosis &c.*

INSTRUCTIO II.

Judæorum fata sub Monarchia Græca, seu Regibus Ægypti & Syriæ, quibus respondet regimen Machabæorum.

MEl. Quæ divisio hujus Instructionis?
Leuc. In Paragraphum triplicem. Primus aget de fatis Reipublicæ *Judææ* sub Regibus *Ægypti*, & *Syriæ*. Secundus de

(a) T. 2. Jen. f. 49. (b) T. 2. Witt. in assert. a. 13. (c) a. 1521.

de Heroibus Machabæis, qui ſe ſe tyrannidi Regum *Syriæ* oppoſuêre, præcipuè de *Iuda Machabæo.* Tertius de fatis Reipublicæ *Judææ* ſub Machabæis reliquis.

§. I.

De fatis Reipublicæ Judææ ſub Regibus Ægypti, & Syriæ.

MElander. Quid in Republica *Judaica* memorabile contigit cum *Alexandro*, Monarchiæ *Græcæ* Authore? *Memorabile in Judæa ſub Alexandro M. Quid?*

Leuc. Tyrum, urbem ſoli *Alexandro* expugnabilem cùm oppugnaret, à *Iudæa* ſuppetias petiit; ſed denegatæ ſunt à *Jaddo* Pontifice, allegante juratam fidem, quâ throno *Perſico* adſtringeretur. Hinc *Alexander* ſubacta *Tyro*, *Jeroſolymam* movit, denegata auxilia victrice ferro ulturus. *A. M. 3722. V. 421.* I. Dum parcit Macedo. *Obſidio Jeroſolymæ tentata cur? Ob denegatas ſuppetias. Diſcuſſa à Deo.*

II. Sed Populi lacrymis motum Numen, *Jaddum* in ſomniis monuit, aperiret Victori portas, obviúmque exciperet Sacerdotum infulis, Populo candidis veſtibus, innocentiæ ſymbolo, Pontificem comitante. Igitur occurrit *Iaddus* Pontificio ornatu, mithráque conſpicuus, ſolóque aſpectu ſic terruit *Alexandrum*, Orbis terrorem, ut Nomen DEI, Cidari inſcriptum, proſtratus in faciem adoraret. Attonitis Ducibus, repoſuit *Alexander*, DEO honores hos à ſe habitos, qui hac ipſa ſpecie, de expeditione *Perſica* deliberanti ſibi viſus per ſomnium, Coronam *Aſiæ* promiſiſſet. *Quomodo?*

III. Et verò à *Jaddo* mox confirmata ſunt Regis oracula, cùm Regnum *Perſiæ*, à *Græco* Heroi evertendum, è vaticiniis *Danielis* felici omine *Magno Jaddi Pontificis honore, ſancitóque amicitiæ fœdere.*

ne prælegiſſet. Rex amicè complexus Pontificem, cùm inter jubila deductus eſſet in Templum hoſpes, Sacrificiis *DEO Vero* oblatis, Templum ornavit magnificis donis, tributa ab *Ocho* impoſita remiſit, & denique conceſſâ Populo libertate, *Iudæam* immunem, ſuiſque legibus vivere permiſſam, præteriit. Nempe Cœlo propitio ſubigi non poterat Gens, quam ſcelera priùs non ſubegiſſent.

Poſt Alexandri fata A. M. 3732. V. 431. Judæorum Respublica paſſa Quid?

Mel. Quid poſt *Alexandri Magni* fata *Judæorum* paſſa Reſpublica?

Leuc. Hoc magno corruente fulcro, *Monarchia Græca* in plures Reges pluráque Regna, veluti fruſta, diſsiliît, præter alios *Alexandri* Duces *Ægyptum Ptolomæo Lagò*; *Syriacum Seleuco* ſibi attribuente. Subin, cùm *Judea* ſuis rurſus ſceleribus â DEO ſe ſe divideret, ab hiſce Regibus, veluti flagellis, attrita ſæpè, magna fecit, majora tulit, DEO per *Machabæos* afflicto Populo identidem ſuccurrente.

II. Solymæam ſævit in urbem Lagus.

Sub Ptolomæo Lago Ægypti Rege Jeroſolyma capta Quomodo? Ob Religionem Sabbathi.

II. Primus impetum in Rempublicam fecit *Ptolomæus Lagus*, qui vix firmus in *Ægyptiaco* ſolio, mox ingenti exercitu *Jeroſolymam* cinxit, *Onia* I. Pontifice, *Iaddi* filio; & quod mireris, impunè cepit die *Sabbathi*, Populo arcendis hoſtibus violare *Sabbathum* formidante. Riſit hoſtis Religionem, quia ſuperſtitioſam magìs, quàm piam; & ut malè feriati laborarent impoſterùm, triginta millia arma portare juſſit, alia circiter millia centum, licitantibus *Ægyptiis*, tradidit in ſervitutem.

A. M. 3775. V. 474. Sub Ptolomæo Philadelpho Ægypti Rege relevata quomodo?

Mel. An ſub *Ptolomæo Philadelpho*, *Lagì* filio, meliorem experti fortunam exules?

III. Captivos relevat Philadelphus.

Leuc. Optimam: nam *Philadelphus*, perſpectâ illorum fide ac Religione, magnos illis

ſemper

ſemper honores habuit, & *Alexandriæ* pari cum *Macedonibus* jure gaudere voluit.

II. Immò cùm Bibliothecam meditaretur, ab *Eleazaro* Pontifice & libros ſacros, & librorum Interpretes petiit. *Alexandriam* miſſi è quavis Tribu ſex utriusque linguæ & Legis Doctores (quos inter *JEſus Sirach* Eccleſiaſtici Author) qui numero ſeptuaginta duo, in Inſula *Pharos Alexandriæ* proxima, totidem concluſi cellulis, ùt ajunt, poſt ſeptuaginta dies, verſionem ediderant, tot calamis diverſam, ſed non ſine prodigio ſenſu & verbis propemodùm eandem. * Interpretationis obſequio liberalitas Regis reſpondit: Nam *Judæorum* millia plùs quàm centum, libertate donata, remiſit in Patriam, quæ abſtraxerat in ſervitutem illius Pater.

S. Scripturæ verſio per 70. Interpretes.

Mel. Quæ Reipublicæ *Hebrææ* fata ſub *Ptolomæo Philopatore, Ægypti* Rege?

A. M. 338. V. 537. Judæorum fata ſub Philopatore Ægypti Rege Quæ?

Leuc. Urbis, Templique viſendi ſtudio invitatus, cùm *Ieroſolymam* veniſſet armatus Hoſpes, in ipſa Sanctorum adyta penetrare conatus eſt, ſacrilegum facinus lamentante Populo, *Simone II.* Pontifice ad prohibendam irreverentiam omnes Superos inclamante. Auditæ à Cœlo preces: nam Rex terreri ſubitò, totis artubus contremiſcere, ut fugiente voce, exanimis inſtar, à Milite foras extraheretur.

IV. At amens vexat Philopator. *Templi adytis prohibitus Quomodo? à DEO.*

II. Redditus ſibi, non DEO eſt: nam in *Ægyptum* reverſus velut acceptam à DEO injuriam in DEI Populo vindicavit. Edicto edito, *Ægyptiacis* ritibus cunctos ſubſcribere coëgit: repugnantes vel dedit neci, vel libertate exutos infami ſtigmate, hederæ folio

Ejus tyrannis in Judæos. A. M. 3839. V. 538.

* Qualis & quomodo ſit iſthæc interpretatio facta? *Cornelius à Lap. & alii Interpretes.*

Judæos elephantis objectos dimittit. folio, Patri *Libero* consecravit: alios in hippodromo conclusos, quingentis elephantis, potu efferis, fœda morte conculcandos objecit. Sed miserorum lamentis, ipsa sidera penetrantibus, accitus Tyrannus, tristique spectaculo sic subitò confusus stetit, ut DEO mentem turbante, palàm negaret, â se statutam hanc lanienam, liberósque omnes è circo dimitteret.

Iteratò objicit III. Sed brevì ad ingenium rediit, nunquam pacatior, quàm cùm turbatus; nunquam crudelior, quàm cùm tranquillius. Iteratò efferatis belluis objecta Gens misera, iteratò opem â Numine postulavit: ad spectaculum denuò evocatus Tyrannus est: sed gemini Cœlestis Genii horrenda specie cum suis *Magna Ægyptiorum clade.* subitò consternatus, præ terrore mentem penè amiserat. Intereà belluæ in furias actæ, effractis repagulis, *Ægyptios* protrivêre immensa strage, *Iudæis* ab omni belluina rabie præservatis. Quo luculento prodigio Rex ad saniora reductus, omnes & liberos, & munificis viaticis donatos remisit ad sua; apostatis etiam, quibus metus Religionem ex-cusserat, Confessorum judicio traditis, quò eosdem ad rigorosam Legis amussim plecterent.

A. M. 3870. V. 569.

Judæorum Regimen sub Seleuco Philopatore Rege Syriæ Quale?

Mel. Quale fuit *Oniæ* III. Pontificis regimen, sub *Seleuco Philopatore*, Rege *Syriæ*?

V.

Leuc. Infelix sanè, *Ambitione Sacrilegâ* Rempublicam propemodùm evertente, nisi Hierarchæ hujus pietas, apud Superos intercessisset.

Templum spoliare Seleuc9 nititur.

Infaustum Simonis, Gazophylacium prodentis, perfidi[illegible] cur? Q[illegible]omodo?

I. *Simon* quidam, Templi Sancti neutiquam Sanctus Præpositus, turbulenti ingenii homo, semen *Chanaan*, *Simonis* Magi sacrilegus præcursor, cùm ambitione tumidâ nova

nova moliretur continuò, *Oniam* habuit adversum, quia pium; invisum, quia Superiorem, & æmulum. Huic ægrè ut faceret, clàm *Cœlesyriam* petiit, *Seleuco* per *Apollonium*, *Cœlesyriæ* & *Phœniciæ* Satrapam, prodidit Templi thesaurum, infinitas mentitus opes, Sacerdotio non necessarias, nisi ad avaritiam, & fastum. Bellum illicium Regi, quia impio; optatum, quia avaro; opportunum, quia *Romanis* tributis, haud sanè parcis, obnoxio.

Heliodori conatus sacrilegus Qualis? In Gazophylacium.

II. Missus est ocyùs *Heliodorus*, Regii thesauri custos, qui comitatu armato *Ierosolymam* advolaverat non tam hospes, quàm hostis. Primò in Gazophylacii opes indagavit sagaciter, quas cùm *Onias*, sat equidem amplas, * quia Regum *Asiæ* donis, & pupillorum patrimoniis divites; non tamen immensas, candore simplici, asseveraret, ille veritatem auream oculis exploraturus (revera manibus rapturus) ausu sacrilego Templi fores effregit, vim apertam Gazophylacio minitatus. Hìc enim verò præter lamenta auditum nihil, Populo ejulante, Sacerdotio lamentante, ipso *Onia* Cœli auxilia lacrymis advocante.

Per Angelos punitus Quomodo? Flagellis.

III. Nec segniùs adfuit Divina Nemesis. Horrore sacro afflari subitò satelles, dejici mente, tremore concuti, vi altiore prosterni, extincto propior, quàm spiranti. Tum adesse visus est eques Angelicus, armis aureis splendidus, fulgurantibus oculis formidandus, qui equi prioribus ungulis raptorem sacrilegum allisit solo. Necdum satis: adstare insuper visi sunt gemini Cœlo lapsi ephebi, qui

* Quadringenta argenti, ducenta auri talenta.

qui loris adeò cruentis in Harpyam hanc detonuêre, ut sub laniena animam efflâsset, nî plùs Pontificis gratiæ, quàm prædonis avaritiæ indulsissent. Igitur luctantem cum morte, sellæque impositum foras ejecêre, cui sanitas non priùs reddita, quàm *Onias* Sacrificiis Superos placâsset. Tunc quippe iteratò spectabiles illi Genii duo Cœlestes, admonuêre raptorem, *Oniæ* precibus sanitatem acceptam ferret, & ad Regem reversus exhiberet pecuniæ censum, vibices, ut & ipse DEUM Zelotem agnosceret, meliúsque inposterùm revereretur. Executus ille mandata, Regi suasit, si quem alium mittere hoc in negotio vellet, hostem mitteret, non amicum: fore, ut eum reciperet, si non occisum, saltem haud obiter castigatum.

A. M. 3871. V. 570. Simonis fraudes elusæ quomodo? per Oniam.

IV. Sed necdum quieta fuit *Simonis* ambitio: *Oniam* æmulum novis calumniis, velut insidiatorem Regni, apud *Seleucum* sic denigraverat impostor, ut procellæ obicem positurus, *Antiochiam* concesserit *Onias* ipse, & discussis invidiæ nebulis pacem Reipublicæ procurârit.

Judæorum fata sub Antiocho Epiphane Quæ?

Mel. Quæ Reipublicæ fata sub *Antiocho Illustri?*

Leuc. Ultima crederes, adeò in *Synagogam* desæviit hic Tyrannus, ut *Neronis* Prototypon; ejus Regimen, *Diocletianæ* Tyrannidis furor prodromus appelletur.

Horrenda: 1.mò Jasonis Pseudo-Pontificis ambitione sacrilega, Quali? A. M. 3879. V. 578.

I. Causam dedit malorum omnium causa, *Ambitio pessima. Jason*, fœcis *Iudaicæ* excrementum, *Oniæ* frater (par impar, quorum unus Reipublicæ salus, alter exitium) ut pietati scelus succederet, se ipsum in Sacerdotium intrusit, Tiaram Templi thesau-

ro * ab *Epiphane* mercatus nundinator ſacrilegus, *Onia* interim in *Daphniticum Antiochiæ* ſuburbium, veluti aſylon ſe ſe recipiente.

II. Ejecto Paſtore, quid mirum, quòd cum lupo mox ululaverint ſeductæ oves? vidiſſes abrogata civium privilegia, antiquari Divinas Leges, aperiri ganeas, proſtituíque publicè Juventutis florem innocuum, & veluti civitate donatum gloriari ſcelus. Audiíſſes mitrato *Hippocentauro* mox adhinnire Sacerdotum probra, Altari contempto in *Græcorum* palæſtris verſari, & dignitatis oblitos, vah pudor! cum athletis exercere agones.

Impietate nefanda Cur?

III. Sed quadriennium in Peſtilentiæ cathedra durare ſcelus iſtud non poterat, quin pari ſcelere depelleretur. *Menelaus*, ſcelerati *Simonis* frater (ovum ovo ſimillimum) miſſus à *Iaſone* ad pendendum Regi vectigal, illud promiſſis ** aureis auxit, & hac ratione paſtorale pedum licitatus fuit infamis caupo, *Jaſone* in *Ammonitidem* ultrò ſe ſubducente. *Aaronis* virgam rotavit *Simoniacus* Myſta, ùt acquiſivit, utrumque impiè. Nam cædibus *Ieroſolymam* miſcuit, *Oniam* ipſum, triginta & ampliùs annos legitimum Hierarcham, *Andronici* proditoria fraude è medio ſuſtulit, ipſa tyrannide (*Epiphanem* puto) injuſtam cædem deflente, & Proditoris ſanguine vindicante. *Liſimachum* inſuper, lupum lupo ſubſtitutum ad tempus, concitatâ plebe, prope Gazophylacium (omnis mali ori-

A. M. 3882. V. 581.
Menelai Pſeudo Pontificis crudelitate immani Quomodo?

Oniæ mors proditoria.

* Quingenta & nonaginta argenti talenta univerſè.

** Talentis argenti trecentis, non tamen ſolutis.

originem) transmisit ad *Ditem* : *Iasonem* denique armata manu ex *Ammonitide* irruentem, ipse fugitivus in arcem, civium operâ repulit, vagumque per *Arabes*, *Laconásque* *Caini* instar pereuntem vidit & insepultum, digno pœnæ, ipsum quoque manentis, præludio.

A. M. 3884. V. 583. Jasonis interitus.

Mel. Quæ mala *Jerosolymæ* illata ab *Antiocho Illustri* ?

Judæorum strages sub eodem Antiocho quanta?

Leuc. Tanta, ut fidem propemodùm superent, nisi fidem faceret Tyrannus, quo truculentiorem non vidit Orbis, dictum vel ideo *Epiphanem*, quia inaudita tyrannide illustrem.

VI Antiochus totam subvertere Gentem ausus.

I. Imminentia fata, ostentis, ùt solet, malorum prodromis, jam priùs urbi nuntiaverant sidera, ignitis agminibus paradoxa prælia in attonito aëre per quadraginta noctes formantibus.

A. M. 3884. V. 583. Ostentis præfigurata: quibus? Agminibus igneis.

II. Incerta omina mox evolvit *Epiphanes* : Hic ubi per *Popilium Lænatem*, *Romanorum* Legatum, descripto in terra circulo, *Ægypto* cedere est compulsus, nuperrimo rumore de sua morte, *Iudæos* moliri quidpiam suspicatus, efferato animo, *Ierosolymam* properat, obsidione cingit, capit, & inaudito furore in Populum debachatur.

A. M. 3885. V. 584. Ab Antiocho impleta Cur? Ob suspicionem rebellionis.

III. Nam octoginta millia, promiscua cæde, nullo sexûs vel ætatis discrimine, trucidat, totidem abripit in vincula servitutis. 2. *Menelao* Ductore, in Sacrosancta adyta sacrilegus penetrat, vasa sacra diripit, thesauros effringit, talentis mille supra octingenta ablatis. 3. Et ne ipso absente Tyrannis deficeret, *Philippum* quemdam, *Phrygiæ* tigridem, ipso Rege magis cruentam, substituit, quem tamen *Menelaus* (quis credat?) Sacerdos & Pon-

Ccrudelitate quanta? In omnem sexum. In Templum. Totam Gentem. A. M. 3886. V. 585.

Pontifex, malorum omnium Opifex, parasangis plurimis superabat, adeò ut Lupus iste suorum Civium ulcera, cruentis ubique unguibus, exasperaret.

A. M. 3887. V. 586.

IV. Necdum satis: nam cùm in *Judææ* Gentis excidium Rex animum obstinâsset, sequenti anno *Apollonium* misit, duobus supra viginti millibus non tam militum, quàm carnificum stipatum, qui ficto Caduceo intromissus in urbem, tam diu quievit, usquedum Populus quietem in Sabbatho inchoâsset. Tunc enim verò, depositâ larvâ, ille furores *Antiochi* furere, vagâque ferri licentiâ proterere omnes, nisi quos fuga maturior in saltibus, & speluncis tyrannidi subduxisset. Quis jam fando explicet lamentabilem *Solymæ* faciem? 1. Ad lanienam & cruces tot sunt abrepti, ut rivis sanguineis compita stagnarent: defecerant vincula, quibus venalis sexus, & imbecillior ætas in servitutem abriperetur. 2. Incensæ ædes, urbs expilata, diruta mœnia, arx munita *Antiocheno* milite, ut civem quotidiana tyrannide coërceret. 3. Profanatum est Templum, & unicum Arca *Jovi Olympio* dedicatum; Prostibulis tradita sunt Templi prostibula; erecta Delubra, & Idolis immolatæ grunnientes victimæ, *Iudæis* vel solo nomine detestandæ. 4. Diplomate publico ad Gentilium sacra, ad esum suillæ, ad *Bacchi* orgia fluitantibus hederis celebranda, coacti omnes; Sacri Libri exusti, jugulatis iis, qui occultarent; antiquatæ Leges, prohibita Sacrificia, abolita Sabbatha, abrogata Festa, Circumcisio sublata: repugnantes conquisiti in ædibus, flagris cæsi, trucidati, quos inter gemina Mater, quæ circumcisis parvulis, ab ubere pendentibus, per urbem

Mox per Apollonium.

Incredibili ferè Tyranide Urbis Solymæ horrenda clade.

Et quam multiplici?

Cædibus.

Incendiis.

Profanatione Templi.

Religionis excidio.

bem raptata, & per muros acta in præceps; alii in ſpeluncis Sabbatha celebrantes combuſti. Verbo: vel *Iudæum* ſe ſolummodò dicere erat mortis piaculum: hinc *Antiochenum* nomen inductum, ſus déque verſa omnia, visáque, diſſimulante Cœlo, in agone eſſe vera Religio; adeò pietas omnis conſtricta tunc fuit vinculis, ut ſcelus, freno liberiore, dominaretur.

§. II.

De Heroibus Machabæis, qui ſe ſe Tyrannidi Regum Syriæ oppoſuêre, præcipuè de Juda Machabæo.

A. M. 3887. V. 586.

Legis Zelotes, Tyrannidi ſe opponentes, Qui? Eleazar. VII. At inſanis Eleazarus obſtitit auſis.

Mel. An nemo avitæ Legis Zelotes, huic procellæ ſe ſe oppoſuit?

Leuc. Eminuit *Eleazari* nonagenarii virtus, quem doctrina conſpicuum (nam inter 70. Interpretes fuiſſe legitur) Sacerdotii dignitas illuſtrem, illibata canities cunctis venerabilem fecerat.

Paſſus Cur? Ob eſum ſuillæ vetitum.

I. Raptatus ille *Antiochiam* juſſus eſt porcinam comedere, veluti certas mutatæ Religionis cupedias. Renuit ſcelus; & cùm amici larvam ſuaderent, ſcandaloſum exoſus palpum, veluti ſenio ſuo indignum, ultrò in tormenta ſe obtulit, tam liberaliter iiſdem exceptus, ut per mille cruciatus & vulnera Heroicam animam in limbum emiſerit laureatus Martyr.

Septem Machabæi fratres cum Matre affecti martyrio Quali?

II. Hujus Martyris cruor ſemen fuit, è quo mox octo excrevêre laureolæ. E gentilitio caſtro (*Suſandrum* nominant) ad *Antiochi* tribunal evocati ſunt ſeptem fratres, ætate diſpares,

dispares, virtute pares, Heroinâ unicâ nati Heroës. Ex una parte proponitur illis porcina, ex altera ostenduntur virgæ, scorpiones, taureæ, catastæ, equulei, bullientes pice sartagines: jubentur eligere; omnes eligunt Legem, cum Lege mortem. *Per tormenta varia & multiplicia.*

III. Primogenito (*Machabæum* communi Heroum nomine appellant) abscissa lingua, abstracta cutis, manus pedésque truncati, ipse in lebetem injectus est, tostúsque vivus. *Primus Quomodo?*

IV. Alter, *Abérem* dicunt, ad eandem lanienam abreptus, detractâ jam capiti pelle, cùm quæreretur, mallétne totam amittere, an lardi frustillum comedere? excoriari, comburique potiùs voluit, quàm fœdari. *Secundus.*

V. Tertius, *Machir* nomine, ultrò linguam resecandam, mutilanda membra, corpus laniandum carnifici præbuit, fortior in ferendo, quàm lictor in inferendo supplicio. *Tertius.*

VI. Quartus, *Judam* appellant, nihilo in supplicia tardior, eâdem Matre partum, eâdem Lege imbutum, eadem de causa moriturum se dixit: hinc eâdem carnificinâ laniatus, in æstuante aheno animam exhalavit. *Quartus.*

VII. Eâdem constantiâ quintus *Achas*, & sextus *Areth* nominatus, exprobratâ Tyranno immanitate, inter hortationes sollicitæ matris, flagris discerpti, cippo compressi, equuleo distenti, mutilati, decorticati, lebetibus ignitis immersi, desierunt vivere, ut meliùs viverent. *Quintus, & Sextus.*

VIII. Jam pudebat, & penè pigebat Tyrannum suæ sævitiæ; hinc tormentis in blandimenta conversis, natu minimo jurat honores, opes, delicias, amicitiæ Regiæ prærogativas, si modò jussis obtemperaret: vocatur seorsùm Mater, suadetur illi, meliora filio *Septimus quomodo tentatus, occisus?*

sua-

ſuadeat: & verò perſuaſam ſe ſimulat, patriáque linguâ filio ſuadet, atque perſuadet fratribus parem, dignam Matre virtutem. *Fili*, ajebat, *miſerere mei, quæ novem menſibus te portavi in utero, quæ lac triennio dedi, & alui: peto, Nate, ut aſpicias Cœlum.* Hinc proſiliens ultrò, exclamat parvulus Heros: *Non obedio præcepto Regis, ſed Legis*: dúmque Tyrannum caſtigat verbis, conteritur tot tormentis, ut exhauſtam ſe ſe, in tenello corpore, ipſa ſenſerit Tyrannis.

Matris fata Quæ?

IX. Lanienam, cæteris longè immaniorem, non tulit fortiùs tenellus Heros, quàm generoſiùs ſpectavit heroina Mater, quæ demum ipſa quoque infando ſupplicii genere conſumpta, & ſuo & Natorum ſanguine purpurata, tot lauros retulit, quoties in ipſa filii, illa in filiis Tyrannum vicit, & triumphavit.

Heroës Tyrannidis vindices, qui?

Mel. Quinam Heroës fuêre Tyrannidis vindices, & oppugnatores?

Mathathias cum filiis.

Leuc. Eorum Protoparens *Mathathias* fuit, è Sacerdotali Tribûs *Leviticæ* genere, oriundus familiâ *Joaribi* fortiſſimâ, *Aſſamonæi* Pronepos, quem dubites Virtus, an Fortitudo celebriorem Poſteris fecerit.

VIII. Vim repulit Mathathia Parens.

Genus quale? ex Tribu Levi.

Fuga.

I. Hic *Apollonio Jeroſolymis* graſſante, effugit cum quinque filiis, *Juda*, *Simone*, *Joanne*, *Jonatha*, & *Eleazaro*, maluítque in ſilvis inter feras leguminibus vivere, quàm inter homines tam feros ſuillæ opprobria intueri. Jámque *Jovi Olympio Iudæa*; *Iovi Xenio Samaria*, *Antiochi* tyrannide adacta, thus adolebat, cùm *Mathathias*, diviniore Zelo accenſus, cum ſuis prodire in publicum, jugúmque ſacrilegum excutere ſtatuit.

Occaſio Excuſſi jugi Tyrannici Quæ?

II. Occaſionem dedit *Apelles* Prætor, dixiſſem meliùs Lictor Regius, ab *Epiphane* conſtitutus,

ſtitutus, ut ad infames *Græciæ* ritus *Iudæam* Gentem compelleret. *Modinam* venerat, *Daniticæ* Tribûs montanum oppidum, juſſitque cives *Iovi* Magno incenſa ponere. Abnuit *Aſſamonæa*, quia DEO vero ſacra familia, cumque aſſentator quidam ſacrilegus exemplo præire impio, non formidaret, *Mathathias* ſtricto gladio irruit, immolavitque in ara victimam, Orco dignam: & ne ſola peteret Inferos, *Apellem* comitem junxit, Idolum diruit, aram evertit. Mox ad arma evocavit civem, quemcunque vera animârat Religio, nec contemnendo roboratus præſidio, ſilvæ avia petiît, dum intereà fugitivus manipulus, mille viri, in antro deprehenſi â vindice *Philippo*, *Vulcano* traditi, ſunt eò quòd vitam tueri religio *Sabbathi* prohibuiſſet. *Ritus gentiles.*

III. Intereà *Mathathias*, Dux electus & Pontifex, res afflictas utcunque cœpit erigere, Regis conatibus ſe ſe opponere, altaria profana diruere, ætatem teneram ritu patrio circumcidere, & ſuperſtitioſum Sabbathi otium tollere: verbo, Auroram Patriæ monſtrare, dum ipſe ſubitò occidit, infelici fato, nî orientem *Phœbum*, *Simonem* filium, mœſtæ Reipublicæ reliquiſſet. *Promota Quomodo? Mathathiæ virtute.* *Mathathiæ mors.*

Mel. Quænam Judæ *Machabæi* primæ victoriæ? *A. M. 3889. V. 588.*

Leuc. Iudas Mathathiæ filius, paternæ virtutis ex teſtamento relictus hæres, cognomento *Machabæus*, â militari teſſera *Machabi: Quis ùt DEUS?* Religionis avitæ Vindex, Patriæ Pater, *Syriæ* Terror, Heros, quem ſubjugando Orbi *Mars* ipſe eligeret, tot palmas demeſſuit unus, quot tres *Syriæ* Reges, Ducéſque plurimi, immenſis viribus illi plantare vix poterant. *Judas Machabæus Quis?* IX. Quam fortis Judas non ſemel atrivit.

I. Per

Ejus victoriæ Quales? Contra Apollonium.

I. Per excursiones & minoris notæ certamina, è speluncis prima dedit præludia: mox aperto Marte *Apollonium Samariæ* Prætorem aggressus, ingenti clade prostratum & vitâ exuit & ense, quo posthac, veluti felici spolio usus est contra hostes.

Seronem.

II. Tum *Seronem*, militiæ supremum Ducem, iteratâ clade repulit victor: brevíque *Nicanorem*, fortunæ suæ adeò confisum, ut mercatoribus jam ante pugnam *Iudæos* certè vincendos venderet, ad oppidum *Emaunta* cæsis 12. millibus profligavit.

Nicanorem.

Gorgiam.

III. Succedentem in belli palæstra *Gorgiam*, incensis irruptione subita castris, fulminis instar obruit, magnáque clade è *Judæa* exturbavit, relatis amplissimis spoliis, quæ victor pauperibus, & orphanis afflictæ Patriæ divisit.

Ptolomæum, Bacchidem, Timotheum.

IV. Supererat *Ptolomæus*, *Cælesyriæ* Dux, quem etsi *Bacchidis Timotheíque* copiis auctum, sic tamen acie fudit *Machabæus*, ut 20. millium strage vertere terga coëgerit. Fuit victrix manipulus, qui non nisi septem millia explebat, indemnis prorsus, immò & auctus indies, multis sub signa *Iudæ* victricia convolantibus.

A. M. 3890. V. 589. Lysiam.

V. Denique & ipse *Lysias*, quem *Antiochus*, armis *Asiam* infestaturus, *Syriæ* Proregem præfecerat, ingenti exercitu, sexaginta quinque militum millibus, *Iudæam* petiit; cui cum decies mille viris, sed virtute ex Alto priùs firmatis, occurrit *Iudas* propè *Bethoron*, cæsisque non nisi quinque hostium millibus, totum exercitum in fugam vertit, *Lysia Antiochiam* se se recipiente, qui expertus jam senserat, rem cum Heroibus agi, quibus decretum vincere, decorum mori.

VI. Tan-

VI. Tandem ut multiplicis palmæ fructum legeret Patria, *Jerosolymam* victor ingressus est; cúmque eam vidisset, triennio sic desolatam, (a) ut esset *sicut desertum*, (b) *exustis* ubique *portis*; cùm aspexisset Templi semiruti faciem horridam, profanatas sacrilegiis aras, atriáque virgultis, silvæ instar, squalentia, totúmque locum sterquilinio, quàm Templo similiorem, proruentibus lacrymis confusus, ingemuit. Hinc qui hucusque Ducem, jam summum egit Antistitem, sanctitatem Templi repurgare aggressus: sine mora ejecit sordes, *Jovem Olympium* confregit, sacris ritibus expiavit locum, novum altare DEO, victoriæ Largitori, consecravit, Sacerdotes elegit, instauravit sacra, Libros sacros restituit, & meliorem sacræ Ædi faciem induxit, Encœniis per octiduum magno Populi jubilo celebratis. Immò Templum turribus, validóque præsidio muniit, ne *Syrus* miles, ex *Sionæa* arce Sacerdotum turbare Officia, Templique Majestatem polluere infestis ausibus attentaret. *Templi desolati reparatio.* *Facta Quomodo?*

Mel. Quæ sub hoc tempus *Judæ Machabæo* allata nuntia? *A. M. 3889. V. 588.*

Leuc. Infelix primum, felicius alterum. *Onias* junior, *Oniæ* III. degener filius, cùm occiso Patre, in *Ægyptum* se recepisset, Templum *Solymæo* æmulum, reverâ vanæ gloriæ Delubrum, moliri cœpit, *Ptolomæo* ambitiosæ novitati adeò non refragante, ut etiam locum propter *Heliopolim*, sumptúsque obtulerit, Religione schismatica, contra leges *Mosaicas*, in tertium usque sæculum (c) duraturâ. *Memorabilia hoc tempore Quæ? Templum Schismaticum in Ægypto. Cur, & A Quo?*

(a) 1. *Mach.* 3. 45. (b) 2. *Mach.* 8. 33.
(c) 237. *annos.*

A. M. 3891. V. 590. Mors Antiochi Qualis?

I. Alterum erat, *Antiochi* mors. Hæc erat vitâ Tyranni digna: nam auditâ multiplici suorum clade, reversus in *Syriam*, vindictæ destinavit *Judæam*, eo furore, ut cœmeterii faciem *Ierosolymæ* minaretnr. Hinc spirans cædium, aurigantibus Furiis, prævolavit exercitum: sed ecce! elephantis barritu turbati sonipedes, de curru excussêre sessorem, abdominis pondere tam graviter afflictum, ut accedentibus viscerum tormentis, vix non mentis impos, raperetur in rabiem. Agnovit ille, quia sensit, cruentæ tragœdiæ â DEO datam catastrophen: hinc votis Superos flagellavit, quibus *Hierosolymæ* Templum, *Iudæorum* jura, privilegia, fortunas restituturum ex integro; immò ipsi circumcisioni submissurum se juratò promiserat, si sibi denuò redderetur. Sed Divina Nemesis risit hæc vota, minimè seria, quia sera: hinc gravioribus flagris incubuit. Mœror, dolores, & ipsæ Furiæ agitabant mentem, pediculorum sordes radebant cutem, vermes viscera depascebant, cadaver vivum defluente tabo, tam fœtidam efflabat pestem, ut derelictus â toto exercitu, se ipsum ampliùs non ferret: usquedum morte, diu vota fugiente, contabuit, Tyrannidis vivum, Divinæ Nemesis exanime Speculum. (*a*)

A. M. 3891. V. 590. Status Judææ sub Antiocho Eupatore Rege Syriæ Quis?

Mel. Quis Reipublicæ *Hebrææ* status, sub *Antiocho Eupatore* Rege *Syriæ?*

Felix Judæ Machabæi victoriis contra Gentes finitimas: Quomodo?

Leuc. Machabæo Duce, non poterat non esse felix, utpote cui fœdere junctus militaverat æther. Nam primò finitimas Gentes, reparatæ Religionis splendore offensas noctuas, divisis cum *Simone* copiis, eâdem utro-

(*a*) *a. Regni 13.*

trobique felicitate repulit, ac debellavit. (*a*) Intereà *Josephus* & *Azarias*, *Iudææ* Prætores, obsidebant *Iamniam* infeliciter, quia leviter, absente *Iuda:* unde à *Gorgia* repulsi, duorum millium clade, quibus piaculari Sacrificio ad liberandas (*b*) igne lustrico animas est parentatum.

II. Sed modicam cladem pluribus palmis mox reparavit *Iudæ* fortuna: nam *Timotheo*, novam aleam tentanti occurrit *Iudas* non copiis, sed DEO fretus, quem fœderatum vexilla quatuor litteris M. C. B. J. *Quis similis tui in fortibus Domine?* præseferebant. Oriente *Phœbo* ancipitem sensit fortunam; mox Cœlo missis suppetiis (Angelicos Athletas puta, quorum tres aciei frontem, duo Ducem tutabantur) secundam adeò est expertus, ut Barbari, Cœlestium Pugilum fulgore, intortísque fulminibus territi, oculísque capti conciderent: strages plùs quàm 20. millia absumpsit, ipso *Timotheo* in *Gazaram* profugo, & cum *Chærea* fratre, ac *Apollophane* jactas ex urbe blasphemias suo sanguine mox eluente.

Contra Timotheum Cur?

III. *Timothei* cladem ulturus *Lysias* ingenti exercitu (80. millia peditatus solus expleverat) *Iudæam* inundat. *Iudas*, propitiato iterum Numine, suos ducit in hostem: fallor, Angelus ducebat, equestri habitu, ornatu candido, armis aureis conspicuus. Hoc Duce animatus miles irruit in hostium aciem, ultrà 21. millia proterit, partem magnam sauciat, omnes castris exutos fugat, ipso Duce ignominiosè terga vertente, & ad Pacis conditiones animum adjiciente, quas etiam *Macha-*

Contra Lysiam Quomodo?

(*a*) *1. Mach. 5. à v. 17.* (*b*) *2. Mach. c. 12. v. 42. & seq.*

chabæus, quia tranquillitatis publicæ amicus, ratas habere non recusavit.

Contra Pacis violatores.

IV. Sed radices agere Oliva non poterat, *Antiochi* Ducibus, ut amat hoc hominum genus, discordias nunquam non seminantibus. *Joppitas*, qui plusquàm ducentos proditoriè in mari submerserant, incenso portu, flammâ ferróque ultus est *Iudas*: eadem pœna *Jamnitas* mansit, quia eandem culpam tentantes. Alios quoque, quibus volupe erat irritare *Hebræum Martem*, *Machabæus* hic *Hercules* domuit, semper Victor, ubicunque fuit, quem vinceret. Hos inter erat præsidium in arce *Sionis*, quod eruptione frequenti Civibus infestum, obsidione clausit, hostiles impetus ferre ut disceret, non inferre.

Contra ipsum Eupatorem causa Quæ? A. M. 3892. V. 591. Quis modus?

V. Res ista offendit *Eupatorem*, *Lysiâ* gliscenti animo flammas haud segniter sufficiente. Hinc cum decem & centum peditum, viginti equitum millibus, turritis elephantis triginta duobus, quadrigis falcatis trecentis *Jerosolymam* petit. *Iudas* arcis obsidionem solvere compulsus, cùm impares suorum vires, non animos cerneret, noctis præsidio hostem aggreditur, quater mille mox primo impetu prostratis. Rex furore percitus eodem belluas efferat, mille quingentis præsidiariis firmans singulas, apparatu tanto, ut clypeis æreis, aureisque montes attoniti resplendescerent.

Eleazari quale facinus?

VI. *Eleazarus*, *Judæ* frater, hoc splendore attractus, per cuneos, per mille mortes sub Elephantem, quem Regium existimârat, ausu heroico penetrat, pugione sternit, & ipse belluâ prostratus, sepultúsque *Mausoleo* tali, quo gloriosius nullum illius temporis conspexit ætas. *Iudas*, etsi minimè inglorius, quia

per

per sexcenta cadavera eluctatus, multitudini cedere satiùs duxit, & *Ierosolymam* se recepit.

VII. Rex intereà, occupatâ *Bethsurâ*, ipsam quoque *Solymā* subegit, non tamen Templum, quod propugnaculis firmis tam diu defendit *Iudas*, dum domesticæ turbæ *Eupatorem* avocarent in *Syriam*. Recessit stabilitâ pace, sed tali, quæ decuit Tyrannum, quia perfidâ: nam contra fidem munimenta Templi disjecit, *Menelaum*, omnium malorum fontem, ignibus extinxit: sed quia substituit Sacerdotio lupum parem (puta *Alcimum*,) Rex ipse vix reversus in *Syriam* pœnas dedit, â *Demetrio* extinctus unà cum *Lysia*, Tyranno, ùt solet, Tyrannis debitum solvente naulum. *A. M. 3895. V. 592. Qualis exitus?*

Mel. Quæ *Iudæ* & *Iudææ* fata sub *Demetrio* Rege *Syriæ?* *A. M. 3893. V. 592.*

Leuc. Gloriosa, quia Ducis hujus gloriosâ morte coronata. *Judææ fata sub Demetrio Sotere, Rege Syriæ Quæ?*

I. *Alcimus Iudææ* flagellum, quia Pseudo-Pontifex, cùm apud *Demetrium* argento se dealbâsset, calumniisque denigrâsset *Iudam*, Antistitem æmulum, missus est cum *Bacchide* Duce, ut armîs de Infula decertaret. *Iudas* elusis primò insidiis, mox etiam armis, *Nicanorem*, novum *Demetrii* Ducem, sibi attraxit. Sed & istum cùm virtus conciliâsset, avertit denuò *Demetrii* furor, adeò ut Templo exitium minaretur, nî Templi Antistitem ultrò traderet *Solyma.* (a) *Belli causa Contra Nicanorem. Alcimus Pseudo-Pontifex.*

II. Minas tyrannide mox confirmavit: nam *Rasiam*, Divinæ Legis Zelotem, cùm in ædibus vellet comburere, is pugione in viscera adacto, se se dedit ex alto præcipitem, & jam jam animam agens, projecit viscera in Tyrannos, tyrannidem ut palparent, & erubescerent. *Rasiæ facinus Quale?*

(a) *Vide l. 2. Mach. c. 19.*

cerent. Sed incaſsùm cecidêre bruta *Nicanoris* fulmina.

Belli exitus Quis?

III. Nam Cœlum aliter ſtatuit, *Oniâ* III. & *Ieremiâ*, geminis olim *Hebrææ* Reipublicæ fulcris, pro Populo deprecantibus, quorum poſterior *Iudæ* porrigere gladium in ſomnio viſus eſt. Hoc animatus Heros tam feliciter ſæviît in hoſtem, ut triginta quinque millibus proſtratis, ipſe *Nicanor* caput amiſerit, qui *Iudam*, *Ieroſolymæ* Caput, amiſſum ibat. Lingua contra Templum ſacrilega, minutim conciſa eſt; caput cum humero contra Templum, anathematis locò, ſuſpenſum eſt, ut intelligeret Orbis, quàm proportionatam culpæ infligere pœnam Divina Nemeſis ſoleat.

A. M. 3894. V. 593. Bellum alterũ contra Bacchidem Cauſa Quæ?

IV. Tantam victoriam, qùis credat? mox obſcuraverat clades, qua majorem non ſenſit *Solymæ*; nam uno in Duce multiplicem exercitum amiſit. Hic cùm Rempublicam â *Syria* toties attritam, miſſo *Eupolemo*, *Romano* fœdere fulciret, offendit *Demetrium*, qui illicò ingenti exercitu (nam in *Syria*, fungorum more, militem creviſſe putes) *Iudæam* denuò infeſtabat.

Fortunæ Qualis?

V. Vidiſſes hîc ſub tentoriis viginti duo militum millia, Duce *Bacchide*, *Alcimo* proditore: ibi vix tria millia in *Iudæ* exercitu numerâſſes. Immò ex his ipſis, multitudine hoſtium territis, non niſi octingenti in arena conſtantes, ſic *Machabæo* ſpiritu animati pugnârunt pugnam, ut *Bacchidis* dextrum cornu proſtraverint. Sed tandem undique concluſi, non modò hoſtes, ſed totam diem pugnando laſſârunt, non victi niſi occidente *Phœbo*, quocum & *Iudææ Phœbus*, *Iudas* occubuit. Eclypſin ſenſit Reſpublica, Victoris tyrannide ſic deformata, ut crediderit tandem Prophe-

Iudæ Machabæi mors illata, Quomodo?

tarum

tarum oraculis, quibus mala à DEO prævisa, pridem illi prædicta sunt, ne visa postmodùm miraretur.

§. III.

De fatis Reipublicæ Judææ sub Machabæis reliquis.

A.M. 3894. V. 593.

MEl. Quæ post *Judam* Reipublicæ *Hebrææ* fata sub *Machabæis*, cæterisque Regibus *Syriæ*?

Fata Reipublicæ Judææ sub Machabæis, & reliquis Regibus Syriæ Quæ?

Leuc. Ubi incredibili luctu *Iudæ* Manibus est parentatum in *Modin*, Pietate sepultâ, Impietas erexit caput, apostatis turmatim *Bacchidi* se adjungentibus. *Ionathas* in Ducem, & Pontificem electus, cum manipulo deserta *Thecnana* petiît, *Bacchidémque* furiosè insecutum, propemodùm capitali censu, certè virorum mille impendio multavit, ipse cum suis ad *Iordanis* ripam feliciter eluctatus.

Jonathæ Successoris victoria contra Bacchidem Qualis?

X. Jonathásque, Simónque repressit.

II. Post hæc *Ioannem* Fratrem, nuper â *Jambræis* in *Madaban* proditoriè interemptum, ultus est ferro, turbatísque ibidem nuptiis, non invitatus hospes, proditores Fratri inferias transmisit.

Ultio occisi Joannis Quæ?

A. M. 3895.

III. *Alcimus* quoque, ut probaret se Pseudo-Pontificem, interiores Templi muros diruere aggressus, repentina paralysi vitam finiît, nullis mœnibus clausa ingressus subitò Tartara.

Mors Alcimi Pseudo-Pontificis Quæ?

A.M. 3897. V. 596.

IV. Intereà transfugarum insidiis petitus *Ionathas*, cùm 50. Primipilos multâsset morte, evocatus denuò adfuit *Bacchides*; sed & isto magnâ clade confuso, malorum Authores ab ipso *Bacchide* retulerunt mortem, *Ionathas* pacem

Pax cum Bacchide Quomodo?

cem obtinuit, qua neutiquam malè usus est ad Reipublicæ commoda.

A. M. 3902.
V. 601.
Jonathæ merita in Patriam Qualia?

V. Nam sede fixâ in *Machmas* ab *Alexandro Bala*, Rege *Syriæ* cultus, & ipse opportuno hoc tempore excoluit Patriam, renovato cum *Romanis* fœdere, restauratis *Ierosolymæ* mœnibus, aliisque Gentis suæ præsidiis.

A. M. 3911.
V. 610.
A. M. 3912.
V. 611.
Jonathæ captivitas per Tryphonem facta Quomodo?

VI. Sed diu tranquillo esse non licuit: Nam *Tryphon*, *Syri* cujusdam famosum nomen, postquàm *Nicanorem Soteris* filium, Solio deturbârat, *Antiochi Balaidis* etiamnum impuberis, Tutorem mentitus, reverà Proditorem egit, ut occiso Pupillo Regem ageret Tyrannus. Cruentis consiliis obstare visa *Ionathæ* pietas: hanc ergò remoram vi amovere non ausus (nam 40. armatorum millia sub signis tunc numeraverat *Machabæus*) vulpem induit, astuque simulati fœderis cordatum Virum aggressus est. Hic suo candore metitus palliatam hanc Tigridem, inconsultus (quia non consulto Numine) primò triginta septem; mox etiam duo millia *Ierosolymam* missa fecit, nec nisi selectis mille pedissequis *Ptolemaida* est ingressus, sui utique nimiùm securus Hospes. Sed captâ ferâ mox clausa est cavea, interfecti comites, *Ionathas* datus in vincula; quem cùm redimere exercitu valido pararet *Simon*, *Tryphon* fraudibus prætexens fraudes, custodiæ causam allegaverat debitum, quod si talentis argenti centum, vadibúsque Filiis expungeret Frater, vinculis solutum Fratrem esset illicò recepturus.

Mors proditoria qualis?

VII. Latere non poterat *Simonem* faba, in Fratris cusa perniciem: sed ne ambitionis, avaritiæ, aut crudelitatis notam apud Plebem incurreret, Nepotes cum lytro mittendi erant, qui

qui vix attulerant naulum, cùm duplicatâ perfidiâ & ipsi & Pater violentâ morte sublati sunt à Tyranno.

Mel. Quid memoratu dignum de *Simone Machabæo*?

Simonis Machabæi Ducis, atque Pontificis fata Quæ?

Leuc. Ionathâ cum gemino Filio in *Modin* magnificè sepulto, Dux ipse & Pontifex renuntiatus, *Machabæum* se se monstravit, puta Patriæ Patrem, & immortalis gloriæ Heroëm. Nam I. contra *Tryphonis* Tyranni vota (qui occiso Pupillo Thronum conscenderat) *Nicanoris*, tunc etiamnum exulis, partibus accessit, initóque fœdere Patriam plenæ restituit libertati, postquàm sub vectigali *Græcorum* jugo centum & septuaginta annos, per Reges *Syriæ* pressa, jam ingemuerat.

A. M. 3912. V. 611.

Restituta Patriæ libertas Quomodo?

II. *Iudææ* munimentis contra hostem extraneum firmatis, etiam *Sionæam* arcem recuperavit, ejecto per triennalem famem hostili præsidio, quod per annos viginti septem ex importuno hoc receptaculo *Ierosolymam* infestârat.

A. M. 3913. V. 612.

Arx Sion recuperata Qui?

III. Jam sexagenario major, cùm *Antiochum Sedetem*, tunc Regem *Syriæ*, denuò hostem experiretur, *Ioannem* Filium cum viginti millibus eidem obviàm misit, qui *Cendebéum*, *Antiochi* Ducem, tantâ clade in *Syriam* remisit, ut posthac eminus astu, quàm ferro cominus *Simonem* perdere maluerit.

A. M. 3917. & 18. V. 616. & 3.

Victoria contra Antiochum Sedetē Qualis?

IV. Et verò cruentis consiliis uti nunquam, ita neque hìc defuit Proditor, *Ptolomæus* nomine, vir æquè copiosus ac sceleratus, quem opes *Simonis* Generum, & *Ierichuntinæ* ditionis Prætorem; honores Generi æmulum, & Parricidam effecerant. Hic Mitræ splendore ab *Antiocho* illectus, *Simonem* cum tota Familia in arcem *Docham* pro-

A. M. 3919. V. 618.

Mors proditoria Cur? à Quo? à Ptolomæo Genero.

 po

Quomodo? pe *Iericho* invitârat: comparuit *Simon* cum Filiis, nil malæ fraudis suspicatus de Genero: cùm ecce! inter media convivii gaudia, Sicariis lessum subitò intonantibus, Patrem cum gemino Filio *Iuda* & *Mathathia* jugulari imperat Proditor, etiam quartum funus *Ioannis* (quem tunc absentem *Gazaræ* negotia detinebant) per emissarios additurus, nì is tempestivè præmonitus, fata prior Proditorum sanguine redemisset.

Ultio qualis? V. Absque mora advolat cum exercitu *Ioannes*, ulturus Patrem; sed quoties in Templum *Dagonis*, quò se receperat Parricida, assultus tentatur, toties is Matrem *Ioannis*, muro expositam, cruentis flagellis dilaniat: quæ etsi Filii tela & vindictam, vel suo funere sumendam, ultrò expeteret, tamen cruenta facies avertit Filium, ut obsidionem solveret; non avertit Tyrannum, quò minùs Socrum cum reliqua familia perderet. Ita *Iosephus*, ex illo alii, veréne an fictè, ùt *Salianus* judicat, alii judicent.*

Fortuna Ioannis, Ducis atque Pontificis, Quæ? *Mel.* Quæ fortuna *Ioannis*, cognomento *Hyrcani*, Ducis atque Pontificis?

A. M. 3920. V. 619. Jerosolyma obsessa, ab eo liberata Qui? *Leuc.* Cæteris melior: nam etsi à *Ptolomæo* Proditore evocatus *Antiochus Sedetes* septem castris conclusam premeret *Solymam*, eóque urgente fame jam redegisset, ut ultima meditaretur, *Ioannes* tamen, DEO haud dubiè fretus, ob Scenopegiæ festa inducias petiit, & quod mireris, non modò impetravit, sed etiam victimas, aureásque pateras pro Sacrificiis, ipsámque Pacem, tributario onere venalem, obtinuit.

A. M. 3922. V. 621. Hyrcani cognomen unde? II. Tum *Antiocho* in expeditione *Parthicâ* factus Comes, *Hyrcanis* gloriosè devictis, cognomentum *Hyrcani* adeptus est Victor.

III. *Sede-*

** Consulendi in seqq. L. 3. & 4. Mach. Josephus, & alij.*

III. *Sedete* in Templo *Nanneæ* inter Populi saxa sepulto, *Ioannes Hyrcanus* mox iterum vectigali excusso jugo, Patriam in priorem asseruit libertatem.

Liberata Patria. A. M. 3924. V. 623.

IV. Subin *Idumæam* armis victricibus debellavit, subditis vel ad Religionis *Iudaicæ* Sacra, vel ad exilium compulsis. * Templum quoque *Samaritanum*, perpetui Schismatis Delubrum, ante ducentos circiter annos à *Sanaballo* erectum, unà cum *Samariæ* Metropoli, tot scelerum matre, funditùs evertit: denique ut Religionis unitatem * in Regnum rursùs induceret, officiosa epistolâ *Iudæos*, in *Ægypto* commorantes, ad abolendum *Oniæ* schismatici Templum sollicitè invitavit.

Idumæa, & Samaria subacta, Quomodo?

V. Sic de Republica optimè meritus, post triginta annorum felicissimum regimen, uti vixit, sic obiît, pacificè scilicet, raro si non unico inter *Machabæos* exemplo, forsan non invidendo, si, ùt *Iosephus* testatur, Religionis veræ in vita Fautor, sub vitæ finem ipse in hæresin *Sadducæorum* deflexerit.

Mors qualis? A. M. 3050. V. 649.

Mel. Quis in regimine successit *Hyrcano?*

Leuc. E quinque Filiis *Aristobulo*, quia natu maximo, hæreditate obvenerat Mitra cum ducali Pileolo, auspiciis adeò pacatis, ut *Antigonum* Fratrem, rarâ sanè concordiâ, Principatûs sui & Consortem vellet, & sustineret.

Aristobulus Successor famosus Cur? XI.

II. Sed postquàm Ambitio Coronam Regiam (decus â captivitate *Babylonica* hactenus insuetum) ejus imposuit capiti, mox solium stipârunt pedissequæ, Discordia & Tyrannis.

Lapsa sub Hyrcanis sed tantæ Gloria stirpis. *A. M. 3951. V. 650.*

III. Has

* An subditi ad Religionem veram vi et armis compelli possint? *Vide Coll. Histor.*

** An unitas Religionis in Regnis fovenda, & Cur? *Vide Coll. Histor.*

Ambitione ob Regium Titulum. Crudelitate in Matrem, & Fratres.

III. Has enutrivit *Salome*, alio nomine *Alexandra*, Regina non minùs turgida, quam ſceleſta, quæ ſubdolis artibus ſic Regis animum exulcerârat, ut vana Sceptri formidine tres Fratres damnârit carceris ſqualore, Matrem propriam enecaverit fame, ipſum *Antigonum*, velut Regni æmulum, cruenta morte ſuſtulerit.

Infami morte.

IV. Sed Fratricidam non lento pede ſecuta eſt Nemeſis: nam diris conſcientiæ ſtimulis agitatus, morbum lethiferum contraxit, primóque invidioſi regiminis anno cum ſanguinis vomitu ſceleſtam exſpuit animam, manifeſto Divinæ ultionis indicio, cùm ſervorum quiſpiam cruentam ſaniem foras efferens, eodem in loco effuderit, ubi cruoris fraterni maculis etiamnum terra erubeſcebat.

A. M. 3952. V. 651. Alexander Jannæus in ſolium elevatus Quomodo? Ejus indoles, Quæ?

Mel. Quis ſucceſſit *Ariſtobulo?*

Leuc. Fratri ſucceſſit Frater, ve potiùs lupo *Hyrcana* Tigris, *Alexander Jannæus*, quem *Alexandra* è carcere elevârat ad ſolium, dignum elevante Furiâ Tyrannum. Hic etiamnum catulus *Hyrcano* Patri erat adeò inviſus, ut ejus conſpectum non ſuſtineret, & in *Galilæa* educandum ablegaret è Patria: adeò in ejus vultu jam emicabant cruentæ Tigridis maculæ, ut *Iudæorum Neronem* non immeritò Poſteri appellârint. Nam

Ambitio Qualis? Contra fratrem.

I. Ipſum regiminis limen Fratris, quem æmulum ſomniabat, ſanguine fœdârat; alteri, quem *Abſolonem* nominant, indulſit vitam; quia ſponte elegit miſeram, pauperem ſcilicet & privatam.

A. M. 3953. & 54. V. 652. & 53. Perfidia contra Lathurum Quanta?

II. Ambitioni ſucceſſit Perfidia: nam *Ptolemaidem Syrorum* ope ob inteſtina diſſidia tunc deſtitutam cùm cinxiſſet arcta obſidione,

ne, *Lathurum Ægypti* Regem, ſuppetias ferentem, aſtu perfido eluſit diu, usquedum detractâ larvâ ad *Jordanis* ripam tam cruentâ clade multatus eſt, ut triginta ſuorum millia uno prælio amiſerit, ita DEO Pontificis perfidiam vindicante.

A. M. 3955. V. 654.

III. Cæſorum Manes ut cruentis placaret inferiis, urbem *Gazam*, quia *Lathuro* fœderatam, oppugnare aggreſſus eſt: ſed quam deditione honeſtâ acceperat, mox turpi perfidiâ diruit, omnibus prorſus, ſi modò vitalem ſpiritum traherent, inauditâ ferri licentiâ proſtratis.

A. M. 3957. V. 656. Contra urbem Gazam quàm cruenta?

IV. Perfidiam excepit Tyrannis: nam *Jerosolymam* reverſus, pauculorum ſeditioſa molimina ſex millium cruentâ clade oppreſſerat: denuò cùm â Tyranno deſciſcerent, ſexaginta civium millia furori tyrannico immolavit.

A. M. 3958. V. 657. Ejus Tyrannis in Cives.

V. Etiam Exteris ſuorum ſanguinem liberaliter propinavit. Injuſto bello *Arabiam* cùm laceſſiſſet, in inſidias tractus totum amiſit exercitum, camelorum pedibus obtritum: ipſe vix fugâ elapſus, ſuo damno didicit, injuſta arma etiam beſtiis exoſa. Immò & â *Demetrio* Rege *Syriæ*, quem contra Tyrannum ipſa evocaverat *Judæa*, ingenti clade proſtratus eſt, quam tamen ipſe mox ultus in ſuis, ſpectaculo, ad quod ipſa erubuit Tyrannis, riſit Tyrannus.

A. M. 3960. V. 659. Infelicitas in bello.

VI. Nam octingentos *Phariſæos* bello captos, quos ipſe ratus eſt averſæ Plebis Authores, cùm in patenti Aula inter Pellices græcaretur, è regione crucibus affigi juſſit, Uxoribus quoq; & Liberis in eorum conſpectu immaniter jugulatis, & octo inſuper millibus in exilium ejectis.

Crudelitas contra Phariſæos.

VII. Tot

A. M. 3978.
V. 677.
Mors pacata & honorifica Cur?

VII. Tot Civium ſanguine natantem, nihilominùs firmavit thronum, ut mireris, non ſicca modò morte defunctum, ſed etiam magnificè ſepultum. Rationem allegant primò: quòd *Syriâ* per ſe ipſam divisâ, is piſcatus in turbido, *Iudææ* ſines haud modicè ampliârit. Secundò: quòd lenta febri, quam temulentia illi adſciverat, ſenſim ad extrema deductus, author Conjugi fuerit, *Phariſaicam* factionem, tunc potentem, ſibi arctiùs conciliaret, etiam tradito ſuo cadavere, ad illorum arbitrium tumulando: quæ res ſic odia mitigavit, (a) ut nunquam legeris Tyrannum, crudeliùs ſævientem in ſuos, honorificentiùs ſepultum â ſuis, exemplo raro, ſi non unico in Faſtis hiſtoricis.

Obſervationes.

Obſervationes Politicæ Quæ?

Mel. Quæ Obſervationes *Politicæ?*

Cauſæ malorum iu Judæa. Ambitio Pſeudo-Pontificum.

Leuc. Multas inſinuant ſacratioris Ethicæ Authores: illam imprimis, qua præcipuam malorum cauſam, quibus afflicta â Regibus *Ægypti* & *Syriæ* fuit *Iudæa*, Ambitionem Pſeudo-Pontificum adſtruunt. Hi enim minimè veriti, licitari Mitram ſacris Templi theſauris; faſtum fovere per Schiſmata, per inteſtina bella, per advocata Regum *Syriæ* arma, per proditiones ſacrilegas, per tyrannidem, ut adeò mirum non fuerit, Rempublicam ſic â proprio Capite laniatam, Exterorum ferro attritam, toties *Syriæ* ſuccubuiſſe.

Principia Pſeudo-politica.

II. Obſervat celebris noſtri temporis Author, *Jonatham*, Virum cordatum, *Tryphonis* Pſeudo-Politicæ ſuccubuiſſe, cujus primum erat principium: *Nullum ex animo amicum crede, nec ulli te exhibe, ſed verbis ſimula, quaſi eſſes.* 2. *Priùs domi ad omnem fabu-*

(a) *Reg. A. 17.*

fabulam compone vultum, ne quid affectûs veri in facie sublucescat. Sed his acclamat *Ecclesiasticus: (a) Væ duplici corde, & labiis scelestis!*

III. *Machabæa* progenies monstrat, unde in bellis petendæ armorum vires: *(b) Præliabantur prœlium Israël cum lætitia:* tantum animi suggerit causæ bonitas! Militaris tessera *Auxilium DEI*, tam Heroicos illis spiritus sufficiebat, ut *Leonum more in hostes (c)* irruerent. Rectè *Alphonsus Arragoniæ* Rex ad suum Filium: *Ne tantum tuæ, aut commilitonum audaciæ tribuas, ut putes, absque Numinis auxilio victoriam ullam haberi posse. (d)*

Vires in bello petendæ à DEO.

Mel. Quæ Observationes Christianæ?

XII. Observationes Christianæ Quæ?

Leuc. Divina Providentia in protegenda vera Ecclesia. Templum, Urbem, totámque Gentem *Iudaicam* ab *Alexandri* M. furore non præservavit solummodò, sed etiam prodigiosa in Regum animos potestate, illius favoribus protexit; tot inter Pseudo-Pontifices fluctuantis Synagogæ cymbulam rexit ipsamet, servavítque tot inter procellas incolumem: verbo, Populum suum, per *Syriæ* tyrannos propemodùm contritum, *Machabæorum* virtute erexit; per Omnipotentiæ suæ Brachium excelsum tam mirabiliter defendit, ut portæ Inferi nunquam potuerint prævalere.

Divina Providentia In protegenda vera Ecclesia.

II. Eadem Divina Providentia *in Ecclesia Christi adumbranda:* hanc enim genuinis coloribus expressit *Machabæa* Mater, quæ in septem Filiis tot Martyrum myriades præfiguravit: sic in *Eleazaro Christum*, Idololatriæ

In adumbranda.

(a) *c. 2. v. 14.* (b) *1. Mach. 3. v. 2.* (c) *2. Mach. 11. v. 11.* (d) *Panormit. l. 3. de dictis Alph. c. 51.*

triæ Everſorem; in *Machabæis* Heroibus Servatorem, Scripturæ ſacræ Interpretes velut in typo prodromo agnoſcunt.

In illuſtranda Virtutum exemplis.

III. Denique, memorabilis Divina *Providentia in Eccleſia ſua virtutum exemplis illuſtranda.* Tot inter ſacrilegos Myſtas eluxit *Oniæ* III. Virtus & Pietas, cujus precibus ſic flagellata *Heliodori* eſt avaritia, ut ſatis ſenſerit, nil magis inviſum Superis, quàm ſi Principes theſauris ſacris manus ſacrilegas inferrent. Eluxit inſuper *Machabæorum* Fortitudo, Legis obſervantia, Fides, Martyrium. *Mathathiæ* Zelus, *Aſſamonææ Familiæ* auſus prorſus heroici, quibus veluti magnitudinis primæ ſideribus Synagoga fuit tunc illuſtrata: eluxit denique Divina Juſtitia in *Epiphanis* Tyranni morte, dum dixit: (*a*) *Nunc reminiſcor malorum, quæ feci in Jeruſalem:* Idem fœtorem ipſe ſuum non ferens ampliùs, hoc Veritati tandem teſtimonium dedit: *Juſtum eſt ſubditum eſſe DEO, & mortalem non paria DEO ſentire.* (*b*)

Obſervationes Polemicæ Quæ?

Mel. Quæ Obſervationes Polemicæ?

Leuc. Hybnerus ſilet; quia forſan hìc conſentit *Luthero*, & *Machabæorum* libros Albo Canonico expungit, ne lux avitæ veritatis oculos Acatholicæ Juventutis nimiùm perſtringat. Doctrinæ *Hybneri* morales ſupplendæ breviter.

I. *Machabæorum* libri, per antiquiſſimam univerſalis Eccleſiæ traditionem, & jam à ſæculo III. habiti ſemper velut Canonici, ùt teſtis eſt *D. Cyprianus, Ambroſius*, & *Auguſtinus*: (*c*) adeóque hi libri malè à *Luthero* rejecti, propriâ authoritate, & ex eo præcipuè capite, quòd nimìs apertè ſuffragium ferant

(*a*) 1. Mach. 6. v. 12. (*b*) 2. Mach. 9. v. 12. (*c*) L. 18. de civit. Dei c. 36.

rant pro Catholica veritate, de Purgatorio, & intercessione Sanctorum.

II. (a) *Sancta, & Salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur:* è quibus colligat Heterodoxa Juventus; Purgatorium non esse *Terriculamentum humanum*; præcipuè cùm è Novi Testamenti sententiis pluribus; ùt & è Traditione continua, ac testimoniis innumeris SS. Patrum, qui primis etiam sæculis vixêre, Veritas hæc validissimè confirmetur.

III. Intercessio Sanctorum non est *Inventum* Catholicorum Phantasticum, ùt calumniabatur *Lutherus*: Cùm (b) *Oniam* III. & *Ieremiam Iudas Machabæus* jam in Veteri Testamento viderit pro Populo *Iudaico* supplices, ac Patronos.

IV. Templum Schismaticum *Samariæ* erectum est â *Manasse* operâ *Sanaballi*, postquàm ob *nuptias*, lege prohibitas, Sacerdotii honore exclusus est: Templum Schismaticum in *Ægypto* ob *Oniæ* IV. *ambitionem* erectum est ope *Philometoris:* utrumque per annos plusquàm ducentos nefandi Schismatis origo fuit, usquedum tandem utrumque denuò dirutum. *Lutherus*, atque *Calvinus* erexêre Ecclesias privatas, Schismaticas, â *Romana*, unicè verâ, divisas, iisdem ex caussis, simili Schismate, & pari fato in prius nihilum relapsuras: nam *Omne Regnum divisum contra se desolabitur*, ùt habet vaticinium Incarnatæ Veritatis. (c)

(a) 2. Mach. 12. v. 46. (b) 2. Mach. c. ult. v. 12. 13. & 14. (c) Matt. 12. v. 25.

INSTRUCTIO III.

Judæorum fata sub Monarchia Romana, cui respondet Regimen Herodianorum.

Divisio Instructionis in §§. 4.

M*Elander.* Quæ divisio hujus Instructionis?

Leucotheus. In Paragraphos quatuor: Primus aget de *Machabææ* stirpis ruina per *Antipatrum*. Secundus de *Herodis* fatis in acquirendo, & stabiliendo *Judææ* Solio. Tertius de *Judææ* fatis sub *Herodis* tyrannide. Quartus de fatis & regimine Filiorum Herodis, & ultimo totius Stirpis excidio.

§. I.

De Machabææ stirpis ruina per Antipatrum.

Judææ Regnum Romanis subjectum Quomodo?
A. M. 3979. V. 678.
Occasio Quæ?
I. Romæ subjectis Solymis.
Alexandræ favor pro Hyrcano filio.

M*El.* Qua ratione *Judææ* Regnum Monarchiæ *Romanæ* fascibus subjectum?

Leuc. *Occasionem* præbuit *Alexandra*, *Jannæi* vidua, quæ, mariti consilio, *Pharisæorum* amplexa partes, hisce vulpibus vulpinata Plebem, sibi Diadema imposuit. *Hyrcano* II. filio natu majori mitram; *Aristobulo* galeam, & militiæ curam commisit, Regni negotia ad *Pharisæorum* arbitrium retulit, qui potestate haud segniter abusi, Sectæ suæ infestos, criminibus fictis ad supplicia certatim abripiebant. Nam erat eâ tempestate Populus haud levi schismate divisus, Nobi-

Nobilitate *Sadducæis*, animam immortalem negantibus; Plebe *Pharisæorum hypocrisi* adhærente. Horum suffulta viribus Regina, nono Regiminis anno, *Hyrcanum* II. Successorem pronuntiavit, infelici oraculo, utpote quod Regno *Iudaico* jugum, *Machabæo* stemmati interitum attraxit.

II. Nam Reginâ brevi demortuâ, *Aristobulus*, indolis ignitæ Princeps, *Hyrcano* Fratri, quem phlegma ad Regni curas languidiorem effecerat, armatâ vi Tiaram cum Sceptro eripuit, vitámque privatos inter parietes, favoris locò, indulsit. Erat inter *Hyrcani* familiares *Antipater*, *Idumæo* è sanguine concreta vulpes; hujus suasu *Hyrcanus* dilapsus ad *Aretam*, *Arabiæ* Regem, & vitæ Asylon, & fraternæ injuriæ ultionem petiît, & impetravit. * Sed dum *Aretas Aristobulum*, acie victum, intra Templi *Solymæi* septa oppugnat, *Pompejus*, his tumultibus attractus, *Iudææ* imminet Mediator, omni hoste nocentior; cujus favores licitatus per *Scaurum Aristobulus* (auream vineam, quingentorum talentorum pretio, è Templi thesauris oblatam ferunt) in Regno firmatur, *Aretâ* Rege infectis rebus patriam repetere coacto.

A. M. 3987. V. 686. Causa Qualis? Gemini Fratris dissidia de Regno Quæ? A. M. 3989. V. 688.

III. Subin utriusque Fratris causâ per Legatos *Antipatrum*, & *Nicodemum* ad *Pompeji* tribunal delatâ, uterque evocatur *Damascum*: sed cùm *Pompeji* placita semel iterúmque deluderet *Aristobulus*, is occupatâ impunè *Solymâ*, per *Sabbathorum* otia Templum quoque expugnat, & per occisorum duodecim millia in Templi adyta penetrat Victor, eâ tamen moderatione, ut supellectili sacræ,

A. M. 3991 V. 690. A Pompeio Mediatore judicata, Quomodo?

* Suadente *Antipatro*, & promissis 12. oppidis, â *Jannæo Arabiæ* nuper ademptis.

Judæa à Pompejo subacta Quî?

ſacræ, & Sacerdotibus parceret. *Hyrcano* tradit Mitram, ſed Diademate interdicit, Urbem dirutis mœnibus apertam, unà cùm tota Gente, *Romano* jugo vectigalem ſubjicit, *Ariſtobulum* cum gemino Filio *Romam* in vincula dimittit, egregius Mediator, qui inter litigantes duos tertius ſubacti Regni triumphô, & gloriâ eſt gaviſus.

Antipater Judææ Solio imminens quibus gradibus?

Mel. Qua ratione *Iudææ* Solio adrepſit *Idumæa* progenies, *Antipater?*

Leuc. Senſim, nec niſi per gradus, calliditate vulpibus ſolenni. Nam

II.
Mox quærere Sceptra Antipater.
A.M. 3997.
V. 696.
Locò Hyrcani languidi administrando Rempublicam.
Per Gabinium repulſi Coronæ æmuli Qui?
Craſſi avaritia Quanta?
A.M. 4000.
V. 699.

I. Adempta *Hyrcano* Regia dignitate, induit Prætorianam *Antipater*, rexitque *Hyrcanum*, & adminiſtravit *Iudæam*, *Gabinio*, *Syriæ* Proconſule, Protectore uſus contra inimica *Ariſtobuli* molimina. Nam *Alexander*, Filius *Ariſtobuli*, poſtquàm in itinere *Romano* fugâ fuit elapſus, infeſtis armis rediit in *Iudæam*: Ipſe *Ariſtobulus Româ* profugus, armis recuperare Sceptrum tentaverat, ſed à *Gabinio* ambo fuſi, ille pulſus in *Syriam*, hic captus, & in Romani carceris ergaſtula eſt retruſus.

II. Tunc ad *Antipatri* vota, ab eodem *Gabinio* in Dicaſteria quinque diviſa fuit *Judæa*; è cineribus revocatæ Urbes, quas inter *Samaria*: quæ tamen *Iudææ* Reipublicæ emolumenta *Gabinii* Succeſſor *Craſſus* infanda ſorditie corrupit: nam dum per tranſitum ſalutaret Templum, ſuſpectam ſibi devotionem ſatiaturus *Eleazar*, ærarii ſacri Cuſtos, eidem trabem auream obtulit, quæ ligno obducta hactenus conſtabat nulli; exigens tamen juratam fidem, quâ indemnem vellet Templi theſaurum. Juravit facilè, faciliùs fregit juratam fidem, decies mille talentis è ſacro

ærario ablatis, ut ne gratis jurare *Romanos* Consules *Judæi* existimarent.

III. Post hæc exorto *Romæ* Civili bello, *Cæsar* vinculis solvit *Aristobulum*, ut contra *Pompejum* suas in *Judæa* partes foveret. Sed hæc molimina fatis eversa; nam *Aristobulus* in ipso Patriæ aditu, â *Pompeji* Asseclis toxico sublatus; ejus filius *Alexander*, *Pompeji* jussu, ne Patris vestigia legeret, *Antiochiæ* securi percussus ad Patrem abiît.

A. M. 4005. V. 704. Aristobulus II & Alexander Filius sublati Quomodo?

IV. Intereà nactus moram *Antipater*, ut ambitiosis consiliis se suósque sensim ad altiora attolleret, *Hyrcanum*, ùt inanem umbram, sive lusit, sive delusit: ejus opibus *Romam* propitiam; ejus armis, quibus in *Ægyptiaco* bello non minùs fortiter, quàm feliciter partes *Cæsaris* defendit, Monarchæ hujus sic lucratus erat favores, ut *Judææ* gubernaculis cum plena potestate admoveretur. Immò ut Suis quoque prospiceret, *Phaselum* filium primogenitum *Judææ*; *Herodem Galilææ* Tetrarcham renuntiavit, ambitioso molimine, quod feliciùs Filiis, quàm Patri cessit.

A. M. 4008. V. 707. Cæsaris favores lucrando Quomodo?

Denique filios elevando Quî?

V. *Malichus* quippe, militari gloriâ *Antipatro* charus, sed *Hyrcano* fidus, cùm ambitionem *Antipatri* jam utrisque manibus palparet, venenato poculo sustulit proditorem proditor, ipse per *Herodis* satellites postmodùm sublatus, redeunte in orbem vindictâ, & sanguine sanguinem expiante.

A. M. 4011. V. 710. Occisus à Quo, & Cur?

§. II.

De Herodis fatis in acquirendo & stabiliendo Judææ solio.

Herodes Solio potitus Quomodo?

III. Solium conscendere.

M*El.* Quomodo *Herodes* ipso tandem *Judææ* Solio est potitus?

Quibus gradibus?

Leuc. *Herodes*, ex *Idumææ* loliis prognatum germen, ſtemmatis Authore *Antipa*, qui cùm oriundus eſſet ab *Aſcalon*, Nepos hic dictus *Aſcalonites*, * alio cognomine *Magnus*, non ob virtutem, ſed ob felicem aſtutiam, aſtutam ambitionem, impiámque prorſus tyrannidem, quibus veluti gradibus *Iudææ* Solium conſcendit.

A. M. 4008. V. 707. Callida felicitate.

I. Annos natus viginti ſeptem, *Galilææ* præfectus à Patre *Antipatro*, *Ezechiam*, famoſum latronum Ducem, cum ſociis graſſatoribus exſtirpavit, laudabili utique in Patriam ſtudio, nî immaniorem poſteà Prædonem ipſemet induiſſet. *Romæ* favores corrogandis tributis promeritus, ea ſenſim dedit ſpecimina, ut *Iudææ* Primates ſuſpectam, quia audacem æquè, ac arrogantem illius indolem, ad *Marci Antonii* tribunal deferrent: ſed huic erat tam deaurata hæc vulpes, ut delatoribus, vel non auditis, vel carcere, vel capite damnatis, ipſe in *Tetrarchæ* officio confirmaretur.

Antonii Triumviri favore.

A. M. 4014. V. 713. Antigonus per Parthos reſtitutus. Quomodo?

II. Interea *Antigonus*, filius *Ariſtobuli*, *Romæ* captivus, cùm apud *Cæſarem* nil contra ambitionem *Antipatri*; apud *Antonium* nil contra *Herodis* molimina poſſet, ad *Parthos* profugus, *Pácorum* Regem mille talentis, cum quingentarum virginum pendendo tributo ad ſua auxilia animârat. Et fuit tam felix hæc expeditio, ut *Parthi* nullo negotio *Ieroſolymâ* potiti, *Hyrcanum* cum *Phaſelo* per inſidias caperent; *Herodes* ipſe ægrè pedibus ſalutem collocaret in tuto. Mox *Antigonus* paterno Solio reſtitutus, vinctum recepit cum *Phaſelo* *Hyrcanum*: Huic ille rabioſo dente utramque auriculam avulſit, Patruo Nepos, ſícque ad Infulam jam ineptum, capti-

Hyrcani & Phaſeli fata Quæ?

* An Herodes Idumæus, an Judæus? *Vide Coll. Hiſt.*

captivum misit in *Parthiam*: *Phaselus* cùm duriora fata ex merito timeret, ipsemet alliso ad silicem capite vitam cum cerebro effudit.

Antigonus ab Herode dejectus Qui?

III. Sed diu *Antigono* fortunâ malè partâ frui non licuit, *Machabæo* sanguine, olim Heroico, jam vitiorum maculis purpuram dehonestante. *Herodes* fugâ elapsus, primò *Idumæam*, deinde *Ægyptum*, denique *Romam* petiit, & in hoc Orbis theatro personatam vulpem egit tam strenuè, ut blanditiis aureis fascinatus *Antonius*, eidem causam adjudicârit cum *Judææ* Sceptro; quódque mireris, decoratum insignibus Regiis, magnificà pompâ, in Capitolio *Iudææ* Regem coronârit. *Herodes*, ut cum titulo Regnum sibi quoque asseret, properavit in *Iudæam*: Sed cùm etiamnum *Partho* milite esset munita, sensit Regios titulos faciliùs acquiri, quàm Regna. Quadriennio integro conflixit cum hoste; grassatorum manipulos, in speleis latitantes, extraxit; urbes subegit; debellavit *Antigonum*, magnis non semel periculis defunctus. Nam absoluto quondam convivio, vix egresso *Herode* cœnaculum corruit: semel graviter vulneratus telo; semel in balneo deprehensus ab hoste, inermis & solus, solo aspectu in fugam dedit plures armatos, ut prodigiîs crederes servatum pro Solio, si prodigiis posset servari Scelus. Tandem per *Antonium* misso cum suppetiis *Sosio*, post quinquemestrem cruentam obsidionem, furioso assultu *Ierosolymâ* est potitus, *Romano* milite, promiscuâ cæde in omnem ætatem debacchante, usquedum liberali auro *Herodes* avarum furorem â *Sosio* redemisset. *Antigonus* ad *Sosii* genua supplex, vitam est deprecatus, sed vel ideò *Antigona* (quasi fœmina foret) sarcas-

Marci Antonii favore Quali?

Regnum recuperatum Quomodo?

A. M. 4016. & 17. V. 715. & 16.

Jerosolyma per Sosium occupata.

Antigonus occisus.

ſarcaſmo irriſus, *Romam* videre juſſus eſt, ut ibidem inclinato capite *Antonium* veneraretur. * Sic *Herode* elevato in Solium, *Sceptrum* tandem *eſt ablatum â Regno Iudæ, â Machabæo* ſtemmate dignitas; ** & *Soſius* bene unctus, è *Iudæa* militem reduxit.

Herodes in Solio firmatus Quomodo?

Mel. Quomodo *Herodes* ſe firmavit in Solio?

Leuc. An ambitione magìs aſtutâ, an crudelitate magìs tyrannicâ, eſto problema.

III. Séque tueri Herodes.

A. M. 4016. V. 715. Mariamnes nuptiis Cur?

I. Ut violata jura ipſo jure deciperet, *Mariamnem*, tunc temporis formæ prodigium, *Alexandri Machabæi* filiam, ſibi deſponſavit, veluti jus ſucceſſionis acquiſiturus pro dote: hinc Genealogicas Regii ſtemmatis Arbores combuſſit, ut inſititius hic Oleaſter non ex *Idumæa*, ſed Tribu *Juda*, ipſum, ſi Superis placet, *Meſſiam* videretur protrudere.

Ariſtobuli III. cæde procurata Quomodo?

A. M. 4018. & 19. V. 717. & 18.

II. In id præprimis incubuit, ne ſupereſſet è *Machabæo* ſtemmate ſurculus, qui in ſpem Solii adoleſceret: hinc *Alexandrâ* Socru *Ariſtobulum, Alexandri* ſuúmque filium, ad Tiaram promovente, is *Ananelum* ſubſtituit, hominem vilem, è fæce proletaria vappam. Sed Populi murmur, Socrúsque furores veritus, eidem indulſit Pedum; at ut brevì crudeliùs raperet. Intereà *Marci Antonii*, tunc *Syriæ* Præſidis, favores argenteâ humanitate ſibi devincit, Plebem blandimentis illaqueat, ſibi addictos honoribus cumulat, Primates reliquos quotidianis ſuppliciis abſumit, nullo crimine, niſi quòd Regi eſſent ſuſpecti; *Alexandram* Socrum ſub obſervationibus moleſtis

ſtis

* An vaticinium *Jacobi*, ante 1673. annos datum, in *Herode* completum? *Vide Coll. Hiſtor.*

** *Poſt annos 130.*

ſtis ſic in Regia continet, ut tandem jugi pertæſa, unà cum Filio Sandapilis clàm elata, fugam ad *Cleopatram* moliretur. Fefelliſſent hæc viva cadavera ſagaces etiam vultures, ſed non *Herodem*, quia vulpem. Detectâ fraude ultionis coquit conſilia, ſed vulpina: nam diſſimulatâ irâ, reconciliationis firmandæ ſpecie, Socrûs ſuæ convivium frequentat hoſpes, ſed ita, ut liberiora pocula diluerit funeſta *Thetis*: nam ſubornati ab *Herode* ephebuli *Ariſtobulum* parvulum, (*a*) æſtûs levandi ergò, ad liquida piſcinæ gaudia invitant, ſensimque, veluti per ludum, non injucundo ſpectaculo, demergunt. Diffluebat gaudio Tyrannus, & tamen, ut amoliretur invidiam, oculos ſolvit in lacrymas, vulpini mœroris teſtes, ac apparatu magnifico funeri parentavit, ratus, ultimum *Machabæi* ſtemmatis ſurculum honore dignum, quia emortuum.

A. M. 4020. V. 719.

A. M. 4021. V. 720.

Mel. An innocenti hac victimâ ſatiatus Herodis *furor*?

Marci Antonii favore Quali?

Leuc. Minimè gentium; reſidua in ſtirpe folia, *Hyrcanum*, *Alexandram*, & *Mariamnem*, cum ſua radice pariter evulſit. Res ita habet: *Alexandra* funeſtam Filii cædem *Cleopatræ* queſta, id effecit (nam litteras lacrymis exarârat) ut *Herodes* ad *Antonii* tribunal *Laodiceam* evocaretur. Parendum erat; ſed ne inultus ſubiret periculum, *Joſippo* Patruo dederat in mandatis, ſuum qualecunque incommodum ſi reſciret, *Mariamnes* morte elueret, veritus, ne ex illa ſemen Regio Generi ſuſcitaretur. Stitit ſe ſe *Antonio*, auréaque manu, & aſtutâ ſuadâ ſic peroravit, ut *Antonius* pro tribunali ediceret, iniquum

A. M. 4021. V. 720.

 eſſe

(*a*) *æt. a. 17.*

esse, Regem â *Romano* Senatu coronatum, rationem regiminis reddere; Sceptrum regeret, ùt luberet. Sic laqueum evasit vulpes, pellémque exuta, rediit in patriam Tigris, Patruo, quia secreti non continente, morte multato, *Alexandrâ* verò in tetri carceris squalorem detrusâ.

Octaviani Augusti amicitiâ.

II. Intereà M. *Antonio* & *Octaviano* de Imperii summa certantibus, *Herodes* Fautori *Antonio* ingentem exercitum ad obsequia obtulit, quem quia *Antonius* sibi putârat non necessarium, is militem duxit in *Arabes*,

A. M. 4022. V. 721.

eósque felici *Marte* misit denuò sub vectigale jugum, quod priùs excusserant. Sed redux in Patriam, cùm succubuisse suum *An-*

A. M. 4024. V. 723.

tonium inaudiisset, Victorem sibi propitium redditurus, audaci consilio, *Rhodum* iter ingressus est. Priusquàm tamen periculi plenam hanc aleam jaceret, stirpem Regiam radicitùs evellere statuit. *Hyrcanum*, quem

Conciliata Quomodo?

jam priùs revocârat â *Parthis*, Tiarâ spoliatum, mutilum, & inutilem, quia octogenarium senem, Ambitionis fictæ schemate jugulavit; *Alexandram*, & *Mariamnem* *Alexandrío*, castro munitissimo, inclusit, á *Sohemo* illicò occidendas, quamprimùm sequius quidquam accidisse Regi intellexisset. Ille intereà appulit *Rhodum*, ubi neutiquam supplicis, sed Regis magnifici habitu & supercilio, se se *Octaviano* stitit, positóque Diademate sic est affatus: Regem vides *Cæsar*, hactenus tam inimicum tibi, quàm *Antonio* amicum, fateor. Id solùm ajo, si Orbis Victor, te mihi *Antonium* præbeas, habebis *Herodem*, qualem expertus *Antonius*, id est, ex asse devotum, & ad obsequia quævis promptissimum. Generosam suadam, mox ponderosam red-

didit

didit octingentis talentis, largissimis insuper donis in *Cæsaris* amicos, & exercitum distributis. Quid multis? maluit *Cæsar* amicum, quàm inimicum, redditóque Diademate, amicorum intimis annumeravit.

III. Domum reversus, cùm offensam cum Socru Conjugem, quia mandati sanguinarii consciam, reperisset, hanc violati thori, illam parati toxici ream, est suspicatus; cúmque Sororis *Salome* calumniis confirmaretur, utramque unà cum *Sehemo* indictâ causâ condemnaverat morte, *Mariamne* in foro publico, *Alexandrâ* in carceris tenebris ictum carnificis subeunte.

A. M. 4025. V. 724. Effectu quo? Mariamne, & Alexandra occisa Cur?

IV. Sic laxato veluti freno, furiosiùs mox debacchata est Regis Tyrannis; occisâ Conjuge, quam ad prodigium usque formosam deperibat efflictim, amor in dolorem versus, eum propè de potestate mentis dejecerat. Projectis Regni curis nunc in lamenta solvi & ejulatus; nunc inclamare *Mariamnem*, & veluti vivam ad prandium vocare per famulos; nunc venationis specie in silvas se abdere, & feræ instar vagari; nunc truculentâ adeò efferari rabie, ut licèt pestis multa quotidie millia absorberet, is funera funeribus cumularet, & suspectum quemvis, quasi per jocum, ad lanienam abriperet.

Tyrannide Quanta?

A. M. 4028. V. 727.

Mel. Quibus studiis *Herodes* & *Cæsaris*, & *Judæorum* favores sibi promeritus?

Leuc. Architectonicis: nam cùm è mortis faucibus, in quas ipsum furiæ præcipitem egerant, ad plurium fata esset ereptus, è Medicorum consilio, animi tædia erigendis ædificiis dissipavit; & ne frustrà dilapidaret opes, pro fundamento operum posuit *Nominis sui gloriam*, & *Cæsaris Augusti favores*: hinc duode-

Herodes quibus studiis demeritus Cæsarem?

A. M. 4029. V. 728.

IV. Cujus famosa astutia.

Ædificiis ejus honori erectis.

duodecim annorum impendio urbem erexit
A. M. 4030. è pario marmore, apparatu tam splendido,
V. 729. ut dici *Cæsaréa*, dicarique *Cæsari* promeruerit.
Qualibus? In aëre suspendit Amphitheatra, Romanis æmula, ubi agones cum feris, & hominibus
A. M. 4032. quovis lustro sunt instituti ad *Augusti* ho-
V. 731. nores. Immò *Cæsarem* etiam in Amicis, & superstitione Idololatrica studuit demereri: sub *Agrippæ* nomine, quod tunc *Cæsari* erat in pretio, erexit palatia; Diis Romanis ædificavit fana, ut dubites an Deos in *Cæsare*, an in Diis potiùs *Cæsarem* adorârit.

Romam misso gemino Filio. II. Illud certum, quòd etiam geminum filium, è *Mariamne* susceptum, *Alexandrum*, nempe & *Aristobulum*, ad Aulam *Cæsaris* educandum dimiserit, & Romanam Superstitionem sic æmulatus sit *Jerosolymis*, ut *Iudæi* gravissimè offensi, propemodùm apertam seditionem jam molirentur.

Quibus Populum? III. Sed nota astutiâ suppressit brevì gliscentem flammam: restauratis Templi propugnaculis, & excitata turri *Antoniâ* veluti freno Plebem coërcuit, ne audacius quidpiam moliri posset; immò ne etiam vellet,
A. M. 4035. Templum ad pristinam *Salomonis* magnifi-
V. 734. centiam renovandum promiserat, id quod
Renovato Templo. octennii spatio si minùs perfecit, perficere saltem immensis sumptibus allaboravit. Sic
Liberalitate insigni. mitigatos Populi animos, etiam liberalitate Regia sibi arctiùs adstrinxit: nam horrenda fame *Iudæam* depopulante, *Herodes* non modò horrea, sed etiam opes, vasáque argentea tam generosâ manu erogavit Populo egenti, ut quem priùs, veluti Tyrannum, depressit ad tartara, jam instar Servatoris ad astra laudibus efferret.

§. III.

§. III.

De Judææ fatis sub Herodis tyrannide.

MEl. Quæ *Herodis* Crudelitas in suos Filios? *Herodis crudelitas in suos filios quanta?*

Leuc. Tanta, ut *Augustum* dixisse ferant, *malle sese Herodis porcum esse, quàm filium.* Afflabat foris Favonius *Cæsaris*, adeò, ut *Trachonitide* donatum *Herodem* cum gemino Filio in *Judæam* remitteret: sed domi turbulentus Aquilo, susdéque omnia vertebat. *Antipater Herodis* à *Doride* Primogenitus, ut *Alexandrum* & *Aristobulum*, *Mariamnes* filios, à successione in Regno excluderet, confictis utrumque calumniis apud Patrem insimulârat. Accessit ejus partibus *Salome*, *Herodis* Soror, *Assamonæum* sanguinem exosa semper, támque venenatis sibilis Regem exacerbârat, ut is non dubitaret, geminum Filium intentati veneficii apud *Cæsarem* postulare. Erat *Cæsar* tunc *Aquileiæ*; aderant quoque delati Filii: sed cùm Pater non offerret argumenta idonea; cùm pro reis perspectus dudum *Augusto* candor, & insontes lacrymæ perorarent, *Cæsar* Patrem Filiósque ad concordiam reduxit, *Antipatro* frendente, & dissimulatis nihilominus odiis, reconciliationem Fratribus gratulante.

V. In omnes horribilis rabies. *A. M. 4043. V. 742. Ab Antipatro Primogenito accusati Quomodo?*

A. M. 4046. V. 745. Reconciliati á Quo?

II. Sed sopitum solummodò malum est, non extinctum, mali radice (*Antipatrum* & *Salomen* intelligo) nova odii germina protrudente. Scripserat *Herodes* in Testamentariis tabulis Successorem Regni *Antipatrum*; hoc deficiente *Alexandrum*; dein *Aristobulum*:

A. M. 4050. V. 749. Iterum ab Antipatro accusati Cur?

lum. Satis erat hoc diſcordiæ pomum, ut *Antipater* admurmurante impia *Salome*, Aulam denuò turbaret, & per Fratrum perniciem ſibi ſoli Solium ſtabiliret. Novis in Filios criminationibus circumventus *Herodes*, poſtquàm in fidiſſimos quoque Miniſtros vinculis, equuleis, cædibus deſæviiſſet, eò tandem adactus eſt, ut iterata delatione Filios, veluti Parricidii reos, ageret ante *Cæſaris* tribunal. *Cæſar* moleſtam cauſam Accuſatoris judicio permiſit, paterno tamen, quo non niſi è ſententia Judicum æquiſſimorum ſanguinem proprium condemnaret.

Condemnati à Patre Quomodo?

III. Hinc ut iniquitas æquitatis ſaltem pallio tecta incederet, *Berythi* erectum tribunal, convocati ad Judicium è vicinia Romani Prætores, gemini Filii veluti Parricidæ accuſati à Patre, adacti Judices ad fatalem ſententiam, & inſuperhabitâ innocentiæ conteſtatione ſanguis innoxius à Patre, Accuſatore ſimul ac Judice, eſt condemnatus: mox ambo *Sebaſten* ducti, Patris juſſu ſtrangulati, & in caſtro *Alexandrio* ſepulti ſunt, monumento perpetuo Paternæ crudelitatis, quæ vitam Filiis non aliter dediſſe viſa eſt, quàm ut eam denuò crudeliùs raperet.

A. M. 4051. V. 750. Antipatri fata Quæ?

Mel. An his artibus ſibi ſucceſſionem in Regno ſtabilivit *Antipater*?

Leuc. Minimè; ſed & ipſe in foveam incidit, quam ſtruxit. Quippe ſublatis Fratribus, gradu ad ſcelera jam patefacto, Patri quoque intentaverat necem, veneno non ſemel ex urbe *Roma* per ſuos parato, ut ne in abſentem ſuſpicio parricidii caderet.

Pheroras Herodis Frater ſublatus Quomodo?

II. Nec melior Filio Mater *Doris*, *Pheroram Herodis* Fratrem, multorum malorum ciniflonem, ne ambitioſis *Antipatri* conſiliis ob-

obſtaret, infuſo toxico perdidit, *Saliano* teſte, ut ut connaturali morte abſumptum referat *Joſephus*.

III. Intereà *Herodi* detecta *Antipatri* fuêre molimina: & quia *Mariamne*, *Simonis* Pontificis Filia, Regis Uxor, ſecretorum particeps dicta eſt, eam Rex illicò repudiavit, natumque ex illa Filium *Herodem Philippum* Hæreditate Patriâ privavit. *Antipatrum*, Româ reducem, dedit in vincula, Regnique Succeſſorem nominavit *Antipam*, Filium natu minimum, etiam *Archelao*, ac *Philippo*, ob caluminas per *Antipatrum* ſtructas, præteritis.

Antipater in vincula datus Cur?

A. M. 4052. V. 751.

Mel. Quæ ultima *Herodis* crudelitas?

Leuc. Conſummata ad uſque ultimum halitum, ut qualis vixit, talis etiam moreretur.

Ultima Herodis crudelitas Quanta?

A. M. 4052. V. 751.

I. Nam morbo imminentium fatorum prodromo tentatus, cùm Populum mox animoſiorem cerneret, adeò ut auream Aquilam, quam velut idololatricum ſchema Templi portæ affixerat, per puerorum catervas dejiceret, efferatus *Herodes* moliminis hujus Authores combuſſit vivos.

VI. Proprio tandem obruta fato.

In Cives, Aureã Aquilam dejicientes.

II. Et ne in homines tantùm truculentus exiſteret, in ipſum *Chriſtum*, Magorum ex Oriente adventantium novis turbatus, ſævire conatus eſt; & quidem tam inaudita tyrannide, ut innocentulos omnes, bimatum necdum egreſſos (quos inter etiam Filius proprius) ad quatuordecim millia, crudeli ferro, velut turbo naſcentes roſas, abſtulerit, nec tamen in tanto numero invenerit illum, propter quem unicum cæſi omnes.

A. M. 4053. V. 752.

In Infantes Bethleemiticos.

III. Innocenti hoc ſanguinis torrente non ſatiata, ſed irritata magis hujus Tigridis Purpuratæ ſitis. Infandum dictu! cùm deſperata valetudine *Ierichuntem* ſe contuliſſet, ſuſpi-

In Judææ Proceres.

ſuſpicatus multorum animos, Tyranni inſtante fato alacriores, minacibus edictis totam *Judææ* Nobilitatem adeſſe juſſit; præſentes amphiteatrali concluſit circo, móxque accerſitis ad ſe Sorore *Salome*, ejúsque Marito *Alexâ*, vix bene trahens anhelitum, dederat in mandatis, eo temporis momento, quo ipſe oculos clauderet, omnes telorum imbre confoſſos, ſuis Manibus comites jungerent, ne ſaltem ſine Patriæ lacrymis, luctúque publico efferretur.

In Filium Antipatrum.

IV. Denique doloribus amens, cùm violentam ſibi necem pararet, excuſſus eſt ab *Achiabo* fatalis culter: *Antipater* in vinculis eo tumultu excitatus, necémque ratus eſſe patratam, â carceris Cuſtode libertatem fruſtrà emendicârat. Re ad *Herodem* delatâ ſubmiſſus illicò eſt Satelles, qui hominem ambitioſum ſine mora è medio ſuſtulit, factum Patris ad inferos Præcurſorem.

Morbi mortis prodromi apud Herodem Quales? anno eodem.

Mel. Quo morbo denique contabuit *Herodes*?

Leuc. Tali, qui eſſet proportionata vitæ ſceleſtiſſimæ clauſula, ſimúlque dignum infernalis pœnæ præludium.

I. Lento calore, & febri viſcera depaſcente toſtum aſſerit *Joſephus*: acceſſit canina fames, dolores cholici, interna viſcerum exulceratio, quæ abdomen putridum lancinabat: tumebant pedes hydropiſi, pediculorum vermiúmque exercitus integri pullulabant è viſcerum ſentina: verendorum putredo, aſtmatica peſtis, purulentus fœtor efflaverant mephitin ſibi ipſi intolerabilem, usquedum denique per dyſenteriam effuſa viſcera, & ipſe cum viſceribus ſceleſtam egeſſiſſet animam in Orcum.

II. Con-

II. Contabuit quinto die poſt occiſos infantes, ùt vult *Cornelius*; vel poſt jugulatum *Antipatrum*, ùt teſtis eſt *Salianus*; anno *Chriſti* primo; poſt acceptam Coronam quadrageſimo; poſt detruſum throno *Antigonum* trigeſimo ſeptimo; ætatis ſeptuageſimo primo inchoato, vir privatus, elevatus ad Solium per vulpinam politicam, (*a*) foris felix, infelix domi, immanitatis & libidinis vivum prodigium, omniúmque ſcelerum excrementum. *Mors.*

III. *Alexas* & *Salome*, ante publicatam Tyranni mortem, dimisêre è circo incolumes *Judaæ* Proceres, ſiccísque oculis in *Herodii* caſtri monumento magnifico, quod ipſe ſibi extruxerat, fœtentes reliquias contumulârunt. *Ultimæ voluntatis Diſſimulatio. Sepulturæ.*

§. IV.

De fatis & Regimine Filiorum Herodis, & ultimo totius ſtirpis excidio.

A. M. 4054. V. 753. Ch. 2.

MEl. Quænam inter *Herodis* filios ſtabilita Regni diviſio, & in Throno ſucceſſio?

Leuc. Priori jam teſtamento renuntiatus Succeſſor eſt *Antipas*, filius natu minimus: ſed ſub vitæ finem mutatis denuò tabulis Rex *Archelaum* ſcripſit Regni ſui hæredem, *Philippo* & *Antipæ* aſſignatis Provinciis. Promulgata Militi ultima hæc voluntas applauſum tulit, ſed non â Fratribus Coronæ æmulis. Hinc *Romam* profecti omnes *Auguſto Cæſari* ſe ſtitêre, cui placuit *Judæam* in qua- *Succeſſio, & Regni diviſio inter Herodis Filios qualis?* VII. *Diviſo in Natos Regno.*

(*a*) Baron. in A. Ch. 8.

tuor partes, seu Tetrarchias dividere. Ex his duas *Judæam*, atque *Samariam Archelao* concessit, Regium quoque titulum pollicitus, si eo dignum se reddere conaretur. *Herodi Antipæ Galilæa*, Regióque *Iordanis* transamnensis; *Philippo Trachonitis* & *Ituræa* adjudicata est.

De tribus Herodis Filiis memorabile Quid?

Mel. Quid de his tribus Tetrarchis memorabile?

Quæ Archelai fata?

Leuc. I. Archelaus sub titulo *Ethnarchæ* dignus Parente Successor, etsi insignibus Regiis destitutus, *Judæis* tamen se se Regem monstraverat, Sceptro potenter usus, dum trium millium sibi resistentium clade, ipsa Regni auspicia cruentârat. Hanc Patris sui Tyrannidem cùm in novennium continuâsset, Dominationis despoticæ postulatus apud *Augustum*, condemnatus, & in exilium *Viennam*, urbem *Galliæ*, est relegatus. *Judæa* interim, unà cum *Samaria*, veluti Romana Provincia, *Syriæ* fuit conjuncta, cujus tunc Prætor *Valerius Gratus*.

A.M. 4962. V. 761. a. Ch. 16.

Quæ Philippi?

II. *Philippus*, uti & *Antipas* in suæ Ditionis dominio vivere permissi. *Philippum* quidam absque hærede sublatum volunt, neque huic, sed alteri cuidam *Philippo*, cognomento *Herodi*, quem cum *Mariamne* * Matre, suprà ab *Herode* repudiatum diximus, *Herodiadem* Conjugem ab *Antipa* Fratre ereptam autumant.

Quæ Herodis II. Antipæ?

VIII.

Mel. Quæ *Herodis Antipæ* fata, ac regimen?

Mox Antipa cœpit sævire.

Leuc. Herodes Antipas Galilææ Tetrarcha, *Iudæis* Regio titulo assuetis dictus etiam Rex, non nisi horrendis sceleribus Posteritati innotuit.

A.M. 4071. V. 770. Ch. 19.

Cur Tiberias condita?

I. Vulpinâ caudâ adulatus *Tiberio*, *Tiberia-*

* *Simonis* Sacerdotis Filia.

beriadem Urbem ejus honoribus consecravit.

II. *Romam* profectus, cùm apud *Philippum* Fratrem diverteret, pro hospitii mercede, surripuit Conjugem, *Herodiadem* nomine, *Aristobuli* ab *Herode* strangulati scelestissimam Filiam, etsi jam aliis nuptiis cum *Aretæ* Regis *Arabum* Filia fuerit illigatus. *A. M. 4080. V. 779. Chr. 28. Ejus adulterium cum Herodiade.*

III. Adulterio homicidium addidit, D. *Joannis* Baptistæ caput in disco *Salomæ* Filiæ saltatriculæ offerendo, scelesta Matre linguam sacratissimam *Vocis clamantis: Non licet tibi habere Fratris Uxorem*, furiosa acu dilaniante, ùt testis est D. *Hieronymus*. Propudiosa Filia brevì pòst pœnas solvit, cùm adstrictas gelu aquas transiens, rupta subitò glacie abscissum crustis verticem reliquit, etiam tunc prodigiosè subsilientem, ut pœna culpæ jam responderet. *A. M. 4084. V. 783. Chr. 32. Cædes S. Præcursoris Cur?*

IV. *Christum*, quem pro *Joanne* redivivo diu suspexerat, ludibriis exagitatum, amentis instar, remisit ad *Pontium Pilatum*. *A. M. 4086. V. 785. Ch. 34. Christus illusus.*

V. Cùm *Herodiadis* sibilis ad dandum priori Conjugi repudium incitaretur, hæc ad Parentem Regem sponte dilapsa & dedecus effugit, & injuriæ ultionem paravit. Nam *Aretas* Pater ingenti exercitu Adulterum est aggressus, tantáque contrivit clade, ut etiam Judaica Natio sumptas â DEO pœnas de innocenti *Ioannis Baptistæ* sanguine sit contestata. *Clades Cur, & Quomodo? A. Ch. 35.*

VI. Supererat, ut etiam ob *Christum* illusum luderetur hic sacrilegus Ludio. *Herodem Agrippam*, *Herodiadis* Fratrem, cùm â *Caio Caligula* diademate Regio insignitum, missúmque cerneret in *Palæstinam*, ambitiosæ Conjugis importunis monitis adactus, & ipse *Exilium cur? A. Ch. 40.*

Romam conceſſit cum *Herodiade*, Coronam Regiam â *Caligula* pariter petiturus. Sed quia *Agrippa* in *Antipæ* armamentario apparatum pro ſeptuaginta millibus armandis repererat, Cognatum detulit ad Imperatorem, â quo convictus, quòd cum *Seiano* in *Tiberium* conſpirâſſet, & invocatis *Artabani* Regis *Parthorum* armis, defectionem molitus eſſet, Diadematis locò exilium tulit, *Lugdunum* dimiſſus, unde in *Hiſpaniam* profugus cum *Herodiade* inceſta conjuge tandem periît, mœrore utique juſtiſſimo conſumptus.

Herodis III. Agrippæ fata Quæ?

Mel. Quis *Herodes* III. *Agrippa*, & quænam illius fata?

IX.

Agrippæ ſors primo adverſa.

Leuc. Luſit diu Fortuna hunc Principem, usquedum denique ad *Judææ* Solium extulit. In eo, memorabilis 1.mò Ortus, 2.dò Infelicitas, qua Regnum quæſivit, 3. Felicitas, qua derepentè illud obtinuit. 4. Fatalis caſus, quo Regnô, & vitâ denique excidit.

Ejus ortus Qualis?

I. *Ortum* quod ſpectat, erat is *Herodiadis* Frater, & infelicis *Ariſtobuli* Filius, quem *Herodes I.* ex *Mariamne Machabæa* ſuſceptum, in Urbe *Sebaſte* unà cum *Alexandro* Fratre ſuſtulerat.

Infelicitas, qua Regnum fruſtrà quæſivit, Quanta?

II. *Herode Magno* contabeſcente, is etiamnum geſtaverat prætextam, & quia in teſtamentariis Avi tabulis omiſſus, obſcuram trivit adoleſcentiã, tenuî uſus ſemper fortunâ eſt.

Tiberius ei adverſus.

III. *Trachonitide* per *Philippi* fata vacante, is alienis adjutus opibus *Romæ* ſe ſe ſtitit *Tiberio*, eo fine, ut Tetrarchiam hanc, *Romæ* vectigalem, Imperatoris beneficiô obtineret. Sed illâ Provinciæ *Syriæ* aggregatâ, ubi ſenſit ſe tuliſſe repulſam, tot debitis contractis obrutus, penè de laqueo circumſpexit.

Nec propitius Antipas.

IV. Interim Sororis *Herodiadis* fretus favore,

vore, ad Cognatum *Antipam* se recepit, & utcunque debitorum onere est sublevatus. Accidit aliquando, ut *Antipas Baccho* turbidus eidem pauperiem, non sine sarcastico splene, oggereret, quæ injuria eum adegit, ut Cognati Aulam desereret, & *Romæ* denuò meliorem sortis catastrophen operiretur.

V. Exceptus is â *Tiberio* vultu haud inamæno, adjunctúsque *Caligulæ*, *Claudiíque* consortio, qui tunc in Solii *Romani* spem adoleverant. Horum familiaritate is usus adeò prosperè, ut quondam *Caligulæ* confidentiùs, quàm consultiùs diceret: Si *Tiberio* brevì *Caius* succederet, & se & Orbem Romanum fatis melioribus fruiturum. Sed mox ab *Eutycho* famulo, quem ob furtum carceri mancipârat, hæc vota *Tiberio* prodita, unde in vincula abreptus illicò *Herodes*, quibus solvi non potuit, usquedum Imperator mortalitatis vinculis est solutus. *A Tiberio carceri mancipatus.*

Mel. Qua felicitate Regnum tandem obtinuit? *Ejus felicitas, qua Regnum obtinuit, Qualis, & Unde orta?*

Leuc. Ajunt, cùm quondam è carcere educeretur, ejus capiti insedisse fortè bubonem; quod omen felici augurio interpretatus Aruspex, eidem honores Regios prædixisset. Hæc forsan fabula è *Parnasso Hebraica* est desumpta, ut eventus secutus prodigiosior appareret. Concessit tandem fatis *Tiberius*, quod felix nuntium mox famulus, nomine *Marsyas*, Hero suo *Agrippæ* tulit in carcerem hisce verbis: *Leo tandem est mortuus, Agrippa vive.* X. Deinde prospera.

II. Et enim verò vixit mox melior, ac revixit: Nam *Caligulâ* rerum potito, sine mora extractus è carceris squalore, nec *Trachonitide* modò, sed Regio insuper titulo est donatus, *A. Ch. 39. Favor Caligulæ.*

tus, additáque inſuper inſignibus Regiis catena aurea, quæ ferreas compedes pondere æquabat, ſicque in *Palæſtinam* remiſſus eſt. Hanc catenam, veluti monumentum utriusque fortunæ, *Agrippa* ſuſpendit in *Solymæo* Templo, ut oſtenderet, *Romam* (veriùs Divinam Providentiam) è Regibus captivos, è captivis Reges creare poſſe. Immò cùm *Antipam* in exilium relegâſſet *Caligula*, *Galilæam* quoque *Agrippæ* dominio ſubjecit.

Et ejus operâ extenſus quoque in totam Judæam.
A. M. 4094. V. 793. a. Ch. 42.

III. Nec ſibi ſolùm, ſed etiam *Judæis* profuit hic *Caji* Cæſaris favor: nam cùm *Petronius*, *Syriæ* Prætor, juſſus eſſet in Templo adorandam proponere *Caligulæ* ſtatuam, is Populo tumultuante *Romam* profectus, Imperatori, in ſuam Apotheoſin ſat obſtinato, nihilominùs *Iudæam*, Divintitai huic excipiendam, perſuaſerat.

Favor inſuper Claudii Imperatoris ſuadentis.
A. M. 4095. V. 794. Ch. 43.

IV. Poſtquàm Idolum iſtud (*Cajum* intellige) mors diruit, ſtetit tamen *Agrippa*, & firmiùs quidem ſub *Claudio* Succeſſore. Nam iſte *Iudæam* quoque atque *Samariam Agrippæ* dominio junxit, ut adeò Regiones omnes, quas poſſederat *Herodes Magnus*, Nepoti huic fortuna contulerit, meritóque *Magni Agrippæ* Nomen, veluti hæreditate tranſcriptum, ſibi vendicârit.

Regnum cum vita amiſit, Quomodo?
A. Ch. 44.

Mel. Quo fato vitam cum Solio amiſit?

Leuc. Subitaneo, ſceleribus, ùt ſolet, Divinam vindictam accelerantibus.

XI.
Sed mœſtis fatalis denique fatis.
S. Jacobi M. nece.

Nam I. *Jacobum* Apoſtolum (cognomento Majorem, *Joannis Evangeliſtæ* Fratrem) *Ieroſolymis* Capite minuit: Idem perfecturus in *D. Petro*, niſi in Capite ſervâſſet Eccleſiam *Chriſtus*, ipſúmque ruptis vinculis è carcere per Angelum eduxiſſet. Viri hujus ſuperbia, cujus adminiſtra ſævitia (nam occiſo *Jacobo*,

videns

videns, quia placeret Iudæis, apposuit, ut apprehenderet & Petrum) (a) geminis, & miris exemplis est castigata.

Superbiâ per contumeliam ab Alexandrinis ei illatam.

II. Nam *Româ* redux, honoribus auctus, *Iudæam* navigando repetens, *Alexandrino* in portu exscendit. Hîc Satellitio suo, argenteis clypeis, & armis inauratis splendente, ipse turgidus quæsivit ab urbe gloriam, sed invenit ludibria, & contemptum. (b) Nam Cives, ambitionis tantæ invidiâ exasperati, non modò contumeliis publicis eum impetiêre, sed etiam hominem quemdam emoti cerebri (*Carrabas* appellabatur) adduxêre, qui in *Agrippæ* ludibrium extemporaneus Rex esse jussus, pro Diademate papyraceum involucrum, pro Paludamento stoream, pro Sceptro fragmentum arundinis gestârat. Diceres, illusi *Christi* Personam in hoc *Antipæ* Successore, & *Iudæorum* Rege novissimo vindicatam.

A. Chr. 45.

Mortémque subitaneam castigatâ. *A. Chr. 45.*

III. Ad ignominiam istam brevì etiam *Agrippæ* exitium accessit. Factum quippe, ut *Cæsaréæ* (olim Turris *Stratonis* vocabatur) solemnes Ludos celebraturus, in theatrum procederet, vestéque argentea, Sceptro, Corona (*Phœbi* radiis splendorem augentibus) tantam spiraret in alloquio Majestatem, ut Populus præ horrore & reverentia in genua provolutus, exclamaret; *Non ista vox hominis, sed Numinis cujusdam, quod, ut nobis esse velit propitium, adoramus.* Rex assentantium vocibus delectatus, tantò celeriorem sensit vindicis DEI manum, quantò similiorem se se DEO existimârat. Nam fortè suspiciens, (c) Bubonem vidit funi extento insidentem, agnitóque calamitatis nuntio, repentè

(a) *Act. 12. v. 3.* (b) *Corn. à Lap.* (c) *Jos. Ant. l. 19. c. 7.*

pentè conflictatus dolore acerrimo, ac putrescente in vermes corpore, infelicem spiritum ad tartara emisit. (a)

Interitus Herodianæ Familiæ qualis?

Mel. Quis tandem interitus *Herodianæ* familiæ?

Rex Herodes Chalcidis.

Leuc. Erat *Agrippæ* etiamnum superstes Frater, nomine *Herodes*, quem Imperator *Claudius* Regione *Chalcidis* in *Syria*, unà cum titulo Regio donârat: erat eidem *Agrippæ* etiam Filius, nomine *Agrippa* II. sed quia moriente Patre pubertatis annos necdum contriverat, Politicum regimen in *Romanos* Prætores ferè translatum est, Sacerdotii supremâ curâ in *Herodem Agrippæ* Tutorem devolutâ.

Agrippæ II. Quis?

II. Sed etiam hoc Tutore post lustrum demortuo, *Agrippa*, septendecim annorum Princeps, primò *Chalcidem*, tandem *Trachonitidem* beneficiô *Romano* obtinuit, *Ierosolymæ* commoratus plerúmque, non tam ùt Rex (si excipias titulum) quàm Religionis, & Sacerdotii supremus Judex, atque Protector.

Ejus fata Quæ?

III. Hic cum Sorore *Berenice* (quam velut uxorem circumducebat) *Paulum* audivit *Cæsaréæ*, cœlesti prorsus eloquentiâ perorantem, adeò ut palàm ediceret: *In modico suades me, Paule, Christianum fieri.* (b) *Judæis* deinde contra *Romanos* tumultuantibus, primò *Jerosolymâ*, non sine contumeliis, & lapidum insectatione; mox Regnô pulsus, *Romam* profugit, ibíque reliquum vitæ privatus exegit, Sceptro *Iudaico* plenè tandem in *Romanos* Fasces translato, quibus non multò pòst *Ierosolyma*, & omnis *Iudæorum* Natio penitùs est devastata.

A. Ch. 70.

Observationes.

Observationes Politicæ Quæ?

Mel. Quæ Observationes Politicæ?

Leuc.

(a) *Act. 12. v. 23.* (b) *Act. 26. v. 28.*

Leuc. Observatu digna est *causa*, ob quam *Iudaea* potentiæ *Romanæ* jugo succubuit: erat illa *Ambitio fraterna Hyrcanum* inter, & *Aristobulum*, qua uterque sibi Mitram cum Sceptro vindicare conatus, *Romanos* arbitros advocavit: comparuêre illi primò Fœderati; dein facti sunt Arbitri & Protectores; demum hostes, & Domini subacti Regni evaserunt. Ad hæc *Judææ* fata dispositiones jam priùs fecerant *Machabæorum* Ducum, simúlque Pontificum scelera; *Iannæi* ambitio, quâ Diadema sibi imposuit, tyrannis, & intestina Religionis dissidia, quibus *Sadducæi*, & *Pharisæi* Plebem â Nobilitate diviserant: adeò verum est illud, quod inter arcana Statûs ponit quidam nostri temporis illustrissimus Author: *(a) Causa Religionis ita conjuncta est cum ratione Statûs, ut illâ turbatâ vel mutatâ, hanc necesse sit turbari, vel mutari.*

Causæ Judaici Regni à Romanis subacti.

II. Memorabilis insuper *Antipatri* & *Herodis* astuta Pseudo-Politica, quâ *Assamonæum* stemma è *Judææ* Solio deturbârunt. Ille *Hyrcani* simplicitate abusus, alienis opibus *Romanam* Aulam sibi propitiam reddidit; cúmque regeret ipsum *Hyrcanum*, sensim sine sensu Solio adrepsit, ut adeò non ineptè *Vellejus Patereulus*: *Nunquam Principi in uno aliquo omnia reponenda.* Nil enim periculosius Regno, quàm Minister ambitiosus. Unde *Herodis* præcipuum erat dictamen Politicum, *Antonii*, *Cæsarísque* favores immensis sumptibus, ac indefessis obsequiosæ fidelitatis studiis sic demereri, ut non modò Rex, sed etiam impunè posset esse Tyrannus.

Pseudopolitica Herodiana.

III. Aulæ denique impiæ, & infelicis speculum præbet Aula *Herodiana*, in qua nil nisi

Speculum Aulæ impiæ & infelicis.

 suspi-

(a) *Pelzhoffer tr. de Rel. c. 2. fol. 14.*

ſuſpiciones, calumniæ, fraudes, doli, inſidiæ, cædes, tragicum ſanè theatrum aperiente identidem ambitione, perfidia, atque crudelitate.

XII. Obſervationes Chriſtianæ Quæ? *Divina Providentia in protegenda vera Eccleſia.*

Mel. Quæ Obſervationes Chriſtianæ?

Leuc. Divina Providentia in *regenda & protegenda ſua Eccleſia.* Erat *Synagogæ* ſtatus, ſi unquàm aliàs, tunc certè calamitoſiſſimus: Reges, & Populi Principes, ſummis flagitiis immerſi, ſus déque vertebant omnia. *Ariſtobuli* I. Mater enecta fame; *Antigonus* Frater ſublatus ferro; *Ariſtobulus* ipſe ſceleſtam egeſſit animam: *Jannæus* multorum millium carnifex, temulentiâ extinctus; *Antipater* veneno peremptus; *Hyrcanus* præciſis auriculis capite minutus; *Phaſelus Herodis* Frater eliſo cerebro extinctus; *Antigonus* alter decollatus *Antiochiæ*; *Ariſtobulus* parvulus aquis ſuffocatus; *Mariamne* capite plexa; *Alexandra* Mater interfecta gladio; *Alexander*, & *Ariſtobulus*, *Mariamne* Filii, laqueo interempti; *Pheroras Herodis* Frater toxico confectus; quatuordecim Infantum millia vario crudelitatis genere trucidata, *Antipater Herodis* Filius capite truncatus, Ipſe *Herodes* Judaicæ Nobilitatis cruenta ſiti contabuit. Pontifices Summi lupos induti, ululabant ad has Patriæ nænias, quia intruſi, mercenarii, ſacrilegi *Herodis* Nundinatores, vitiorum viva prototypa, ùt apparet in *Anna* & *Caipha*. Populus laſciviebat tot ſcandalis perverſus; *Herodis* tyrannide, & ſuperſtitioſis *Romanorũ* fanis, ac Amphitheatris, ad mala peſſima denuò provocatus, magnis paſſibus properabat ad ſuum interitum, cùm Divina Providentia, *Synagogæ* ſuæ miſerta, per ipſum *Herodem* Templum magnificen-

ficentiùs exornavit; per *Messiam* in terras missum, Populo suo succurrit, & hunc Ipsum Regis tyrannidi providè subduxit.

II. Memorabilis insuper D. Providentia in *vindicandis tot scandalis, atque sceleribus.* Ruit tandem *Assamonaa* progenies in ambitionis, atque tyrannidis immania scelera, hinc Throno, & Sacerdotio dejecta, radicitùs exstirpata, ablatúmque Sceptrum de *Juda.* Fuit *Herodiana* Natio plena fastu, ambitione: *Herodes* homo duplicis animi, perversi, callidi, suspiciosi, calumniis creduli, vafri, diffidentis, Zelotypi, sanguinarii, immanis, efferi; & Atheus cùm esset, Religionem *Judaicam* prætendit suæ nequitiæ, Hypocrita, si quisquam alius, & vulpinis in artibus versatissimus; sed tandem in dandis tot scelerum pœnis miserrimus; luit etiam peccata vivus, & luet mortuus, nec unquam eluet. *Archelaus* in exilium missus; *Agrippa* Divina ultione miserè peremptus, & totum stemma denique est extinctum, ut præter ignominiam nominis brevì nil ampliùs superfuerit in Orbe.

Eadem D. Providentia in vindicanda vera Ecclesia.

Mel. Quæ Observationes Polemicæ?

Leuc. Deficiente *Hybnero* ducendum denuò Parallelum Testamenti Veteris cum Novo, & Juventuti Acatholicæ proponendum. *1.* Sub hæc tempora in Testamento Veteri vivebant *(a) Essenii*, qui inter reliqua dogmata abhorrebant primò à voluptate, erántque cœlibes. 2. Habebant bona communia. *3.* In victu sectabantur austeritatem. *4.* Albis utebantur vestibus. *5.* Ante Solis ortum nil loquebantur, sed in silentio animum precibus intendebant, è quibus plurimi, teste *Se-*

Observationes Polemicæ Quæ? Parallelum Veteris Testamenti cum Novo contra Lutheri præ-tensam Reformationē. Esseniorum vita, Vitæ Religiosæ prodroma.

rario

(a) Serarius ex Jos.

rario, ad *Christi* castra se recepêre: adeò vita austerior, in usu etiam *Iudæis*, viam straverat ad jugum *Christi* faciliùs subeundum; ut adeò nihil mirum, quòd *Lutherus*, eversâ vitâ Monasticâ, & bonorum operum meritô, ansam præbuerit, ad jugum *Christi*, & *Ecclesiæ* facilè excutiendum, difficilè recipiendum.

Nazaræorum vita Typus Religiosæ Vitæ in Novo Testamento.

II. *Nazaræi*, *Judæis* homines Religiosi, sic dicti, *(a)* quòd DEO *consecrati* per votum, *comati*, & â communi hominum consuetudine *separati* viverent, Religiosos Ecclesiæ Catholicæ Status, genuino typo, præfigurabant. Nam quidam *(b)* erant *perpetui*, ùt *Samson*, & *Samuel*, poterántque esse è quavis Tribu: vivebant *separati*, ùt hodie Religiosæ vitæ Cultores. Illi non ibant ad funera, etiam Parentum; etiam Isti omni affectu erga Propinquos se spoliant: *(c)* Illi consecrabant DEO intonsam cæsariem; Hi tonsis in capite coronis, se totos Regis Regum ministerio mancipant: Illi erant omnibus in honore, nec nisi speciali gratiâ â DEO suscitabantur (*d*); etiam Isti Prudentibus sunt in veneratione & pretio, nec nisi speciali Numinis beneficiô, velut militantis Ecclesiæ fulcra & decora, è tumultu Sæculi evocantur: ut adeò Acatholici ipsi (saltem, qui non egent helleboro) ruborem contrahant ad Patriarchæ sui probrosa scommata, quæ effutire olim non erubuit hoc vitæ Monasticæ probrũ, dum dixit: (*e*) *Monachum piissimum Nebulonẽ impiissimum esse:* (*f*) Item Monachum ex *Diabolo esse, non esse dubium*, saltem de *Luthero*.

III. Sub

(*a*) *Cornel. in c. 6. Num.* (*b*) *S. Th. 2. 2. q. 186. art. 6. S. Greg. l. 2. mor. c. 59.* (*c*) *Num. 6. v. 5.* (*d*) *Amos 2. v. 11.* (*e*) *T. 2. lat. Coll. Mens. p. 13.* (*f*) *Enarrati: in 45. c. Gen. p. m. 800.*

III. Sub hæc ipsa tempora *Synagoga* ſcindebatur vario Schiſmate, ut ſicut in omnibus, ita & in hoc triſti præludio *Chriſti* Eccleſiam præfiguraret. Erant *Samaritani, ac Sadducæi*, de quibus alibi fuſiùs. Hi utrùm temporis noſtri Sectarios adumbrent, judicium eſto penes Prudentes. *Sadducæi* certè inter ſe ſe erant diviſi, ſibíque ſummè contrarii; nec hodiè conſonant *Lutheri* aſſeclæ & *Calvini*, niſi quòd junctis viribus veram Eccleſiam oppugnent: Illi rejiciebant Scripturæ libros, ſibi minùs accommodos; nec Iſti recipiunt ſuis minùs aptos articulis: Illi explodebant Traditiones; & Iſti exſibilant: Illi Scripturæ ſenſum non â Prophetis, non â Synagoga, ſed â privato Spiritu petebant; & Iſti eandem pro ſuo ſenſu, & libitu interpretantur. *Samaritani* non agnoſcebant Summum Pontificem, nec Eccleſiam *Ieroſolymæ* unicam, & unicè veram, ſummóque odio *Synagogæ* Cultores perſequebantur; idem faciunt noſtri temporis Proteſtantes, quibus an *Chriſtus* bene diceret, quod olim dixerat *Sadducæis*: *Erratis, neſcientes Scripturas*, (a) judicent ipſi, ſi ſunt prudentes.

Hæreſes Synagogæ Hæ ſe ſunt Eccleſiæ figura.

(a) *Matth. 22. v. 29.*



TI=	TI=
37 Taschen Zug.	SCUTUM Genealogicum 38 Genealogischer Schild Benon Genealogique
ON	ES
Dominia Prætensiones 39 Concessiones Dignitates.	Ordo Numerandi Quadraturas. 40 1 2 3 4
SCUTI	PAR=
SCUTI CAPUT 41 Schildts Haubt Le Chef.	Palo descriptũ toenia Sectum 42 Palé Bandé FASCIA TŒNIA. 3 Bind Fasen

Ad quæstionem Heraldicam.

TES	HONO=
TŒNIA à dextris obliqua. 43 Scharpp oder Straßen *La parde*	TŒNIA à siniſtris obliqua 44 Gegen Scharpp gegen Straßen. *La parre.*
RARIÆ	
PALUS- 45 Pfall Saül *Le pal* *Contre palé*	Canterius 46 *Scuti ora ñ attingẽs* *multi, plex* *alaisé* *accom, pagné* Sparr *Le Cherron*
Crux *Teſsolata* *plena* *Lingulata* *Chiqueté* *Dentiaulat* *Losangé* *Undulat* *engrelés* 47 *ondeé* Creuz *La Croix*	Decuſsis 48 Andrä Creuz *Le Sautoir.*

Ad quæstionem Heraldicam.

Margo




49

Rand.

Bordure

Limbus




50

Saum.

L' Orle

Scutulum



51

Uber=Schildlein

L' Ecusson.

Fasciola Tæniola





52

Nessel Stricklein

Cottice Filet


Typi Gentil. ascititia Sectio.



Verringerung der Wappē.

Brisure d'armories .:

Alveoli alternatim varii




53

Geschächte Flecklei.

Les points equipolez

Tesselæ




54

Schäche

L'Echiquier.

Ad quæstionem Heraldicam.

Cuspidatim mutuò exesus



Spieß-weiß ausge-freßen

L'Emanché


Duplex Scuti Limbus



Doppelter Saum

Le Trescheur

Clathri



Wappen-Gitter

Les Frettes.

Lingulatæ Tessellæ Rhombi.



Rauten

Les Lozanges.


Scutariæ Plintides.



Wappen-Zettel

Les Billetes.

Maculæ.




Wappen-Fleck.

Les Macles.

Ad quæstionem Heraldicam.

Rhombi in orbē perforati.

61




Rauttē in die rund durchbohren

Les Rustres.

Armillæ.

62




Wappen-spangen

Les Vires.

Annelli.

63




Wappen-ringl.

Les Annelets.

Scutarii Globi.

64



Wappen-kuglen.

Tourteaux.

Scutarii Nūmi.

65



Wappen-ballen.

Les Bezans.

Figuræ variæ.

66




Naturales

Artificiosæ

Fabulosæ

Ad quæstionem Heraldicam

2 to 24




colorchecker CLASSIC
calibrite
mm